APPENDIX DISSERTATIONIS DE HÆRESIARCHIS ÆVI APOSTOLICI ET APOSTOLICO PROXIMI,

CUI ACCEDIT

HEPTAS DISSERTATIONUM

Selecta quædam historiæ ecclesiasticæ veteris & novæ capita illustrantium

AUTORE

THOMA ITTIGIO,

Lipsiensi, SS. Theol. Lic. & Ædis Nicolaitanæ in patria Archidiacono.

LIPSIÆ,

Sumptibus Hæredum Lanckisianorum.

1696.

THEOLOGO PLUR. REVERENDO

DN. HENRICO ELMENHORSTIO,

Ædis Catharinianæ, quæ Hamburgi est, Archidiacono optime merito

Fautori ac in Christo Fratri plurimum colendo ac venerando.

Etsi haud ignorem, hanc dissertationis meæ de Hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi appendicem adjunctasque illi dissertationes neque ea doctrinæ copia instructas, neque ea styli elegantia comptas & expolitas esse, ut *Elmenhorstiano* nomini inscribi mereantur: eas tamen Tibi, Vir plur. Reverende atque Amplissime, non ingratas fore magna animi fiducia præsumo. Cum enim Filium tuum carissimum, qui Tuo Avique sui ac aliorum Majorum ac Cognatorum & in his celeberrimi Polyhistoris *Geverharti Elmenhorstii* exemplo incitatus sacris & humanioribus literis magna cum diligentia incumbit, inter Domesticos meos & Commensales esse desideraveris, quanto affectu tenuitatem meam prosequaris abunde declarasti. Quamobrem mihi gratulor, quod post præmaturum Collegæ

Tui

Tui conjunctissimi Dn. *Abrahami Hinckelmanni* Theologi & Philologi celeberrimi obitum tua benevolentia gravissimam, quam passus sum Amici desideratissimi jacturam resarciri video, operamque dabo sedulo ac diligenter, ut quavis occasione data animi grati voluntatem Tibi approbem, in cujus tesseram munus hoc literarium Tibi offero, amice rogans, ut serena illud fronte accipere non dedigneris. Deus autem faxit, ut & Familia tua splendidissima de constanti incolumitate Tua gaudeat, & ecclesia sacræ Tuæ eloquentiæ aliorumque, quæ DEus Optimus Maximus larga manu in Te contulit charismatum dotibus quam diutissime perfruatur. Vale. Scrib. Lips. d. 21. Octobr. A.C. 1695.

Plurimum Reverendæ Amplitudini Tuæ

addictissimus

L. THOMAS ITTIGIUS.

SERIES HUJUS VOLUMINIS.

):(Dis-

APPEN-

Appendix

Ad diſſertationem de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi. Ad ſectionis I. caput I. de Doſitheo.

I.

PRæter opinionem meam plane accidit, qvod diſſertationem meam de Hæreſiarchis ævi apoſtolici & apoſtolico proximi, qvam in Studioſorum ac inprimis Auditorum meorum gratiam conſcripſeram, ſimul ac in publicam lucem prodiit, Viros qvosdam celeberrimos non in Germania ſolum, ſed in Belgio qvoqve & Anglia legere dignatos comperi, qvorum aliqvi partim privatis literis partim publicis ſcriptis ut hanc Hæreſiarcharum hiſtoriam continuarem, ſerio me impulerunt, ac promiſſa, qvæ inde ad juvandum hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudium redundatu-

ra esset, utilitate stimulos addiderunt. Qvorum hortatibus libenter morem geram, si otium mihi viresqve pertexendo huic operi necessarias supremus humanarum rerum Arbiter concedat. Interim nonnulla, qvæ ad historiam hæresium primi & secundi seculi addenda duxi, appendicis instar habitura in has pagellas conjicere libuit.

II. Auspicari mihi placuit Hæresiarcharum ævi apostolici historiam à *Dositheo*, qvod nonnullis displicuisse intellexi, cum longa præscriptione Simon Magus primum inter hæreticos primitivæ ecclesiæ locum teneat. Neqve multum refragabor, si qvis Dositheum hoc principatu, qvem ipsi Hippolytus Irenæi discipulus teste Photio concessit, deturbare velit. Non errasse autem me opinor, cum inter Autores, qvi Dosithei meminerunt, Hegesippum posui, & testem illius mentionis Eusebium allegavi. Unde corrigendum est, qvod doctissimus Dodwellus in dissertationibus ad Irenæum p. 480. Hegesippum nullam Dosithei mentionem fecisse dicit. Cæterum non dubitat idem Vir doctissimus, qvin Hippolytus ea, qvæ in opere suo contra hæreses de Dositheo retulit, ex Irenæo hauserit, sive Irenæus in opere διαλέξεων jam pridem perdito hoc argumentum tractaverit, sive Hippolytus, qvæ de hæresibus scripsit, ex ore Irenæi disserentis exceperit, qvod Dodwello probabilius videtur.

III. Theophilum qvendam Persam contra Dositheum scripsisse autor est Hebed Jesu in suo catalogo c. 40. Ad qvem locum notavit Abraham Ecchellensis

ex

ex autore chronici Samaritani, qvod in bibliotheca Cardinalis Mazarini fuit, hunc Dositheum S. Scripturæ textum Samaritanum corrupisse, ejusqve Discipulos ea, qvæ ipse scripserat & mutaverat, servasse, summum vero Pontificem cum id resciviset, nepotem suum Levi & decem alios misisse, qvi captum Dositheum una cum adulterato codice ad se adferrent, & hos qvidem, cum Dositheum in hospitio suo non invenissent, simulata Dosithei amicitia mulierculam ædium illarum hospitam rogasse, ut legis codicem à Dositheo emendatum sibi communicaret, illamqve id se facturam promisisse, si in piscina, qvæ ibi erat, prius lavissent, eoqve facto eos illicò qvasi vi qvadam impulsos in Dosithei sententiam atqve hæresin omnes abiisse. Addit ulterius, Pontificem, ubi id comperit, ira inflammatum alios misisse, qvi apostatam Levi & socios neci darent, & codicem afferrent igne comburendum; verum uno Levi excepto, qvi pugnando occubuit, cæteros fuga dilapsos codicem secum abstulisse, qvin & postea indusium occisi proprio sangvine fœdatum una cum codice in arca qvadam condidisse, nec ulli hæc cimelia nisi exacto septem dierum jejunio conspicienda præbuisse, Dositheum autem in montem qvendam se contulisse, ibiqve delitescentem famè & siti periisse.

IV. Si fides habenda Vigilio Tapsensi, Dositheus cum aliis qvibusdam ævi apostolici hæresiarchis occasionem dedit, ut, qvi discipuli prius dicti fuerant, Christiani appellarentur. Nam libro I. dialogi contra Arianos, qvem sub Athanasii nomine vulgavit, Athanasium p. 94. his verbis differentem introducit: *Qvia multi novorum dogmatum Autores extiterunt doctrinæ obvi-*

antes apostolicæ, omnesqve sectatores suos Discipulos nominabant, nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosqve discipulos, cum sive qvi Christi, sive qvi Dosithei, sive Cephæ, sive Theodæ, sive Judæ cujusdam, sive etiam Johannis sectatores uno discipulorum nomine censerentur: Tunc Apostoli convenientes Antiochiam, sicut eorum Luca narrante indicant acta, omnes discipulos novo nomine id est Christianos appellarunt. Unde patet, ex Vigilii sententia Dositheum Apostolorum ævo floruisse. Qvod clarissimus Basnagius exerc. 8. ad Baronium p. 424. in dubium vocavit, etsi ea qvam adducit dubitandi ratio haud adeo gravis mihi videatur.

AD CAPUT II.

de

Simone Mago.

V.

IN secundo dissertationis meæ capite de *Simone* & *Simonianis* egi, de qvibus Autor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum refert, eos Magistrum suum Simonem ideo sic appellatum dixisse, qvod esset obediens Patri cœlesti, à qvo eum ad salutem humanam procurandam missum fingebant. Idem Autor narrat, qvod Simoniani evangelium sibi effinxerint in qvatuor tomos divisum, qvod librum qvatuor angulorum & cardinum mundi appellaverint. Addit, eos fila rubei coloris collo

lo pendentia in signum pacti cum Diabolo initi gestasse.

VI. Impudentissimum autem fuit mendacium, cum impius Hæresiarcha se a matre adhuc virgine conceptum jactavit, si vera sunt, qvæ de eo refert Clemens Romanus recognit. libr. 2. p. m. 34. Et qvidem non aliam ob causam se ex virgine natum mentiebatur, qvam ut Christo, cujus è Virgine nativitatem cognoverat, se perqvam similem præstaret, ut post Mornæum & Huetium Bynæus l. 2. de natali Christi c. I. observavit.

VII. Helenam Simonis Magi scortum mystice de materia prima seu principio rerum passivo nonnulli interpretati sunt. Aliam mysterii sub Helena latentis interpretationem excogitavit Jacobus Bolducius in tract. de ecclesia post legem c. 5. Cum enim Simon Magus asseruit, Helenam esse primam mentis suæ conceptionem per qvam initio mente conceperit Angelos facere atqve Archangelos, indicare hac narratione, juxta Bolducium, voluit, qvod ab initio per Græcam lingvam instituerit atqve instruxerit Prophetas, qvi olim Angeli dicebantur. Atqve hinc prædictus Capuccinorum Ordinis Monachus probare contendit, Simonem Magum tanqvam Græcizantium Sectatorem acerrimum graviter conqvestum esse, qvod apud suos Samaritanos non amplius usurparentur græca Biblia, sed plane contemneretur græcum idioma, per qvod Doctores & Prophetæ à multis seculis verbum Dei annunciare populosqve docere consveverint. Prolixius hoc Helenæ mysterium explicat capite seqventi, ubi etiam ad instar Christi & Apostolorum, qvi pias & sanctas mulieres in comi-

tatu suo habuerunt, Helenam à Simone circumductam observat. Refert insuper qvosdam sectæ hujus perniciosissimæ sectatores Angelos appellatos fuisse, & istam Angelorum hæresin vel eandem fuisse ac Simonianorum, vel non ab alio qvam ab ipso Simone ortum habuisse.

VIII. Idem Bolducius ibidem asserit, totam ferme Simonis Magi nascentem adhuc ecclesiam perdere volentis historiam in Apocalypsi graphice describi sub similitudine draconis habentis capita septem & cornua decem, in qvibus erant diademata septem, & trahentis tertiam partem stellarum cœli, volentisqve devorare filium mulieris parturientis. Ejusdem Simonis Magi præcipitium Romæ Petri virtute factum adumbrari existimat in visione draconis per Michaelem e cœlo deturbati.

IX. Verum istæ Bolducii de Simone Mago sententiæ parum se mihi probant. Nec magis probo, qvod Jacobum & Judam, qvos epistolas suas ex urbe Hierosolyma contra Simonem Magum & ejus asseclas edidisse scribit, primos omnium fuisse dicit, qvi tempore novi testamenti canonicum aliqvod scriptum ediderunt. Nam si posteriorem Petri epistolam cum epistola Judæ conferamus, illam prius esse scriptam manifestum erit. Eo autem tempore, qvo Petrus posteriorem epistolam exarabat, jam Paulinæ aliqvot epistolæ extabant, qvippe qvarum mentionem Petrus injicit. Qvamobrem dubitare non licet, qvin Judæ epistola tardius conscripta fuerit, qvam Bolducius putavit.

X. Omnia vere Simonem tradidisse, qvæ ab ipso tradita veteres ecclesiæ Doctores asserunt, asseve-

'are non possum, cum præsertim in recensendis Simo-
nianæ doctrinæ capitibus nonnunqvam male inter se
consentiant. Id tamen certum est, talem fuisse Simonis
Magi doctrinam, ut nefarius plane judicari debeat cona-
tus Zwickeri, qvi in Irenico Irenicorum p. 14. & seqv.
sacrosanctam orthodoxæ ecclesiæ de mysterio Trinita-
tis doctrinam ex impiis Simonis Magi deliriis derivare,
illamqve sententiam à Comenio in admonitione de ire-
nico irenicorum p. 85. & seqv. confutatam in nova con-
firmatione irenici irenic. p. 148. denuo stabilire ausus
est.

XI. Anonymus qvidam Autor à Rigaltio in no-
tis ad Cyprianum primum editus, qvem Ursinum Mo-
nachum Afrum esse Labbeus tom. I. concil. p. 770. ex
fide MSC. codicis & Gennadii autoritate suspicatur, sed
celeberrimus Caveus in historia liter. p. 93. Episcopum
qvendam Cypriani σύγχρονον fuisse probat, de bapti-
smo non iterando agens Simonianorum baptismum mul-
tiformi perversitate per varios errores exerceri dicit, ac
inter alia notat, eos baptismum in aqva & igne pro per-
fecto baptismo habuisse & vel naturali lusu vel diaboli-
cis præstigiis effecisse, ut, si qvis in aqvam descenderet,
illico super aqvam ignis appareret. Addit, eos hunc
errorem suum ex libro qvodam apocrypho confirmas-
se, qvi inscriptus fuit: Pauli prædicatio. In eo enim in-
ter alia hoc qvoqve scriptum fuit, qvod in baptismo
Christi ignis super aqvam visus fuerit. Est autem liber
ille forte non alius, qvam qvi vulgo Petri prædicatio au-
dire solet Hieronymo in catal. Script. ecclesiastic. c. 1. &
Eusebio libr. 3. hist. eccl. c. 3. memoratus, ex qvo non-
nulla produxerunt Clemens Alexandrinus libr. 6. Stro-
ma-

matum, & in eclogis propheticis prope finem, item Heracleon apud Origenem tom. 14. in evangelium Johannis & Lactantius l. 4. instit. c. 21. ubi monumentum hoc Petri & Pauli prædicatio appellatur.

XII. Franciscus Turrianus in opere qvod adversus Magdeburgenses scripsit l. 1. c. 21. p. 94. cum canonem 66. apostolicum, qvo jejunium Sabbathi interdicitur, in Romana ecclesia non observatum fuisse bene nosset, fingere ausus est, Apostolos hanc consvetudinem non omnibus fidelibus sed tantum ecclesiis orientalibus tradidisse propter Simonianos, qvi mundum, a cujus creatione Deus die sabbathi qvievit, Dei opus esse negabant. Contra nonnulli apud Cassianum libr. 3. de instit. monach. c. 10. Sabbathi jejunium in Romana ecclesia propterea observatum existimant, qvod Petrus ista die cum Simone Mago conflictaturus jejunasset. Verum neutra sententia solido fundamento nititur, parique facilitate, qva asseritur, negari potest.

XIII. De variis congressibus & disputationibus Simonis Petri & Magi agens allegavi Marcelli fragmentum, qvod Ludovicus Jacobus a S. Carolo in bibliotheca sua Pontificia edidit. Verum postea ex Florentinii exercitationibus ad martyrologium Hieronymi cognovi, fragmentum illud, qvod Lud. Jac. a S. Carolo in præmisso ad lectorem monito hactenus ineditum putavit, vel saltem majorem hujus fragmenti partem nihil aliud esse qvam epistolam Marcelli ad Nereum & Achilleum, qvæ jam pridem a Surio d. 12. Maji in actis Nerei & Achillei p. 148. & 149. edita fuerat. Qvæ autem post hanc epistolam in bibliotheca Pontificia seqvuntur, initium tantum illius tractatus constituunt, qvem Marcellus Mar-

ci

ci Præfecti Urbis Romæ filius & primum Simonis Magi postea vero Simonis Petri discipulus de conflictu utriusqve Simonis scripsisse dicitur. Florentinius vero omissa illa Marcelli epistola integrum Marcelli tractatum ex codice MSC. qvem penes se habuit, edidit notisqve suis illustravit. Qvin & antè Florentinium Fridericus Nausea inter rhapsodias de vitis, miraculis & passionibus Apostolorum sub nomine Anonymi Philalethi Eusebiani editas eadem Petri cum Simone Mago acta sub Marcelli nomine vulgavit A. C. 1531. ut notat Henschenius in act. Sanct. Maji tom. 3. p. 10. ubi multa in actis illis sibi displicere, eaqve obstare scribit, qvo minus à Marcello scripta arbitretur.

§. XIV. In his actis inter alia, qvæ referre nimis longum foret, refertur, qvod Petrus de Christo qvis esset à Nerone qvæsitus Pontii Pilati literas ad Claudium Cæsarem produxerit, easqve Nero recitari jusserit. Sunt autem epistolæ illius, qvam Pilatus de Christo scripsisse perhibetur, varia, qvæ non parum inter se discrepant, exemplaria. Nam epistola Pilati, qvæ in Egesippi anacephalæosi exhibetur, & ex Egesippo Ivonis Carnotensis excerptis chronicis p. 25. Grynæi monumentis orthodoxographis Tom. 1. Lat. p. 1. aliisqve Autorum monumentis inserta legitur, diversa est ab ea, qvam Sixtus Senensis l. 2. bibliothec. sanct. & Marianus Victorius in indice ad opera Hieronymi sub voce Pilati ex Vaticana bibliotheca exhibent. Ab utroqve exemplari distat epistola Pilati, qvæ in bibliotheca Vindobonensi græce extat, & cujus initium Lambecius tom. 5. biblioth. Vindob. p. 23. transcripsit. Nec minus ab his omnibus discrepat Pilati epistola, qvam in historia Christi Persica

pag. 532. producit Xavierius, qvi unde hanc epistolam hauserit Ludovicus à Dieu in animadversionibus ad illam historiam nescire se fatetur. Et qvatuor his exemplaribus admodum diversis qvintum addi potest, in notis ad Marcelli tractatum ex manuscripta, qvam penes se habuit, schedula à Florentinio vulgatum, qvi etiam observat, qvod epistola, qvam Marcellus coram Nerone recitatam commemorat, cum Egesippi exemplari, si variæ qvædam lectiones excipiantur, adeo conveniat, ut eam vel Marcellus ex Egesippo vel Egesippus ex Marcello exscripsisse videatur.

XV. Narrat deinde post alia Marcellus, qvod Simon Magus ab Imperatore altam turrim sibi extrui postulaverit, & gloriatus fuerit, se angelos suos vocaturum, iisqve mandaturum, ut se omnibus videntibus in cœlum ad Patrem suum perferrent; item qvod jactaverit, se decollatum & mortuum resurrexisse. *Egerat enim perfidus Simon præstigio suo*, verba Marcelli refero, *ut diceret Neroni: jube decollari me in obscuro, & ibidem dimitti occisum, & si non tertia die resurrexero, scias me Magum fuisse, si autem resurrexero scias me esse Filium Dei. Et cum hoc fieri jussisset Nero in obscuro, egit ille arte magica, ut aries decollaretur, qvi aries tamdiu Simon visus est, qvamdiu decollaretur. Decollatus autem in obscuro, cum scrutatus fuisset is, qvi eum decollaverat, & caput ejus pertulisset ad lumen invenit caput berbicinum. Sed nihil voluit Regi dicere, ne seipsum detegeret, qvi jussus fuerat hoc in abdito perpetrare. Hinc ergo dicebat Simon se tertia die resurrexisse, qvia caput & membra berbicis tulerat, sangvis vero congelaverat, & tertia die se ostendit Neroni, & dixit: Fac sangvinem meum, qvi effusus est, exstergi, qvia ecce, qvi* de-

decollatus fueram, sicut promisi die tertia resurrexi.

XVI. Verùm hæc ex Marcello adduxisse sufficiat, qvi etiam Simonem Magum, cum jam in cœlum iturus videretur, Petro Dæmones adjurante in locum qvi sacra via dicitur ex alto cecidisse, & Neronem, qvi ejus corpus in qvatuor partes fractum tribus diebus & noctibus diligenter custodiri jussit, ejusdem resurrectionem frustra expectasse. Similia his Marcelli commentis sunt, qvæ Johannes Malala in historia chronica p. 326. & seq. refert de cane Simonis Magi Petri jussu herum suum alloqvente, de tauro magno, qvem à Simone Mago, cum ei nescio qvid in aurem immussitasset, interfectum Petrus resuscitaverit, de Nerone Simonis Petri & Simonis Magi causam examinante, & Pilatum huic examini præsentem interrogante, num Simon ille Magus, qvi se pro Christo venditabat, ille Christus esset, qvem crucis supplicio tolli jussisset, & num Petrus hic Christi crucifixi discipulus fuerit, qvorum prius Pilatum negasse, posterius affirmasse Scriptor ille tradit, qvi etiam Simonem Magum in eodem, qvo decidit, loco reconditum, & locum illum cancellis lapideis undiqve septum in hunc usqve diem Simonium appellari scribit. Et ex hac Johannis chronographia etiam desumpta sunt, qvæ Suidas in lexico suo sub voce Neronis de Simone retulit, asserens, Pilatum è carcere eductum & à Nerone de Petro & Simone Mago, num horum alteruter Christus esset, interrogatum respondisse, qvod Petrus Christi discipulus fuerit, apud se qvidem delatus, sed statim, cum Dominum suum abnegasset, impune à se dimissus, Simonis autem Magi forma à Christi forma prorsus aliena sit, & hac Pilati responsione audita Imperatorem

& adversus Simonem Magum, qvod Christum se mentitus fuisset, & adversus Petrum, qvod Christum coram Pilato abnegasset, exacerbatum utrumqve palatio suo ejecisse.

XVII. Inter Autores qvi præcipitem Simonis Magi lapsum crediderunt, ut plurimos alios nunc præteream, est Abbo Monachus S. Germani à Pratis, qvi in sermone de fundamento & incremento Christianitatis, qvem cum aliis ejus sermonibus tomo 9. spicilegii sui Dacherius inseruit, memorat, qvod Simon Magus immundis spiritibus se vehentibus cœperit pervolare, Paulus orare, Petrus Satanæ imperare & Magum volantem præcipitare.

AD CAPUT III.

de

Varisuo.

XVIII.

CUm Dositheo & Simone Mago Autor imperfecti operis in Matthæum homil. 48. *Varisuum* jungere, eumqve inter pseudochristos numerare in cap. 3. dissertationis meæ de hæresiarchis observavi, addidiqve non magis certum esse, qvis Varisuus ille fuerit, qvam qvis opus imperfectum in Matthæum scripserit. Nunc autem non dubito, qvin Varisuus ille idem sit, qvi Act. XIII. 6. Βαριησοῦς seu Barjesu dicitur. Nam hic ipse Bar-

Barjesu etiam apud Augustinum l. 3. contra literas Petil. c. 48. cum Simone Mago jungitur. Qvo loco qvidem in vulgatis editionibus Augustini legitur: *Simonis & Variæ*, vel: *Simonis & Varii suæ*; verum dubio procul præferenda est lectio novæ editionis per Monachos Ordinis Benedictini è congregatione S. Mauri procuratæ, in qva nomen Barjesu expressum invenimus.

XIX. Refert autem Lucas de hoc Barjesu, qvi etiam Elymas dictus est, qvod Pauli prædicationi obsistens justo Dei judicio cæcitate percussus fuerit. Et Origenes qvidem in Exodum edit. Huet. p. 22. tradidit, qvod Paulus Magum hunc verbo suo excæcans per dolores & molestias ipsum ad pietatem converterit. Aliter autem Baronio visum est, qvi in annalibus T. I. ad A. C. 46. existimat, tantum abfuisse ut Elymas resipisceret, ut potius magis ac magis in evangelicam doctrinam insaniens librum adversus Pauli prædicationem & fidem ediderit. Testem ejus rei allegat Dionysium Areopagitam, qvi in tractatu de divinis nominibus c. 8. §. 6. refert Elymam Magum dixisse: εἰ παντοδύναμός ἐςιν ὁ θεὸς, πῶς λέγεταί τι μὴ δύνασθαι πρὸς τῦ καθ' ὑμᾶς θεολόγυ, *Si omnipotens est Deus, qvomodo à Theologo vestro aliqvid non posse dicitur?* Addit autem Dionysius, qvod Elymas his ipsis verbis Apostolum Paulum perstringere voluerit, qvi 2. Tim. II, 13. scripsit, non posse Deum semetipsum negare. Verum Dominus de Tilmon in historia sua ecclesiastica tom. I. part. 2. p. 801. de hoc Barjesu scripto agens argumenta ex Dionysii Areopagitæ operibus deprompta infirmo admodum fundamento niti judicat.

Ad Cap. IV.

De

Menandro.

XX.

DE Cleobio, Theodade, Thebute, & cæteris qvos in capite 3. cum Vari suo conjunxi nihil addo. De Menandro autem hoc unicum, qvod apud Irenæum qvidem l. 1. c. 21. dicat, *se missum ab invisibilibus Salvatorem pro salute hominum*, forte autem rectius legeretur: *ab invisibili*. Primam enim qvandam & incognitam virtutem asseruit, & ab ea se missum somniavit, ut Irenæum Theodoretus libr. 1. de hæreticis fabul. c. 2. explicavit.

Ad Cap. V.

De

Cerintho.

XXI.

DE Cerintho agens inter alia qvanto eum odio Apostolus Johannes prosecutus fuerit ex Irenæo retuli, & Prateolum notavi, qvi Irenæi seu Polycarpi apud Irenæum narrationi aliqva de suo addidit, asserens, statim post Johannis a balneo regres-

greſſum domum, in qva Cerinthus lavit, corruiſſe eumqve oppresſiſſe, qvod neqve ab Irenæo nec ab aliis antiqvis Scriptoribus traditum reperitur. In eadem cum Prateolo culpa eſſe Autorem, qvi Epiphanio latino Baſileæ impreſſo notas marginales addidit, & Victorinum Strigelium ad proverbia Salomonis commentantem Reineſius in epiſtola 57. ad Hoffmannum obſervavit. Qvibus addi poteſt Raynaudus, qvi in Johanne atavo chriſtianitatis Lugdunenſis T. VIII. operum p. 198. non qvidem Cerinthum, ſed tamen Ebionem, cum qvo Johannem eodem balneo uti noluiſſe Epiphanius autor eſt, ruina balnei, cum Johannes inde digreſſus fuiſſet, oppreſſum affirmat, ejusqve rei teſtem Hieronymum allegat contra Luciferianos agentem. Verum Hieronymus neqve Ebionem, qvod Raynaudus aſſerit, neqve Cerinthum, qvod Feuardentius in notis ad Irenæum affirmat, balneo oppreſſū tradidit. Qvamobrem calamum celeberrimi Sagittarii feſtinantem erraſſe puto, cum in introductione ſua ad hiſtoriam eccleſiaſticam p. 909. poſt Irenæi de Cerintho relationem ſtatim ſubjicit Hieronymum in dialogo adverſus Luciferianos addere, qvod Cerinthus ſubita balnei ruina oppreſſus fuerit, & Hieronymum illa dicentem memoria lapſum eſſe. Atqvi Hieronymus iſta nusqvam addidit, adeoqve etiam memoria labi hic non potuit. Qvamobrem non dubito, qvin Vir clarisſimus Feuardentium in animo habuerit, ſed calamus animum prævertens Hieronymum ſcripſerit.

XXII. Turpiter autem hac Irenæi narratione de Cerintho abuſus eſt ſuperiori ſeculo Franciſcus Turronius, cum Philippum Melanchthonem à Franciſco I. in

Gal-

Gallias accersitum intelligeret. Nam ut Melanchthonis cum Rege colloqvium impediret, accepto in manus Irenæi codice ad Regem accessit, non dubitans Regem statim sciscitaturum, qvid libri esset, qvod manibus teneret, eoqve facto respondit, esse Irenæum Galliæ qvondam Episcopum & Apostolicorum virorum discipulum, qvi cum præclare omnia tum præclarissime docuerit, catholicis nullum cum hæreticis commercium & colloqvium esse debere. Imprimis autem factum Johannis Cerinthum aversati Regi proposuit, additisqve aliis rationibus effecit, ut Rex mutato consilio regni sui aditum Philippo interdiceret, qva de re Raynaudus loco superius allegato & Autores ab eo allegati videantur, cum qvibus conferri merentur, qvæ de Philippi Melanchthonis in Galliam evocatione ejusqve impedimentis meliori fide retulit illustris Seckendorf in historia Lutheranismi libr. 3. sect. 13. p. 107. 108. 109. 110. Verum hæc obiter.

XXIII. Ad Cerinthum ut redeamus eum tumultuum contra Apostolos ex Judaismi Zelo excitatorum & in actis apostolicis descriptorum autorem non fuisse, clarissimus Basnagius in exercitationibus historico-criticis p. 358. & seqv. Philastrii & Epiphanii autoritate insuper habita asserit, hoc inter alia argumento usus, qvod antiqvi Scriptores Cerinthum Carpocrate posteriorem faciant. Unde etiam contra vulgarem & fere communem eruditorum sententiam in narratione de Johannis ad balneum accessu Epiphanio potius fidem adhibendam existimat, dicenti qvod hæreticus, cum qvo commune balneum Johannes habere noluit, Ebion fuerit, qvam Irenæo Cerinthum in illo balneo fuisse asseren-

renti. Etſi enim Irenæus Epiphanio antiqvior fuerit, eum tamen in hac narratione tanto facili' errare potuiſſe cenſet, qvod juvenis fuerit, cum illud factum Johannis ex ore Senis Polycarpi audivit, in qva ætate vel Polycarpi ſenis vel juvenis admodum Irenæi memoriam non difficulter labi potuiſſe arbitratur. Verum hæc aliis diſcutienda nunc relinqvimus.

Ad Caput VI.

de

Ebione.

XXIV.

Dubio autem procul in hac controverſia Irenæum potius qvam Epiphanium audiendum dicent, qvotqvot hæreticum qvendam, qvi Ebion nominatus fuerit, in rerum natura fuiſſe negant. Cui ſententiæ præter alios in diſſertatione mea allegatos aſtipulari video doctiſſimũ Clericum tom. 20. univerſalis bibliothecæ, qvo loco diſſertationem meam de hæreſiarchis non ſine benevoli in meos qvalescunq; conat⁹ animi indicio recenſens obſervat, fruſtra à me probaturo qvod revera hæreticus qvidam nomine Ebion fuerit, Epiphanium adduci, cum poſt Irenæi, Tertulliani, Origenis & Euſebii de Ebione ſilentium Epiphanius ſerus nimis teſtis prodeat, illisqve adeo potius fides adhibenda videatur, qvi ante Epiphaniũ Ebionitas à qvalitate doctrinæ ſuæ nomẽ hoc

adeptos indicarunt. Qva de re cum nemine magnopere contendam, cum Epiphanii autoritatem minime irrefragabilem agnoscam. Interim etiam in Talmude Ebionis alicujus mentionem fieri Lightfootus T. II. oper. p. 148. observavit.

XXV. Ex Ebionitarum scriptis superest epistola sub nomine Petri ad Jacobum Fratrem conficta & à Cotelerio cum operibus Patrum, qvi apostolico ævo floruerunt edita. Hujus enim epistolæ, qvam nondum mihi legere licuit, autorem multis indiciis se Ebionitam prodidisse, docuit me Dodwellus in dissert. 6. ad Irenæum p. 441. qvi etiam hanc epistolam operi, qvod *Πέτρȣ κήρυγμα* appellatum fuit, præfixam fuisse docet, & præterea observat, ea qvæ apud Lactantium Manichæismi & Arianismi suspecta sunt, ex hoc Ebionæi Scriptoris opere hausta videri. Cum enim ista Ebionæa Petri *κηρύγματα* in unum cum sacris codicibus volumen compingi solerent, Lactantius neophytus, qvi *νόθα* & *ἀντιλεγόμενα* a genuinis nondum discernere potuit, non difficulter erroresqvosdam Manichæismo & Arianismo affines ex istis Ebionæorum lacunis haurire potuit.

XXVI. Inter adversarios Ebionitarum fuit Philippus Apostolus, si vera sunt, qvæ ex passionali suo MSC. producit Florentinius in not. & exerc. ad indicul. Apostol. p. 153. his verbis: *ordinatis Clericis, Episcopis & Presbyteris vel Diaconibus atqve ecclesiis multis instructis ipse per revelationem ad Asiam reversus in civitate Hierapoli commoratus hæresin malignam Hebionitarum extinxit.*

Ad

AD CAP. VII.

De

Nazaræis.

XXVII.

AB Ebionitis ad Nazaræos in differtatione mea progressus de hebraico qvo usi sunt evangelio disserui, ostendiqve infirmas esse rationes, qvibus Simonius aliiqve Matthæum evangelicam suam historiam hebraice scripsisse contendunt. Neqve me sententiæ illius pœnitet, etsi postea viderim, qvod etiam Ellies du Pin in sua bibliothecæ ecclesiasticæ dissertatione præliminari §. 5. & Dominus de Tilmon in historia sua ecclesiastica tom. 1. part. 3. p. 973. & 1167. pro hebraico Matthæi evangelio militent. Nam ad argumenta, qvæ proferunt, in dissertatione mea jam responsum est. Nunc illud tantum addo, Pinium, etsi pro hebraico Matthæi evangelio Hieronymi autoritate utatur, in eam tamen inclinare sententiam, qvod hebraicum Nazaræorum evangelium toties ab Hieronymo memoratum à Matthæi evangelio diversum fuerit, qvæ diversitas à Tilmontio adhuc clarius asseritur & probatur, qvi etiam observat, Hieronymum, etsi latinum Matthæi textum non secundum Hebraicum sed secundum Græcum correxerit, & hoc ipso se hebraicum Nazaræorum evangelium pro authentico non agnoscere indicaverit, pluribus tamen in locis non aliter de evangelio Nazaræorum loqvi.

qvam si illud pro hebraico Matthæi evangelio habuisset, & Epiphanium qvoqve etsi in hæres.29. sect. ult. nescire se fateatur, num Nazaræi genealogiam Christi ex evangelio Matthæi resecuerint, eodem tamen loco tanqvam indubitatum asserere, qvod Nazaræi Matthæi evangelium πληρέςατον habeant. Si autem Hieronymus & Epiphanius evangelium Nazaræorum pro hebraico Matthæi evangelio venditarunt, qvod tamen ab evangelio Matthæi diversum fuisse constat, alii etiam illis antiqviores Patres, qvorum pleriqve hebraicæ lingvæ rudes fuerunt Nazaræorum evangelium falsa persvasione pro hebraico Matthæi evangelio habere potuerunt.

XXVIII. Sandius in nucleo hist. eccl. p. 4. & 5. pro commendando Nazaræorum evangelio multa affert, ut illud canonicum & ab evangelio Matthæi non diversum fuisse probet. Verum statim addit, hanc sententiam maximis difficultatibus premi, cum Eusebius & Hieronymus alicubi hoc evangelium ab evangelio Matthæi distingvant, & multa ab antiqvis Patribus ex evangelio secundum Hebræos allegentur, qvæ in hodierno Matthæi textu non occurrunt, & præterea Hieronymus in catalogo Scripr. eccl. de Matthæo agens testetur, in Nazaræorum evangelio dicta veteris testamenti non secundum versionem LXX. Interpretum sed juxta fontes hebraicos allegari, qvod de hodierno Matthæi textu dici non possit, & denique Hieronymus evangelium Nazaræorum à se græce & latine redditum asserat, & tamen in vita Matthæi incertum esse dicat, qvis evangelium Matthæi in græcum sermonem transtulerit. Ad has difficultates qvid responderi possit, videant, qvi penes Nazaræos genuinum Matthæi evangelium idqve he-

hebraice ſcriptum fuiſſe arbitrantur. Ego illud tantum moneo, penultimam Sandii difficultatem ex male intellecto Hieronymo natam videri. Cum enim Hieronymus Matthæum in dictis veteris teſtamenti non verſionem LXX. Interpretum, ſed hebraicam veritatem ſeqvi aſſerit, non de hebraico Nazaræorum evangelio ſed de græco Matthæi textu loqvitur, ut exempla docent, qvæ ibidem ex ſecundo Matthæi capite allegavit, etſi verum non ſit, qvod Hieronymus dicit, hunc Evangeliſtam, ubicunqve dicta veteris teſtamenti allegat, relicta LXX. Interpretum autoritate hebraicam veritatem ſeqvi. Cæterum qvod Sandius evangelium Nazaræorum pro canonico habitum fuiſſe ex eo probat, qvia Beda expreſſe aſſerit, illorum evangelium apocryphum non fuiſſe, futile eſt, cum Beda expreſſe addat, hoc evangelium *non inter apocryphas ſed eccleſiaſticas numerandum hiſtorias*, de qvo Bedæ judicio videantur, qvæ notavit Voſſius in diſſert. de genere Chriſti p. 18. Nec majoris momenti eſt argumentum qvod Sandius ex Hieronymi verſione arceſſit, aſſerens Hieronymum hoc evangelium nunqvam in alias lingvas tranſlaturum fuiſſe, niſi inter canonica ſcripta relatum fuiſſet, qvaſi vero omnia ſcripta, qvæ Hieronymus in alias lingvas tranſtulit, canonicis annumeranda eſſent.

XXIX. Petavius in ſuis ad Epiphanium animadverſionibus p. 54. exiſtimat Nazaræorum evangelium, qvod etiam ſecundũ Hebræos appellari ſolebat, ab evangelio Matthæi non plane diverſum, ſed depravatum tantum fuiſſe. Cum enim Epiphanius aſſeruiſſet, Nazaræos πληρέστατον Matthæi evangelium habuiſſe, Petavius animadvertit, illud Nazaræorum evangelium non purum et putum Matthæi evangelium fuiſſe. Verum huic

Petavii sententiæ se doctissimus Basnagius in exercitationibus historico-criticis p, 400. opponit, qvippe cui probabile videtur, Nazaræorum evangelium fuisse farraginem multarum traditionum, historiarum et liberiorum paraphrasiũ Matthæi et partium qvarundã ex aliis evangeliis desumptarũ, qvod probat ex fragmentis, qvæ ex evangelio secundũ Hebræos Hieronym⁹ aliiq; scriptores produxerunt, qva in re doctissimo Viro lubens assentior, non item in eo, qvod Nazaræi præter hoc secundum Hebræos evangelium etiam genuinum Matthæi evangelium ex græcis fontibus in hebraicam lingvam translatum qvin et reliqvos novi testamenti libros hebraice versos habuerint. Ita enim comparata sunt nonnulla evangelii Nazaræorum fragmenta, ut cum genuina Evangelistarum historia conciliari non possint, unde genuinum Matthæi evangelium a Nazaræis simul cum adulterino suo usurpatum probabile mihi non videtur, qvos etiam cæterorum Evangelistarum scriptis lubenter caruisse puto, cum evangelium ipsorum non ex Matthæo solum sed ex reliqvis qvoque Evangelistis compilatum fuisse innuat historia mulieris multorum criminum accusatæ, qvam Papias in Nazaræorum evangelio lectam apud Eusebium testatur, et fragmentum qvod Ignatium in epistola ad Smyrnæos ex hebraico Nazaræorum evangelio deprompsisse Hieronymus autor est. Mulier enim illa, cujus Papias apud Eusebium meminit, forte non alia est qvam adultera a Johanne cap. 8. memorata, Ignatii autem verba, qvæ ex evangelio Nazaræorum deprompta Hieronymus indicat ex verbis Christi Luc. 24. v. 39. expressa fuisse dubitare vix licet. Qvamobrem unico hoc secundum Hebræos evangelio contentos fuisse Nazaræos

ar-

arbitror. Infirma autē, nisi fallor, est Viri doctissimi consequentia, cum existimat, neminem Nazaræorū evangeliū pro authentico habiturum fuisse, si nullum aliud evangelium habuissent, qvam qvod secundum Hebræos dici solet. Cur enim evangelium Nazaræorum non pro authentico nonnulli habere potuerint, qvi minus accuratam ejus notitiam habuerunt? Sane Hieronymus in illo ipso loco, qvem Vir doctissimus allegat, nullum aliud evangelium a nonnullis pro authentico habitum asserit, qvam qvod ipse ex hebraico sermone convertit, & ex qvo passim nonnulla profert, qvæ in genuino Matthæi evangelio frustra reqvirantur.

XXX. Qvæ contra Simonium de Matthæi evangelio disserui, illis addi possunt, qvæ doctissimus Majus in examine criticæ textus N. T. c. 5. contra eundem observavit, ubi inter alia eorum rationes, qvi Matthæum evangelicam suam historiam græce scripsisse asserunt, a Simonii objectionibus vindicat. Continuat hanc controversiam c. 7. ubi inter alia animadvertit, Epiphanium de Nazaræis agentem qvadrata rotundis miscuisse, ideoqve Simonium perperam lectoribus suis persvadere conari, qvod Epiphanius satis exacte de Nazaræorum secta egerit, & c. 8. ubi sub finem capitis scribit, ex Grotii sententia Nazaræos eosdem esse cum illis Ebionitis, qvi minores vel posteriores dicti sunt. Verum differentiam inter Ebionitas majores & minores, qvæ etiam Huetio placuit, ex latina Nicephori versione non recte intellecta natam esse in dissertatione mea ex Coterlerio notavi. Unde etiam Grotius, etsi in annotationibus ad Matthæum, qvas doctissimus criticæ Simonianæ examinator allegavit, duplicis generis Ebionæos fuisse

cum

cum Origene asserat, & unum illorum genus idem cum Nazaræis fuisse statuat, minores tamen hos Ebionitas dictos & hoc nomine ab altero Ebionitarum genere distinctos non asseruit. Cum autem Vir doctissimus post Grotii sententiam recitatam statim subjicit, id ex Epiphanio colligi posse, dubio procul ista Epiphanii verba non ad stabiliendam Grotii sententiam, cui ista Epiphanii verba plane adversantur, adduxit, sed ut ea, qvæ paulo ante è Nicephoro excerpserat, confirmaret.

XXXI. Anteqvam á Grotio abeam, illud adhuc observare lubet, qvod inter veteres scriptores, qvi hebraico Matthæi evangelio usi sunt, etiam Justinum referat, qvi in dialogo cum Tryphone p. 315. memorat, qvod, cum Jesus á Johanne jam baptizandus in undam descendisset, ignis in Jordane accensus fuerit. Hoc enim ex Nazaræorum evangelio depromptum Grotius suspicatur. Verum apud Epiphanium historia baptizati Christi ex Ebionitarum evangelio aliter ac á Justino recensetur. Ibi enim hæres. 30. sect. 13. refertur, Jesu post baptismum ex aqva adscendente apertos fuisse cœlos, & vidisse eum Spiritum Dei sanctum in specie columbæ descendentis & intrantis in sese, & vocem de cœlo redditam fuisse dicentem: *tu es filius meus dilectus in te mihi complacui*, & iterum: *ego hodie genui te*, statimqve eo in loco lucem ingentem effulsisse, qva conspecta Johannem interrogasse Christum qvis esset? rursumqve vocem de cœlo lapsam dicentem: *hic est Filius meus dilectus in qvo mihi complacui* &c. Qvæ si cum Justini verbis conferantur, ignem in Jordane accensum asserentis, aliunde qvam ex Nazaræorum evangelio haustum id fuisse manifestum erit.

XXXII.

XXXII. Nazaræorum originem, ut hoc etiam addam, descripturus Ludovicus Cappellus in annotatis ad Esaiæ c. 53. p. 6. observat, plerosqve Judæos, qvi Christo nomen dederant, cum fervidissimi legis Mosaicæ zelotæ essent, nec pati possent gentiles ad Christum conversos ab observatione legis rituumqve Mosaicorum liberos vivere, ideoqve familiarius cũ iis conversari, et religiosã eorundem sacrorũ comunione societatem cum iis colere detrectarent, post Apostolorum excessum a conversis gentilibus secessionem fecisse & a Judæis pariter incredulis & a Christianis segregatos aliqvandiu mansisse, ejusqve sectæ tertio & qvarto seculo magnas adhuc reliqvias in Judæa, Syria & Asia mansisse; sed paulatim ac progressu temporis ad Judæos defecisse & in eorum castra demigrasse. Causam defectionis hanc esse dicit, qvod Nazaræis persvasum fuerit, Jesum Nazarenum e cœlis venturum, & gentem suam a jugo gentilium liberaturum, qvam expectationem, cum diu nimis protelari atqve differri viderent, odioqve adversus Christianos ob Mosaicæ legis neglectum arderent, facile eos ex desperatione & impatientia in eam descendisse sententiam existimat, ut Jesum verum esse Messiam non amplius crederent, sed cum incredulis Judæis alium Messiam expectarent, qvi id præstaret, qvod hactenus à Jesu Nazareno frustra speraverant. Sententiam autem illam de Christo e cœlis venturo & Judæos in libertatem asserturo a primis Nazaræis pia qvadam fraude confictam arbitratur, ut populares suos carnalem potius qvam spiritualem felicitatem a Messia suo expectantes tanto facilius ad sectam suam & sententiam pertraherent, illisqve persvaderent, hoc liberationis beneficium, qvod tantopere

a contribulibus suis expeti sciebant, non aliunde qvam a Jesu Nazareno in cœlum subvecto & mox inde redituro expectarent. Verum iis hac in parte contigisse dicit, qvod etiamnum hodie in religionis negotio usuvenire deprehendimus, nempe ut qvi de veritate divina & puræ doctrinæ sinceritate in eorum gratiam, qvos ad partes suas trahere nituntur, aliqvid remittunt, spe sua excidant, & potius in adversariorum castra pertrahantur, qvi nihil de rigore sententiæ suæ remittentes, eos qvos sibi aliqvid largiri & indulgere vident, tanto fortius premere atqve urgere solent. Hoc inqvam etiam Nazaræis evenisse tradit, qvi facile qvidem Judæos in veteri errore, qvem de carnali & terrena sua liberatione conceperant, confirmare, at non æqve illis persvadere potuerint, qvod hoc beneficium a Jesu Nazareno præstandum illis esset, cum potius increduli Judæi eos ad se pertraxerint, illisqve persvaserint, eum non esse verum Messiam, a cujus cultoribus lex Mosaica negligeretur, & contemtui haberetur. Verum istas Cappelli conjecturas recensuisse mihi sufficiat, judicium de illis ferendum aliis relinqventi.

AD CAP. VIII.

De

Hymenæo & Phileto.

XXXIII.

Inter hæresiarchas, qvorum errores c. 8. dissertationis meæ recensui, occurrunt Hymenæus & Philetus, qvos

 resur-

resurrectionem jam factam docuisse ex Paulinis epistolis constat. Cum autem iste Hymenæi & Phileti error non uno modo ab antiqvis Scriptoribus explicatus fuerit, varias eorum sententias enumeravi. A qvibus omnibus dissentiens Dn. Petersenius in responsione ad secundam epistolam Dn. Sandhagen novam de Hymenæi & Phileti errore sententiam hypothesi suæ de chiliasmo congruam excogitavit. Arbitratur enim Hymenæum & Philetum negasse resurrectionem primam millesimo ante universalem resurrectionem anno expectandam, & docuisse resurrectionem piorum a Prophetis promissam eo tempore jam factam esse, qvo corpora multorum cum Christo resurrexerunt. Hanc fuisse Hymenæi & Phileti sententiam primum inde probat, qvia, si universalem resurrectionem negassent, tolerati inter christianos non fuissent, neqve multorum fidem pervertere opinione tam absurda potuissent. Atqvi eum ipsum in finem Apostolus monet, hominum illorum doctrinam gangrænæ instar vitandã esse, ut christiani de salute sua soliciti illorum commercia vitarent & ab illis qvoq;, qvi universalẽ mortuorum resurrectionem negant, multorum fidem perverti, Corinthiorum exemplum abunde docuit.

XXXIV. Deinde urget, dici non posse, qvod Hymenæus & Philetus nullam plane resurrectionem crediderint, cum alioqvi dicere non potuissent, qvod resurrectio jam facta fuerit, & per hanc resurrectionem, qvam factam dixerunt, intelligi non posse universalem, cum Hymenæus & Philetus se aliosqve nondum mortuos cognoscerent, neqve spiritualem a peccatis, cum illa perpetua sit neqve ἤδη facta dici possit, unde ulterius concludit, Hymenæi & Phileti sententiam hanc fuisse,

qvod Christianis non esset expectanda prima resurrectio ad fruitionem regni chiliastici, cum illa resurrectio jam resurgente Christo multisqve Sanctis cũ ipso resurgentibus facta fuerit. Et lubens qvidem concedo, Hymenæū & Philetum non omnem plane resurrectionem negasse, præsertim si resurrectionis nomen tam late accipiatur, ut qvamvis renovationē ac instaurationē complectatur. Sunt enim qvi existimant, Hymenæum & Philetum per resurrectionem τὰς ἐκ παιδοποιΐας διαδοχάς, ut Theodoreti verbis utar, vel etiam Israelis ex captivitate babylonica liberationem, vel animarum in alia atqve alia corpora transitum intellexisse statuunt. Non invitus etiam concedo, qvod resurrectionem universalem Hymenæus & Philetus non intellexerint, cum resurrectionem jam factam docuerunt. Hanc enim resurrectionem non magis factam qvam futuram crediderunt. Neqve pro certo asseverare audeo, qvod Hymenæus & Philetus resurrectionē in regeneratione per baptismum & pænitentiā jam factam asseruerint, interim ista Augustini & pseudo-Anselmi sententia mihi non improbabilis videtur. Etsi enim hæc resurrectio nondum cessaverit, ἤδη tamen facta dici potest, qvia fieri cœpit. Et hæc sententia non sine aliqva veri specie ab istis pseudapostolis proferri potuit, cum ipsa scriptura regenerationem & renovationem nostram cum resurrectione conferre soleat. Esto autē non speciosam fuisse hanc Hymenæi & Phileti sententiam, minime tamen inde inferri posset, ut Domino Petersenio visū est, qvod ejusmodi sententia parū speciosa neminem a veritate abducere potuisset. Sæpe enim aliqvi per absurdissimas opiniones a veritate se abduci patiuntur. Qvamobrem

non opus erit, ut Hymenæi & Phileti errorem in chiliaſmi negatione poſitum fuiſſe dicamus.

XXXV. Imo vero opus erit, regerit Peterſenius; qvia Paulus in præcedentibus verbis fideles cum Chriſto regnaturos dixit, qvod in prima reſurrectione futurum aliaScripturæ loca indicant. Verum de regno aliqvo chiliaſtico hicPaulum loqvi æqve minus probari poteſt, qvam qvod Chriſti regnum & fidelium cum Chriſto regnante communio in æternitate nullum amplius locum habeat. Nam qvæ pro illa ſententia allegantur Scripturæ dicta alium plane ſenſum habent, ut Theologi noſtri & orthodoxi Scripturæ interpretes prolixius oſtenderunt, qvorum commentaria hic repetere inſtituti mei ratio minime permittit.

XXXVI. Facere præterea pro ſua ſententia exiſtimat Dominus Peterſenius particulam oſtenſivam τὴν non ſine emphaſi a Paulo repetitam, cum dicit, qvod Hymenæus & Philetus docuerint, τὴν ἀνάςασιν illam reſurrectionem jam factam eſſe, & qvod hac doctrina τὴν τινῶν πίςιν illam qvorundam fidem perverterint. Verum articulum præpoſitivum non ſemper eſſe particulam oſtenſivam notum eſt, & ſi concedatur, qvod hoc loco certi aliqvid oſtendat, minime tamen ſeqvitur, per τὴν ἀνάςασιν illam reſurrectionem, qvam chiliaſtæ ſomniant, & per τὴν τινῶν πίςιν fidem de regno chiliaſtico intelligi. Potius enim Paulus per τὴν ἀνάςασιν intelligit reſurrectionem illam, qvam Prophetæ & Chriſtus & ejus Apoſtoli futuram toties prædixerant, & qvam Chriſtiani in fine mundi futuram ſciebant, Hymenæus autem & Philetus non amplius ex-

pectandam sed jam factam esse fingebant, aliqvorum de universali mortuorum resurrectione fidem doctrina sua pessima pervertentes.

XXXVII. Non est igitur cur Petersenius omnes a se dissentientes cum Hymenæo & Phileto comparet, eosqve gangræna periculosi & perversi dogmatis laborare arguat, contra vero doctrinam de chiliasmo commendet, eamqve imprimis hac nostra ætate ob tentationum & tribulationum incrementa diligenter inculcandam asserat, qvasi nulla spes christianis reliqva maneat, nisi se per mille annos cum Christo regnaturos sibi persvadeant, omnisqve christianorum in pietate cursus impediatur, si hujus coronæ spes illis adimatur. Qvod me capere non posse lubens fateor. Si enim vere tale regnum, qvale ipse fingit, sperandum esset, exiguum tamen foret hoc ex sperata mille annorum felicitate solatium, præ illo qvod ex æternæ felicitatis mediatione nascitur. Sane multæ christianorum myriades in maximis tribulationibus sine ulla chiliasmi spe summo gaudio perfusæ sunt, qvod animas suas a corporibus discedentes ad Dominũ proficisci & in extremo die corpora sua ad immortalem vitam excitatum iri, adeoqve se apud Dominum semper futuros & æterna gloria fruituros crederent. Cæterum etiam Valentiniani resurrectionem jam factam esse dixerunt, ut testatur Tertullianus de præscript. c. 33. Neqve tamen Tertullianus, etsi chiliasmo addictus esset, Valentinianorum errorem in eo positum asserit, qvod chiliasmum negaverint, sed in tractatu adversus Valentinianos eorum de resurrectione sententiam longe aliter explicat.

AD CAPUT IX.

de

Nicolao & Nicolaitis.

XXXIIX.

IN ultimo ſectionis primæ capite de Nicolao & Nicolaitis egi, ex qvorum officina Clementis Romani epiſtolam qvintam decretalem prodiiſſe Chriſtianus Maſſæus in chronico ſuo aſſeruit, cujus verba a Blondello in pſeudo-Iſidoro & Turriano vapulantibus p. 99. allegantur. Nec alia eſt Poſſevini ſententia, qvippe qvi in apparatu ſuo p. 371. communionem uxorum in illa Clementis epiſtola aſſertam non Clementis ſed Nicolai hæreſiarchæ fuiſſe agnoſcit. Impudentior ergo fuit, qvi Clementi Romano hanc epiſtolam ſuppoſuit, qvam qvi ſub ejus nomine recognitiones apoſtolicas compoſuit. Nam in recognit. apoſtolic. l. 10. p. 153. Fauſtinianus diſſerit, omnia amicorum communia eſſe debere, & in his omnibus etiam uxores comprehendi. Clemens autem hanc Fauſtiniani ſententiam refutans introducitur. At in Clementis epiſtola prædicta ipſi Clementi impia iſta ſententia tribuitur, qvam etiam Gratianus ſub Clementis nomine corpori canonico inſerere non dubitavit cauſ. 12. qv. 1. c. *dilectiſſimis.*

XXXIX. Turrianus in prolegomenis ad conſtitutiones apoſtolicas canonem de conjugio Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, qvem Nicetas

Pecto-

Pectoratus in libro suo contra latinos ex sexto apostolicarum constitutionum libro allegavit, a Nicolaitis Apostolis suppositum fingit, & præterea observat, canonem illum in hodiernis constitutionibus l. 6. c. 17. aliter exprimi qvam á Niceta allegatus fuit. Sed neqve ista Turriani de Nicolaitis sententia prolixa refutatione eget, neqve longo labore opus est, ut, unde illa canonis a Niceta allegati in hodiernis constitutionibus mutatio manaverit, indagemus.

Ad Sectionis II.
Cap. I. & II.

De

Saturnino & Basilide.

XL.

AD Florinum scribens Irenæus apud Eusebium lib. 5. c. 20. de S. Polycarpo refert, qvod impia hæresiarcharum dogmata audiens aures suas obturare & exclamare solitus fuerit: Deus bone in qvæ tempora me reservasti! Fuit autem inter istos hæreticos, qvi Polycarpo ejusmodi suspiria expresserunt, dubio procul etiam Saturnin⁹, qvippe qvi illo ipso tempore emersit, qvo Irenæus juvenis in senis Polycarpi contubernio magna pietatis & doctrinæ incrementa fecit. Idem dicendum de Basilide, Valentino, Cerdone, Marcione, aliisqve hæresiarchis Polycarpi tempore sive simul

mul cum Saturnino, sive brevi post Saturninum spatio exortis.

XLI. Et Basilidem qvidem sub Hadriano mortuum negat Cotelerius; ut in dissertatione nostra indicavimus, ideoqve apud Hieronymum in catal. Script. eccl. de antagonista Basilidis Agrippa Castore agentem non legendum existimat: *mortuus est Basilides temporibus Hadriani* sed: *moratus est*, qvæ lectio optime convenit cũ chronico Eusebiano Hieronymi, in qvo Basilides sub Hadriani imperio commoratus dicitur. Contra Dodwellus in dissertatione 3. ad Irenæum p. 247. non Hieronymi catalogum sed Chronicon emendandũ esse putat & pro *commoratur* legendum *commoritur*. Verum non opus esse arbitror, ut vel Hieronymi catalogum vel chronicõ emendemus, cum Basilides sub Hadriani imperio per plures annos commorari & sub eodem mori potuerit.

XLII. Est apud Virgines Monstrolienses magnoqve concursu colitur imago Christi ad cujus infimam partem apposita legitur inscriptio, cujus characteres incognitos sibi fatetur Mabillonius in mus. ital. part. 1. p. 89. ubi characteres illos exhibet animadvertens, e prioribus literis qvodammodo conjici posse, qvod Basilidis Abraxas seu Abrasax designatus fuerit. Verum cum tabella illa amuleti instar collo appendi non possit, & in superiori illius parte venerandum Jesu Christi nomen compendiosis literis expressum videatur, non dubitat, qvin hæc imago ad sacras referri debeat. Interim non desunt alia vetera monumenta, qvæ illud Basilidis numen exprimunt, cujusmodi non pauca a Chifletio in Abraxa Proteo collecta fuisse in dissertatione nostra notavimus. Alia qvædam non ita pridem

exhibuit dominus Moulinet in tractatu gallico varias antiqvitates sacras & profanas exhibente, ex qvo nonnulla afferre constitueram. Verum cum ille tractatus, qvi inscribitur: le cabinet de la bibliotheqve de S. Genevieve, non amplius mihi sit ad manus, sufficiat unius tantum gemmæ Basilidianæ inscriptionem adduxisse, qvam Domin⁹ du Cange ex museo P.P. Canonicor. regular. S. Genovefæ Parisiensis in latino suo glossario transcripsit: ΑΒΡΑΣΑΞ ΑΔΩΝΑΙ ΔΑΙΜΟΝΩΝ ΔΕΞΙΑΙ ΔΥΝΑΜΕΙΣ ΦΥΛΑΞΑΤΕ ΟΥΑΒΙΑΝ ΠΑΥΛΕΙΝΑΝ ΑΠΟ ΠΑΝΤΟΣ ΚΑΚΟΥ ΔΑΙΜΟΝΟΣ.

XLIII. S. Ambrosius in tract. de incarnat. c. 2. Basilidi eandem cum Paulo Samosateno de Christo opinionem tribuere videtur. Cum enim dixisset: *dicitur hoc Manichæo & Valentino qui non putaverunt veritatem carnis humanæ a Christo fuisse susceptam*, statim subjicit: *Paulus qvoqve Samosatenus & Basilides in eadem sententia forte numerantur.* Verum cum Paulus Samosatenus Christum merum hominem esse docuerit, Basilides vero carnem Christo phantasticam attribuerit, diversa eorum de Christo sententia fuisse deprehenditur. Qvamobrem verba Ambrosii non sic intelligi debent, qvasi Paulo Samosateno & Basilidi unam prorsus eandemqve opinionem tribuerit, verum hæc potius Ambrosii mens est, qvod sententia illa, qvam in præcedentibus verbis sæpius jam inculcaverat: *si recte offeras, non recte autem dividas, peccasti*: eadem condemnatione Paulum Samosatenum & Basilidem feriat, cum neuter de persona Christi recte senserit.

Ad

AD CAP. III.

De

Carpocrate & Epiphane.

XLIV.

CArpocratianos omnium hæreticorum primos christianorum nomine abusos Baronius asseruit, ejusqve reitestem Epiphanium allegavit. Verum neqve Epiphanium hoc affirmasse, neqve primos ex hæreticis Carpocratianos christianorū nomen sibi adaptasse in suis exercitationibus p. 427. clarissimus Basnagius ostendit, qvi etiam p. 366. Carpocratis ætatem cum Cerinthi ætate conferens Carpocratem Cerintho anteponendum arbitratur. Et negari qvidem non potest, qvod Irenæus aliiqve veteres Scriptores in hæreticorum ordine Carpocratem Cerintho antepofuerint. Neqve tamen inde seqvi arbitror, qvod Cerinthus Carpocrate junior fuerit. Sane Ipse Vir clarissimus p. 428. observat, Nicolaitas Carpocratianis natu majores fuisse, & tamen Nicolaum Carpocrati ab Irenæo aliisqve antiqvis scriptoribus postpositum deprehendimus.

XLV. Qvæ de christianis Ægyptum incolentibus tradidit Adrianus Imperator in epistola ad Servianum, qvam ex Phlegonte transcriptam Saturnini vitæ Vopiscus inseruit, de Carpocratianis & Basilidianis interpretari Baronium in dissertatione nostra diximus. At Casaubonus in notis ad hanc epistolam arbitratur, eorum levitatem his Imperatoris literis occasionem

præbuisse, qvi Imperatore in Ægyptum veniente religionem christianã mutare, aut intermissa ejus professione ad tempus dissimulare veriti non fuerunt. Observat præterea Ægyptios multa veritati minus congrua Imperatori persvasisse, qvin etiam hanc epistolam a sciolo qvodam interpolatam suspicatur, etsi Salmasius in eandem epistolam commentans istam suspicionem falsam esse statuat. Qva de re nunc operose disputare ab instituti nostri ratione alienum est. Interim non inviti Larroqvano subscribimus, qvi in observationibus ad Pearsonianas Ignatii vindicias multa cum veritate pugnantia, & crassissimam rerum christianarum ignorantiam prodentia in ista Adriani epistola legi animadvertit, qvale est illud, qvod Patriarcha in Ægyptum veniens ab aliis Serapim ab aliis Christum colere cogatur. Sive enim per illum Patriarcham cum Salmasio Episcopum Alexandrinum intelligamus, sive cum Pearsonio in vindiciis epistolarum Ignatii part. 1. p. 174. Patriarchã Judæorum, in qvam sententiam etiã Seldenus in notis ad Eutychii origines Alexandrinas p. 10. intimat, utraqve sententia suis incommodis laborat. Neqve enim Episcopi christiani se ad Serapidis cultum cogi permisissent, neqve christianis Judæorum Patriarcham ad suam religionem cogere licuisset, qvin etiam si tanta christianorum potentia illa ætate fuisset, usuri tamen illa minime fuissent, cum religionem cogi a vera religione alienum existimarent.

XLVI. Ad ea qvæ de Carpocratianorum philtris magicis, nec non paredris & oneiropompis, qvos sibi conciliarunt, dæmonibus, aliisqve maleficis artibus qvibus non minus ac Basilidiani addicti fuerunt, dixi, hoc

can-

tantum addo, qvod Imperator qvoqve Adrianus, ſub cujus imperio Baſilides pariter & Carpocrates vixerunt, variis divinationibus & magicis ſacris uſus fuerit, cujus rei teſtis eſſe poteſt ejus annulus argenteus, qvem ex dactyliotheca Gorlæi Chiffletius in Abraxa Proteo p. 61. repræſentat, ubi non dubitat illum Adriani annulum magicum fuiſſe.

XLVII. Carpocratis filius fuit Epiphanes cujus Irenæum libr. 1. c. 5. meminiſſe Pearſonius animadvertit. Cum enim latinus Irenæi Interpres dicit: *alius vero qvidam, qvi & clarus est Magister eorum &c.* Pearſonius eleganter conjecit, græca Irenæi verba ita ſe habuiſſe: ἄλλος δέ τις ὁ καὶ Ἐπιφανὴς διδάσκαλος αὐτῶν, qvæ verba exemplaris ſui margini adſcripſit, ut Dodwellus in diſſert. 4. ad Irenæum p. 340. indicat, qvi hanc Pearſonii conjecturam additis nonnullis rationibus confirmat. Neqve mirum, qvod latinus Irenæi interpres in voce ἐπιφανὴς nomen proprium latere non animadverterit, cum alios qvoqve interpretes ſubinde ex nominibus propriis appellativa feciſſe conſtet, qvemadmodum etiam nonnulli ex appellativis propria fecerunt, qvod Leunclavio Glycæ interpreti contigit, cum Neronis pincernam a Paulo converſum Eperaſtum appellat, etſi Labbeus in illo Glycæ loco vocem τοῦ ἐπεράστου non proprium ſed adjectivum eſſe obſervaverit. Divinos autem honores qvibus Epiphanem in urbe Same cultum Clemens Alex. tradita a diſcipulis potius qvã à civibus illius urbis ipſi præſtitos fuiſſe idem, qvem paulo ante laudavimus Dodwellus p. 348. &. ſeqv. probavit.

AD CAP. IV.

De

Cajanis, Sethianis & Ophitis.

XLVIII.

QVartum sectionis 2. caput in dissertatione mea calami errore bis occurrit, qvem in sectionis hujus indice, cum aliter non possem, ita correxi, ut caput hoc in duas sectiones diviserim. Et in priori qvidem hujus capitis sectione de Prodico & Adamianis, nec non de Qvintillianis & Cainianis egi. Et Cainianos qvidem, qvos aliqvi etiam Cainos, Cajanos vel Cajanistas appellant, à Caino, qvi in magno apud illos pretio fuit, ita dictos minime dubito. Bolducius autem in tractatu de ecclesia post legem Cajanos ex Cinæis pullulasse tradit, qvorum institutum à Kenan filio Enos ortum suum habuisse dicit. Qvod cum absqve ulla ratione asserat, nescio an qvisqvam sit sententiam ejus amplexurus.

XLIX. Sethianis forte originem suam debet liber nomine Sethi inscriptus, cujus Autor imperfecti operis in Matthæum c. 2. meminit, ex apocrypha illa scriptura referens, fuisse gentem in oriente ad Oceanum, in qva semper duodecim homines per singulos annos post messem in monte qvodam, qvi victorialis dictus est, ascenderint, ibiqve se lavantes per triduum in silentio oraverint Deumqve in silentio laudaverint, & singularem qvandam stellam genti suæ ex longa traditione pro-

promissam expectaverint; donec ista stella super montem victorialem illis apparuerit formam habens pueri parvuli crucem super se habentis, qvæ stella etiam eos allocuta & adhortata dicitur, ut in Judæam proficiscerentur. Additur istos viros patria lingva Magos dictos fuisse, qvod in silentio & voce tacita Deum glorificaverint, iisqve in Judæam proficiscentibus stellam eos præcessisse, & neqve escam neqve potum in peris eorum defecisse.

L. Inter scriptores antiqvos, qvi Ophitarum meminerunt, est etiam Clemens Alexandrinus, qvi libr. 7. strom. p. 549. Ophianos illis hæreticis annumerat, qvi nomina sua a rebus, qvas honoraverunt, adepti sunt. Num vero Clementi Alexandrino visum fuerit, non absurde statui, qvod ista Ophianorum de cultu serpentis sententia ab ethnicis hausta fuerit, qvam opinionem Ligthfootus in Erubhim c. 48. Clementi tribuit, me dubitare fateor. Etsi enim Clemens Alexandrinus in admonitione ad gentes p. 7. scribat, signum orgiorum Bacchicorum esse serpentem, & vocem Εὐία, si spiritu aspero notetur, in lingva Hebraica, pro qva chaldaicam nominare debuisset, serpentem notare, ad qvem Clementis locum etiam ab Eusebio libr. 2. de præpar. evang. c. 3. allegatum Lightfootus procul dubio respexit, nulla tamen ibi Ophitarum mentio occurrit.

LI. Inter scripta Ephræmi Syri, qvæ Ebed Jesu in suo catalogo c. 60. enumerat, occurrunt ejus disputationes contra Hophitas seu Ophitas, qvi leg. penult. Cod. de hæreticis in eorum hæreticorum numero habentur, qvibus omnis testandi facultas adimitur, omnisqve legitimus actus interdicitur. Cujusmodi lex etiam

etiam in Basilicis libr. 21. p. 524. legitur, ad qvem locum scholiastes p. 581. notat, qvod Ophitæ sint οἱ τὸν ὄφιν δοξάζουσιν, καὶ τοῦτον Χριστὸν ἡγοῦνται, ἔχοντες φύσει ὄφιν τὸν ἕρποντα ἐν κιστέρνῃ τινί, h. e. qvi serpentem colunt eumqve Christum arbitrantur habentqve verum serpentem reptantem in cisterna qvadam.

AD CAP. V.
De
Valentino.

LII.

Ad Valentinianos pergimus, in qvos tanqvã cloacam vel sentinam omnium veterum hæreticorum sordes confluxerunt. Unde Irenæus ab Amico, qvem Dexter in chronico ad A. C. 185. sect. 5. Turibiũ Toletanũ fuisse fingit, rogatus, ut Valentinianorum mysteria proderet in opere suo adversus hæreses, etiam antiqviores hæreses recensuit, & eversis Valentinianorum deliriis etiam antiqviores hæreses eversas pronunciat. Ita autem Valentinus ex antiqvioribus hæresibus suam effinxit, ut eum antiqvas hæreticorum doctrinas εἰς ἴδιον χαρακτῆρα μεθαρμόσαι Irenæus libr. 1. c. 5. asserat, cujus phraseos emphasin Dodwellus in dissert. 4. ad Irenæum prolixius explicat, qvi etiam in eadem dissertatione p. 337. & seqv. de ætate Valentini disputat, & Tertul-

tullianum, qvi Valentini ætatem usqve ad Eleutheri pontificatum producit, Eleutherum pro Aniceto ex errore posuisse minime dubitat, cum Valentinum usqve ad Aniceti tempora permansisse Irenæus tradiderit.

LIII. De Æonibus Valentini, qvos Irenæus, Tertullianus aliiqve commemorant, observare licet, qvod multa eorum nomina ex Johannis evangelio deprompta videantur. Cum autem pleriq; veterũ triginta æones a Valentino assertos referant, etiam apud Ambrosium in epistola ad Theodosium, qvæ in antiqvioribus editiobus est 29. in recentioribus 17. in recentissima 40. Romani editores verba Ambrosii ita expresserunt: *vindicabitur etiam Valentinianorum fanum incensum? Qvid est enim nisi fanum, in qvo est conventus gentilium? licet gentiles duodecim Deos appellent, isti triginta æones colant, qvos appellant Deos.* Verum manuscripti codices & veteres editiones in hoc Ambrosii loco triginta & duos æones posuerunt, qvem numerum etiam Benedictini in novissima Ambrosii editione retinuerunt. Cum enim Augustinus in libello de hæresibus asserat, ex Valentinianorum assertione omnes illos æones ex Bytho & Sige generatos, utrumqve hunc æonem ab Ambrosio reliqvis annumeratum arbitrantur. Cæterum in hoc Ambrosii loco refertur, monachos, qvi inter psalmorum cantus ex consvetudine usuqve veteri ad celebritatem Maccabæorum Martyrum pergebant, cum Valentiniani iter prohiberent, hac insolentia motos eorum fanum in qvodam rurali vico tumultuarie conditum incendisse. Valentinianorum autem æonum multiplicationem salse irridet Tertullianus libr. 1. contra Marcionem, ubi Marcionem cum Valentino comparans, *honestior*, inqvit,

& liberalior Valentinus, qui simul duos concipere ausus est Bythum & Sigen, cum usqve ad 30. æonum fœtus tanqvam Æneiæ scrofæ examen divinitatis effudit.

LIV. Fuit olim apud Græcos dialogus Origenis & Candidi Valentiniani, qvos in hoc dialogo andabatarum more digladiatos se spectasse refert Hieronymus apolog. 2. in Rufin. qvi Candidum docuisse addit, qvod Filius sit de Patris substantia, in eo tamen errasse, qvod προβολὴν asseruerit. Προβολὴν autem Valentinus ejusmodi productionem appellavit, qva procreatum ab æonibus Jesum asseruit, docens unumqvemqve æonum qvod habebat præstantissimum Patre comprobante contulisse, & inde novum qvendam fœtum nempe Jesum prodiisse, ut apud Epiphanium in hæres. 31. sect. 13. legitur. Cujus προβολῆς mentionem fecit etiam Arius hanc Valentini doctrinam improbans in epistola ad Alexandrum Alexandrinum Episcopum, qvæ extat apud Athanasium in tract. de synod. Arim. & Seleuc. & Epiphanium hæres. 69. sect. 7. ad qvem locum Petavius videri poterit Marianum Victorium refellens, qvi statuit προβολὴν idem ac ἐξοχὴν seu excellentiam denotare, & Candidum Valentinianum in eo errasse, qvod Patrem Filio excellentiorem dixerit.

LV. Eutychius Alexandrinus Patriarcha in annalibus suis tom. 1. p. 440. refert in concilio Nicæno Episcopos 2048. religionibus & sententiis inter se discrepantes convenisse. Et in horum numero etiam qvosdam fuisse dicit, qvi statuerent, virginem Mariam Christum haud qvaqvam per novem menses utero gestasse, verum ipsum per uterum ipsius instar aqvæ per canalem transiisse, & Verbum per au-

rem

rem ipſius ingreſſum ibi ſtatim exiiſſe ubi infantes egredi ſolent, & hanc ſententiam Eliani ejusqve ſeqvacium fuiſſe. Per Elianum autem Valentinum intelligi in indicibus huic Eutychii operi præmiſſis latinus iſtorum annalium interpres Pocokius obſervavit.

LVI. Inſigne fragmentum Valentini de cauſa mali legitur in dialogo Origenis contra Marcionitas. In iſto fragmento Valentinus refert, ſe atrocia qvædam hominum ſcelera vidiſſe, & in cauſas tantorum flagitiorum inqviſiviſſe, & Deo qvidem ſe horum malorum cauſam imputare minime potuiſſe, bono qvippe & rerum bonarum creatori, cui nihil pravi ineſt, & qvi malis gaudere non poteſt, ſed potius originem illorum & propaginem prohibet: Qvocirca ſibi viſum eſſe dicit, coexiſtere Deo materiam ex qva ea, qvæ ſunt, procreavit. Et ex hac materia etiam mala eſſe dicit, cum Deus pulcherrimas materiæ partes a peſſimis diſtinxerit, feculenta autem reliquerit, cum ad opificium inepta eſſent. Et ex his mala in homines diffluere opinatur.

LVII. In codice Theodoſiano tit. de hæreticis leg. 65. Theodoſius & Valentinianus Valentinianos hæreticos in illa hæreticorum claſſe ponunt, qvibus omnis in Romano ſolo conveniendi orandiq; facultas adimitur. Simili Zelo adverſus Valentinianos flagravit Theodoſius ſenior. Nam ejus pietas Valentinianos excluſit & omni conventiculorum copia privavit, ut teſtatur Ambroſius in epiſtola ſuperius allegata. Patres autem concilii 6. in Trullo habiti can. 95. Valentinianos illis hæreticis accenſent, qvos ad eccleſiam venientes non ſine baptiſmo recipi decernunt. Ad qvem canonem Balſamon notavit, Valentinianos eſſe, qvi

 Valen-

Valentis Imperatoris tempore inventi sunt Bogomili, seu Massaliani & Euchitæ & Enthusiastæ. Similia de Valentinianis tradit Blastares in syntagm. alphabetico c.2. Dicit enim Valentinianos dici, qvod temporibus Valentini & Valentis pullulaverit secta Bogomilorum sive Massalianorum. Verum hanc Valentinianorum descriptionem minus accuratam esse manifestius est, qvam ut illi refutandæ opus sit immorari, qvamobrem ad colonias ex Valentini metropoli deductas pergimus.

AD CAPUT VI.

de

Valentini asseclis & Discipulis.

LIIX.

Fuit autē inter asseclas & discipulos Valentini præter Ptolomæum, cujus dogmata ab Irenæo l.1.c.1. recenseri Dodwell[9] in dissert. ad Iren. p.318. statuit, Secundum, Heracleonem & Colarbasum, Marcus in qvem jambos qvosdam ab Irenæo recensitos veterem qvendam scriptorem composuisse observavi. Autorem autem istum fuisse Pothinum Irenæi in Lugdunensi episcopatu successorem idem Dodwellus p. 292. suspicatur.

LIX. Referri etiam inter Valentini asseclas solet Florinus a qvo Floriniani seu Floriani, ut qvidam putant, appellati sunt, etsi forte Floriani potius a Flora, ad qvam teste Epiphanio Ptolomæus scripsit, nomen

suum

suum acceperint. Prolixe satis de hoc Florino agit Dodwellus in differt.6. ad Irenæum, ac primum qvidem Baronium refutat, qvi a Florino & Blasto occasionem Irenæo datam asserit, ut opus suum adversus hæreses scriberet; qvam Baronii sententiam ex Theodoretò probari non posse ostendit. Deinde observat Florini sententiam, qva Deo malorum causam imputavit, nihil cum Valentinianis commune habuisse, sed inde potius originem traxisse, qvod Valentinianis aliisqve hæreticis contradicens, unumqve Deum asserens, ad impiam illam conseqventiam se adigi passus fuerit, ut mala qvoqve a Deo ortum habere statuerit, cum ex adverso hæretici alii Deo sumo inferiora qvædam principia adjungerent, qvibus malorum in mundo causam tribuebant. Et huic Florini errori opposuit Irenæus tractatum de monarchia, qvo Deum non esse malorum causam adversus novam Florini hæresin probavit. Non tamen negat Dodwellus, Florinum postea ad Valentinianorum castra transiisse, & vel omissa decade & dodecade tantum ogdoadem ex 30. Valentini æonibus elegisse, vel aliam & diversam a Valentiniana ogdoadem introduxisse, & hinc Irenæum Florino etiam librum suum de ogdoade seu octonario opposuisse.

LX. Blastum non minus ac Florinum ad Valentini pestem declinasse tradit Theodoretus libr. 1. c. 23. de hæret. fab. qvi etiam c. 25. Blastum inter eos nominat, qvi diversas qvidem hæreses comenti, cuncti tamen ex Marcionis blasphemiis erroris occasionem arripuerunt. Contra, si Paciano in epistola 1. ad Sympronianum fides adhibenda esset, Montanistam fuisse Blastum dicendum esset. Cum autem Tertullianus seu autor appendicis

ad Tertullianum de præscript. Blastum arguat, qvod Judaismum latenter introducere conatus pascha eodem cum Judæis tempore necessario celebrandum docuerit, merito ecclesias illas Asiaticas, qvæ eodem cum Judæis tempore pascha celebrarunt, a Victore excommunicatas nonnullis visum est. Qvod ut plenius intelligatur, controversiam de tempore celebrandi paschatis, qvæ seculo secundo inter ecclesias qvasdam agitata fuit, paucis exponemus, qvod ab instituto nostro etiam eo nomine non alienum est, qvia Florinum & Blastum huic certamini occasionem dedisse Dodwellus in dissert. 3. ad Iren. asserit, cum illi etiam Romæ pascha Judæorum & Asiaticorum more celebrandum censuissent.

LXI. Nimirum ecclesiæ qvædam luna 14. mensis primi pascha celebrandum statuebant, in qvemcunqve hebdomadis diem tempus illud incidisset. Aliæ contra die dominica paschale festum agere solebant. Qvi priorem consvetudinem observabant, eam a Johanne, Philippo & viris qvibusdam apostolicis se accepisse obtendebant, ut ex Polycratis ad Victorem epistola manifestum est. Nec minus ad apostolicam traditionem provocabant, qvibus posterior consvetudo magis arridebat, unde & Eusebius libr. 5. hist. eccl. c. 23. morem die dominica pascha celebrandi ex apostolica traditione a plerisqve per totum orbem ecclesiis observatum refert.

LXII. Et favet qvidem huic posteriori consvetudini canon septimus apostolicus qvo Episcopi, Presbyteri vel Diaconi pascha cum Judæis celebrantes deponi jubentur. Qvorsum etiam facit canon 70. qvo Episcopi Presbyteri vel Diaconi aliive Clerici, si cũ Judæis jeju-

jejunent, vel cum ipsis festos dies agant, vel ab ipsis festi Xenia ut verbi gratia azyma vel tale qvid accipiant, deponi, laici vero, si tale qvid committant, segregari jubentur. Non minus huic consvetudini favent constitutiones apostolicæ, qvæ libr. 5. c. 16. christianis injungunt, ne tempus celebrandi pascha amplius cum Judæis observent, nec ullam cum illis communitatem habeant.

LXIII. Contra alteri consvetudini pascha eodem cum Judæis tempore celebrandi favebat antiqva constitutionum apostolicarum editio qvalis Epiphanii tempore extabat. In illa enim christiani monebantur, ne temporum rationes subducerent, sed simul cum fratribus ipsorum, qvi ex circumcisione erant, pascha celebrarent, ut Epiphanius hæres. 70. n. 10. testatur, qvi etiam refert Audianos apostolicæ hujus constitutionis autoritate pascha cum Judæis celebrasse. Verum neqve illas constitutiones, qvas Epiphanius habuit, neqve hodiernas, qvas Bovius & Turrianus in lucem produxerunt, ab Apostolis sancitas fuisse certum est, ideoqve non magis ex illis constitutionibus probari potest, qvo tempore pascha celebrari debeat, qvam ex actis Pilati probari poterat, qvo die Christus passus fuerit. Etsi enim & qvartadecimani Christũ 8. cal. Apr. passum, & orthodoxi 15. cal. Aprilis Christi passionem contigisse ex Pilati actis probare conarentur, acta tamen illa, qvæ penes christianos vel erant vel esse dicebantur, partim spuria partim plane fictitia & imaginaria fuisse non levia produnt indicia, ut in dissertatione sua de legione fulminatrice observavit Daniel Larroqvanus, qvem ante paucos annos & museum meum & auditorium & mensam præsentia sua dignatum non

sine

ſine delectatione recordarer, niſi jucundam illius temporis memoriam ſiniſtri de illo rumores perturbarent.

LXIV. Solent præter canones & conſtitutiones apoſtolicas alii qvoqve teſtes allegari ab illis, qvi diem dominicam ab ipſis Apoſtolis feſtivitati paſchali deſtinatam probare contendunt. Adducunt enim duas epiſtolas Victoris Epiſcopi Romani unam ad Deſiderium, ſeu ut aliqvi legendum exiſtimant, Dionyſium Viennenſem, & alteram ad Paracodam, qvas ex Floriacenſis bibliothecæ monumentis Johannes a Boſco primus edidit, ac poſtea ſuis annalibus ad A. C. 98. Baronius, ſuo pſeudo-Iſidoro Blondellus p. 232 aliiqve aliis operibus inſeruerunt. Nam in his epiſtolis ritus die dominica paſcha celebrandi tanqvam ab Apoſtolis inſtitutus commendatur, qvod etiam factum legitur a Wilfrido apud Bedam hiſtor. eccleſ. gentis Angl. libr. 3. c. 25. & a Ceolfrido apud eundem Bedam libr. 5. c. 22. & ab ipſo Beda in retractat. act. apoſtol. c 20. Nam illas Victoris epiſtolas pſeudepigraphas eſſe Labbeus T. I. concilior. p. 595. Godeavius tom. I. hiſtor. eccleſ. p. 307. & alii agnoſcunt. Neqve, ſi epiſtolæ illæ genuinæ forent, Victor in propria cauſa teſtis audiendus eſſet. Wilfridi autem, Ceolfridi & Bedæ teſtimonia recentiora ſunt, qvam ut illis tuto inniti poſſimus, & longe verior eſt Socratis ſententia qvi libr. 5. c. 22. aſſerit, neqve Chriſtum neqve Apoſtolos lege aliqva Paſchatis feſtum obſervandum præcepiſſe, ſed feſtorum tempora eccleſiæ arbitrio reliqviſſe.

LXV. Praxin autem Apoſtolorum qvantum attinet, Scaliger libr. 2. de emendatione temporum p. 150. aſſerere non dubitat, qvod in primordiis eccleſiæ Apo-

Apoſtoli,& qvi eos centum annis poſtea ſecuti ſunt, paſcha ſemper judaice celebraverint,cujus rei teſtes allegat Euſebium, hiſtoriam veterem eccleſiaſticam & Nicephorum. Loca autem Euſebii & Nicephori non indicavit, neqve, ut puto, indicare potuit. At nec Beveregius probare poterit, qvod libr. 2. codicis canonum vindicati c. 3. n. 3. veriſimillimum videri aſſerit, nempe aliquem ſi non plures ex Apoſtolis vel exemplo vel præcepto tradidiſſe, quod canon 7. apoſtolicus decernit. Mihi ſane magnam eccleſiæ naſcentis cum judaicis ritibus conformitatem contemplanti veriſimilius videtur Apoſtolos in eccleſiæ primordiis eodem cum Judæis tempore paſchalem ſolennitatem peregiſſe, qvemadmodum Paulum pentecoſtes cauſa Hieroſolymam profectum ex actis apoſtolicis novimus.

LXVI. Etſi autem poſtea nonnullæ eccleſiæ die dominica paſcha celebrandum duxerint, nulla tamen ob iſtam diverſitatem inter eccleſias diſcordia ab initio fuit, ſed ſua qvæqve aliis qvoqve libertate uſa libertatem ſuam non invidit. Sane inter argumenta, qvibus Ignatii ad Philippenſes epiſtola νοθείας arguitur, hoc etiam ab eruditis merito ponitur, qvod autor hujus epiſtolæ omnes paſcha cum Judæis agentes eodem loco cum illis habeat qvi Chriſtum & Apoſtolos ejus occiderunt. Qvis enim credat, qvod Jgnatius S. Polycarpum aliosqve eodem cum Judæis tempore paſcha obſervantes cum illis, qvi Chriſtum & Apoſtolos ejus occiderunt, comparaverit? Imo cum Syros uſqve ad concilii Nicæni tempora non minus ac Aſiæ proconſularis chriſtianos celebrando paſchatis tempore Judaicam gentem imitatos fuiſſe Athanaſius

nasius in tractatu de Synodis testetur, probabile nonnullis est ipsum Ignatium cum Judæis pascha celebrasse. Qvod cum concedat Halloixius, ne Ignatii ad Philippenses epistolam Ignatio abjudicare cogeretur, commentus est, Ignatium in isto loco non eos damnare, qvi eodem tempore cum Iudæis pascha celebrant, sed illos potius, qvi in eadem mensa cum Judæis agnum judaico ritu comedebant, aut ejus partes ad se missas manducabant, qvasi vero Judæi christianos incircumcisos ad communem agni paschalis esum admittere, aut agni paschalis partes illis mittere potuissent, qvod a Judæorum moribus & lege divinitus illis data prorsus abhorrebat, ut Armachanus Præsul rectissime judicat, qvi in suis ad Ignatii epistolas prolegomenis c. 14. ista Halloixii figmenta prolixius refellit.

LXVII. Spuria qvoqve dubio procul est epistola Pii Pontificis Romani ad omnes ecclesias in eadē fide & doctrina manentes, in qva decernit annuam solennitatem paschatis dominici die dominica celebrandam esse, additqve, cum nonnulli ea de re dubitassent, angelum Domini Hermæ in habitu pastoris apparuisse & præcepisse, ut pascha ab omnibus die dominica celebraretur. Unde Pius, vel qvi ejus personam in hac epistola agit, omnes ecclesias apostolica autoritate instruit, ut se Romanæ ecclesiæ conforment, cum membris a capite diffidere non conveniat. Visio autem ista angelica desumpta est ex vita Pii in libro Pontificali, ubi hæc leguntur: *sub cujus episcopatu Hermas librum scripsit, in qvo mandatū continetur, qvod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Pastoris, & præcepit ei, ut sanctum pascha die dominica celebraretur.* Fuerit ne hic Hermes

mes idem cum Herma, cujus librum pastoris nomine insignitum Irenæus sub scripturæ nomine allegavit, Origenes divinitus inspiratum credidit, & Eusebius in nonnullis ecclesiis publice lectum tradidit, contra vero Tertullianus plane respuit, Hieronymus stultitiæ condemnavit, Prosper contemptui habuit, & Gelasius Pontifex Roman⁹ inter apocrypha rejecit, disputandum aliis jam relinqvimus. Id certum est, qvod in hodiernis Hermæ scriptis visio illa angelica de paschatis festo ad diem dominicam adstringendo non legatur. Nec minus certum, qvod Pius tale decretum de paschatis festo die dominica celebrando non ediderit. Nam ex Irenæi ad Victorē epistola constat, Episcopos Romanos, qvi ante Soterem Romanæ cathedræ præfuerunt, & inter hos etiam Pium tempus paschalis festi pro adiaphoro habuisse, nec cum aliis ecclesiis a Romana ecclesia dissentientibus pacis vinculum rupisse.

LXVIII. In eadem epistola Irenæi ad Victorem refertur, eo tempore qvo Anicetus ecclesiæ Romanæ pontificatum tenuit, S. Polycarpum Romam venisse, & cum inter alia colloqvia de paschatis tempore inter se contulissent, neqve Polycarpo Anicetum persvadere potuisse, ut a pristino Asiaticarum ecclesiarum more imposterum desisteret, neq; Polycarpum Aniceto persvadere voluisse, ut imposterum Asiaticarum ecclesiarum consvetudinem seqveretur, cum Anicetus majorum suorum morem sibi retinendum diceret, nihilominus tamen pacem & concordiam inter se coluisse, & Anicetum Polycarpo honoris causa in ecclesia sua consecrandi munus concessisse, ut Valesius græca Eusebii verba interpretatus est, etsi verba παρα-

χωρεῖν εὐχαριστίαν Stephano le Moyne in prolegomenis ad varia facra aliud fignificare videantur.

LXIX. Et ex hac relatione falfum effe comparet, qvod in libello Synodico omnes Synodos tam orthodoxas qvam hæreticas ab Apoftolorum tempore usqve ad octavam generalem habitas complectente, qvem Johannes Pappus fub initium hujus feculi græce & latine edidit, & poftea Voellus & Juftellus bibliothecæ fuæ canonicæ inferuerunt, refertur, nempe in Synodo qvadam Romana ab Aniceto & Polycarpo aliisqve Epifcopis decem contra eos qvi judaico more luna 14. pafcha celebrabant definitum & decretum fuiffe, ut paffio Domini in fancta parafceve, refurrectio autem die dominica celebraretur. Nam ex prædicto Irenæi loco conftat, Anicetum & Polycarpum de tempore celebrandi fefti pafchalis minime confenfiffe, etfi falva inter utrumqve pace Polycarpus ab Aniceto dimiffus fuerit.

LXX. Verum illa pax et concordia inter ecclefias diverfo tempore pafcha celebrantes perpetua non fuit. Nam Servilio Paulo Afiæ Proconfule, qvo tempore Sagaris martyrium perpeffus eft, de feftivitate pafchali magna controverfia orta eft, ut Melito in fuo libro de pafcha apud Eufebium libr. 4. c. 26. teftatur, & hic Melitonis liber eodem Eufebio referente etiam Clementi Alexandrino, ut opus de pafcha fcriberet, occafionem dedit.

LXXI. Exiguæ tamen fuerunt turbæ iftæ Laodicenæ fub M. Aurelii Antonini imperio & Soteris pontificatu exortæ, fi cum illis comparentur, qvæ poftea fub Commodi imperio & Victoris pontificatu

natæ

natæ sunt, qvo tempore ob istam controversiam varia concilia in Oriente & Occidente coacta sunt. Et illi qvidem concilio, qvod in Palæstina congregatum fuit, Theophilus Cæsariensis & Narcissus Hierosolymitanus Episcopus præfuerunt, ex qvo concilio autor libelli Synodici paulo ante allegatus duo fecit, unum Cæsariense sub Theophilo, & alterum Hierosolymitanum sub Narcisso. Num vero genuina sint acta Synodi hujus Palæstinæ apud Bedam post tractatum de æqvinoctio verno tom. 2. operum, item a Bucherio in tractatu de doctrina temporum p. 469. & a Baluzio in nova collectione conciliorum edita non immerito dubitatur. Extat tamen fragmentum actorum hujus concilii apud Eusebium libr. 5. histor. eccles. c. 25. Refert enim ibi Eusebius, qvod Theophilus & Narcissus, item Cassius Tyri & Clarus Ptolemaidis Episcopus aliiqve cum ipsis congregati literas synodicas scripserint, & in his inter alia significaverint, Alexandriæ eodem die, qvo apud Palæstinos, pascha celebrari.

LXXII. Præter Cæsariense concilium habitum qvoqve Romanum sub Victore, Ponticum præside Palma Amastri dis Episcopo, Gallicanum præside Irenæo Lugdunensi Episcopo, Achaicum præside Bacchylo Corinthi Episcopo, & Osroenum sub incerto præside, qvæ omnia pascha die dominica celebrandum sanxerunt, ut refert Eusebius libr. 5. c. 23. ex qvo non difficulter corrigi possunt, qvæ in libello Synodico perperam referuntur. Contra vero Polycrates aliiqve Episcopi Asiatici in Ephesino concilio congregati hoc festum luna 14, mensis paschalis, in qvamcunqve hebdomadis diem incideret, celebrandum statuerunt, ut ex

Polycratis epiſtola ad Victorem narrat Euſebius ejusdem libri c. 24.

LXXIII. Sunt qvi hoc tempore etiam Cilices Syros & Meſopotamiæ incolas chriſtianos cum eccleſiis Aſiaticis conſpiraſſe exiſtimant, cum Athanaſius eosuſq; ad concilii Nicæni tempora hunc Aſiaticarũ eccleſiarum ritum tenuiſſe ſcribat, cujus rei mentionẽ jã ſupra fecimus. Verum cum Euſebius paſchale hoc ſchiſma commemorans ſolas eccleſias Aſiaticas iſto tempore luna decima qvarta paſchalem ſolennitatem celebraſſe, & reliqvas totius orbis eccleſias alio ritu uſas fuiſſe ſcribat, Valeſio & nonnullis aliis probabilius videtur, Syros Cilices & Meſopotamenos tempore hujus certaminis die dominica paſcha celebraſſe, & poſtea demum, ſed tamen ante tempora concilii Nicæni, ad Aſiaticarum eccleſiarum ritum tranſiiſſe.

LXXIV. Mirum autem videtur Dodwello in diſſ. 6. ad Iren. p. 473. qvod in hac controverſia Aſiani, etſi traditionem apoſtolicam præ ſe ferrent, tam paucos tamen aſtipulatores haberent, & vix ullos præter Syros, nempe Meſopotamenos, cujus rei teſtem Epiphanium in hæreſi 70. allegat; contra vero aliæ per totum orbem eccleſiæ ad exemplum Romanæ feſtum paſchale diei dominicæ alligarint. Cauſam autem ejus rei eſſe putat novas Romanorum civium colonias ab Hadriano poſt immenſam Judæorum ſtragem deductas, qvæ ſuæ eccleſiæ ritus aliis etiam eccleſiis intulerunt.

LXXV. Cum igitur Victor Epiſcopus Romanus omnes fere eccleſias in hac cauſa ſibi faventes animadverteret, inſolentior factus in Aſiæ Lydiatæ ſeu proconſularis eccleſias excommunicationis fulmen vibravit,

vit;qvam insolentiam Irenæus etsi in ipsa causa Victori consentiens graviter improbavit, ut Eusebius libr. 5. c. 24. memoriæ prodidit. Cujus certaminis historia Romanæ ecclesiæ addictis non parum negotii facessit, cum Pontificis Romani autoritatem non parum periclitari videant, & ex ipsis Pontificiis Launojus in epistola ad Henricum Barilonium & Maimburgius in tractatu de prærogativis ecclesiæ Romanæ c. 8. ex hujus controversiæ gestis Romani Pontificis infallibilitatem impugnaverit. Unde varia effugia qværunt, qvi honori Pontificis Romani consultum volunt.

LXXVI. Aliqvi enim, cum Victoris fulmen pro bruto habitum videant, Victorem Asiaticas ecclesias excommunicasse negant, ut Alphonsus a Castro adv. Hæref. libr. 12. sub voce pascha, Ciaconius in vita Victoris, Valesius in notis ad Eusebium p. 105. & cum his Natalis Alexander differt. 5. sec. 2. artic. 5. ubi ne Nicolai qvidem I. Pontificis Romani autoritate se ab hac sententia dimoveri patitur, hac ratione data, qvod Nicolaus I. ut Romanæ sedis autoritatem adversus Græcos tueatur, omnia monumenta etiam apocrypha corradat & qvædam in contrarium plane sensum intorqveat.

LXXVII. Contra Petrus de Marca libr. 3. de concord. sacerd. & imperii c. 9. thes. 4. Victorem ecclesias Asiaticas ipso actu excommunicasse statuit, cujus sententiæ accedit Emmanuel a Schelstraten antiqvitat. illustrat. part. 2. diss. 1. c. 3. verba Eusebii clariora esse censens, qvam ut de minis tantum explicari possint. Et sane jam ante concilium Asiaticum Victor minis rem tentaverat, unde Polycrates in epistola sua ad Victorem se nihil iis moveri scribit, qvæ sibi ad formidinem intenta

tata fuerint. Qvocirca dubium non est, Victorem, cum minas suas insuper haberi animadverteret, ipsum ex communicationis telum in ecclesias Asiaticas intorsisse.

LXXVIII. Qvod si ulterius qværas, rectene Victor fecerit, qvod ecclesias ecclesiæ suæ reluctantes a communione aliarum ecclesiarum segregare ausus fuerit, magno nisu hoc Victoris factum approbantes videas Bellarminum libr. 2. de Pontif. Rom. c. 19. Baronium ad A. C. 198. Gretserum in mysta Salmuriensi c. 2. & alios. E qvibus Schelstratenus Victorem ecclesias Asiaticas non propter ritus alicujus diversitatem, sed propter errorem rectæ fidei contrarium excommunicasse scribit. Verum hanc qvæstionem de tempore celebrandi paschatis ad disciplinã non ad fidem spectasse probat Natalis Alexander Diss. 5. sec. 2. art. 4. & ostendit aliam plane rationem fuisse Blasti judaismum latenter introducentis, & hæreticorum, qvi postea Qvartadecimani appellati sunt, qvam ecclesiarum Asiaticarum, qvæ ob meram consvetudinem a majoribus acceptam luna decima qvarta pascha celebrarunt.

LXXIX. Qvod vero Irenæus ea conditione Victorem ad pacem ecclesiis restituendam solicitaverit, si Polycrates & ecclesiæ Asiaticæ ad saniorem mentem redirent, & necessitatem suæ consvetudinis non amplius urgerent, & qvod Polycrates cum ecclesiis Asiaticis a pristino errore resipuerit, & tum Victor liberam pristinæ consvetudinis potestatem illis indulserit & pacem illis sublata excommunicatione reddiderit, svavia Schelstrateni somnia sunt, qvæ ab autore Galliæ vindicatæ repetuntur diss. 4. p. 278. Nec aliud hujus sententiæ fundamentum affertur, qvam qvod So-

Sozomenus libr. 7. c. 19. inter Victorem Romanum & Polycarpum pacem hoc modo conciliatam dicitur cuilibet ecclesiæ sua consvetudine frui liceret. Hoc enim in loco per librariorum errorem pro Polycrate Ephesio Polycarpum Smyrnensem irrepsisse in Sozomeni textum Petrus de Marca, Schelstratenus & Autor Galliæ vindicatæ arbitrantur. Et corruptus omnino est ille Sozomeni locus, cum Polycarpus obierit, antequam Victor Romanum Episcopatum obtineret. Respexit autem Sozomenus dubio procul, cum illa scriberet, ad colloqvium, qvod Anicetum inter & Polycarpum intercessisse supra ex Irenæo retulimus, ideoqve si pro Victore Anicetus ponatur, bene se omnia habebunt. Esto autem qvod Sozomenus de Victore & Polycrate locutus fuerit, & pacem inter eos hoc modo conciliatam dixerit, ut sua cuiqve ecclesiæ libertas salva relinqveretur, qvis inde eliciet, Polycratem pascha cum Judæis celebrantem contra fidei regulam peccasse, & errorem illum retractasse, & hac retractatione absolutionem ab excommunicationis nexu impetrasse?

LXXX. Petrus Halloixius in notis ad vitam Irenæi c. 11. Victoris factum ex hoc capite defendit, qvod Petrus & Paulus Romæ paschatis festum die dominica celebrandum constituerint, & Victor pio desiderio flagraverit, ut in præcipua hac totius anni solennitate una omnium ecclesiarum lætitia & exultatio esset. Ita tamen Victorem Halloixius defendit, ut simul ecclesias Asiaticas ab excommunicatione Victoris illæsas stetisse asserat. Hunc enim ferme in modum ecclesias Asiaticas sermocinantes introducit: Petrus & Paulus etsi Romæ paschatis festum die dominica celebrandum ordinarunt, eccle-

H siis

suis tamen Asiaticis consvetudinem suam liberam permiserunt, & Johannes non obstante diversa Petri & Pauli traditione luna 14. pascha celebravit. Cur ergo nobis morem a Johanne acceptum seqvi non liceat? Nos alienam consvetudinem non damnamus, nostram retinemus, excommunicatio innocentem conscientiam non ferit, si qva Victori amplior qvam aliis potestas data est, meminerit eam sibi ad ædificationem non ad destructionem datam esse, videat autem qvantum a sancta Antecessorum suorum consvetudine recedat. Laudat porro Halloixius & in Irenæo generosam libertatem, qva Victorem haud secus ac olim Paulus Petrum objurgaverit, & in Victore moderationem & prudentiam, qva cum se gravibus censuris nihil proficere posse animadverteret, eas statim subterduxerit, Irenæo meliora sentienti consenserit, & semetipsum vincendo Victoris nomen vere impleverit. Varios præterea Baronii in hac controversia lapsus animadvertit hic Jesuita & inter alia recte observat, falsum esse, qvod Pius I. jam ante Victorem paschatis festum die dominica celebrandum edixerit, idqve Eusebius in chronico suo asserat. Nam illa verba de Pii decreto circa tempus festi paschalis ab aliena manu in qvædam Eusebii exemplaria intrusa sunt, & in codicibus manuscriptis bonæ notæ non reperiuntur, ut non solum a Scaligero in animadversionib. ad Eusebii chronicon p. 229. sed etiam ab Arnaldo Pontacio in not. ad Eusebii chronicon p. 615. observatum est.

LXXXI. Verum qvi Baronium castigavit Halloixius, ipse qvoqve censuram meruit. Unde enim probabit, Petrum & Paulum Romæ festum paschatis die dominica celebrandum peculiari lege

lege sanxisse? Ad argumenta qvæ producit jam supra responsum est. Emissum autem a Victore anathematis fulmen non tam a pio concordiæ desiderio, qvam ex æstu impotentis animi profectum est. Et Irenæus qvidem nomini suo qvod ἀπὸ τῆς εἰρήνης seu a pace deducitur, vere respondit, dum Victorem ad pacem & concordiam cum ecclesiis Asiaticis hortatus est. Victor autem non tam a semetipso qvam ab aliis victus est, & imprimis ab Irenæo & Polycrate, qvi literis suis ejus arrogantiam represserunt.

LXXXII. Dum hæc scriberem, incidi in tractatum gallicum, hoc titulo notatum: *extrait d'un sermon preche le jour de S. Polycarpe avec les preuves des faits qvi y sont avances* cujus Autorem esse Petrum Facditium adjuncta huic tractatui epistola ad Menagium indicat. Et hunc tractatum silentio prætermittere nolui, cum totus fere circa hoc paschalis schismatis negotium versetur. Occasio huic tractatui inde nata, qvod Facditius in sermone qvodam sacro, qvem die Polycarpi habuerat, dissidium Regis Galliæ & Pontificis Romani circa jus qvarteriorum non obscure cum dissidio paschali inter Episcopos Romanos & ecclesias Asiaticas comparasset. Cum enim hunc sermonem nonnemo publico scripto traduxisset, Facditius eum hoc tractatu vindicandum censuit, & in ipsa statim præfatione collationem istam clarius expressit.

LXXXIII. Membra collationis sunt seqventia. 1. Sicut dissidium paschale non ad fidem sed ad disciplinam spectavit: ita qvæstio inter Regem Galliæ & Pontificem Romanum agitata non est de fide sed de jure franchitiarum Legatorum Regis in urbe Roma. 2.

Ecclesiæ Asiaticæ ritum suum diuturna præscriptione & exemplis illustribus tuebantur; & his mediis etiam Francia sua jura defendit 3. Qvatuor Pontifices Romani Sixtus, Pius, Hyginus, Telesphorus fecerunt decreta pro abolenda Asiaticarum ecclesiarum consvetudine, & totidem Papæ Pius IV. Sixtus V, Juli⁹ III. & Gregorius XIII. bullas contra jus asyli publicarunt. 4. Non obstantibus 4. Pontificum decretis Polycarpus aliiqve Legati Asiatici coram Aniceto possessionem juris sui vindicarunt, nec ullus ante Victorem Pontifex pacis vinculum cum ecclesiis Asiaticis dirupit; & similiter non obstantibus 4. Paparum decretis Dux Estræus aliiqve Legati Gallici jure asylorũ pristino gavisi sunt, nec ullus ante Innocentium XI. hac in causa pacis vinculum in Gallia dirupit. 5. Sicut Victor coacto concilio ecclesias Asiaticas nisi a pristina consvetudine desisterent excomunicare decrevit: sic Innocentius XI. congregato Cardinaliũ concilio bullã excomunicationis adversus eos emittendam indicavit, qvi jus asyli defensuri essent. 6. Ut Victoris decreto graviter offensus fuit Rex Agbarus primogenitus ecclesiæ fili⁹ qvi pascha more Asiaticarum ecclesiarum celebravit; ita Rex christianissim⁹ Galliæ decreto Innocentii XI. offensus graviter fuit. 7. Polycrates Ephesi Episcopus nomine totus Asiæ & Regis Agbari Victori indicavit, qvod minas ejus non formidarent, neqve possessione sua cessuri essent: idem apud Innocentium XI. Regis Galliæ nomine fecit Marchio de Croissy. 8. Asiaticæ ecclesiæ & Rex Agbarus Legatos suos ad Victorem miserunt: Rex Galliæ Marchionem Lavardinum ad Innocentium XI. 9. Victor Legatos Asiaticos, & Innocentius Lavardinum audire noluit. 10. Victor totam Asiam ejusqve

Legatos, & Innocentius XI. Legatum Galliæ excommunicavit. 11. Victor decretum excommunicationis columnæ, Innocentius bullam suam portis templi S. Ludovici affigi jussit. 12. Legatus Asiæ anteqvam discederet, protestationem a Polycrate missam excommunicationi Victoris opposuit: similem a Marchione de Croissy missam Galliæ Legatus Innocentii excommunicationi opposuit. 13. Scandalum a Victore datum Irenæum silere non amplius permisit: neqve Talonius se continere potuit, qvin Innocentii factum publice improbaret. 14. Irenæus concilium Episcoporum super hac causa Lugduni congregavit, cui concilio comparari potest Parlamentum Parisiis congregatum. 15. Irenæus Victori, Talonius Innocentio XI. immoderatum animi æstum exprobravit. 16. Victoris pariter & Innocentii factum Galliæ admodum displicuit. 17. Uterqve excommunicationis fulmine multum de existimatione sua in hominum animis perdidit. 18. Victori a Tertulliano objectum, qvod se a Praxea gubernari sineret, Innocentio a Talonio, qvod animum suum a factiosis hominibus occupari permitteret. 19. Tertullianus Victorem reprehendit; qvod catholicas ecclesias excommunicaret & interim Montanistis clam faveret, nec minus a Talonio reprehensus Innocentius, qvod totus in abolendo asyli jure Qvietistis interim nimis indulgeret. 20. Victoris nec minus Innocentii XI. fulmen ubiqve pro bruto habitum. 21. Ecclesiæ Asiaticæ usqve ad concilium Nicænum pascha luna 14. celebrarunt, & sic Gallia protestata est, qvod jus qvarteriorum sartum tectum conservatura esset. 22. Asiaticæ ecclesiæ veniam & absolutionem a Victore nunqvam postularunt, neqve Victoris succes-

ſores cum illis communicare detrectarunt: neqve Legatus Regis Galliæ abſolutionem a Pontifice unqvam poſtulabit. 23. Diſſidium paſchale non tam a concilio Nicæno qvam a Conſtantino M. ſopitum fuit, qvi recens ad chriſtianam fidem converſus fuerat: & pari modo compoſitio diſſidii inter Pontificem Romanum & Regem Galliæ de jure aſyli non tam a concilio aliqvo qvam a Rege nuper ad catholicam eccleſiam converſo (intellige Regem Angliæ qvi tum erat, cum iſta Facditius ſcriberet) expectanda erit.

LXXXIV. Hanc præfationem excipit compendium ſermonis qvem Facditius die Polycarpi Pariſiis habuit, prolixis notis illuſtratum, in qvibus hiſtoria ſchiſmatis illius paſchalis prolixe diſcutitur. Etſi autem Autor in præfatione glorietur qvod in hoc tractatu varios Baronii, Pamelii, Petavii, Halloixii, Frontonis Ducæi, Valeſiorum, Arnaldi, Rigaltii, Maimburgii, Couſini, du Pin, aliorumqve errores detexerit & refutaverit, & imprimis etiam oſtenderit, qvam mala fide Autor tractatus de libertatibus eccleſiæ gallicæ, qvem Cardinali Agvirre & Domino Cazzoni a nonnullis attributum aſſerit, hujus ſchiſmatis hiſtoriam tractaverit; vereor tamen, ne ipſe qvoqve multa in hoc tractatu aſſeruerit, qvæ probare nunqvam poterit, cujus modi ſunt, qvod Anicetus Polycarpo per manum Irenæi Presbyteri euchariſtiam dederit, qvod concilium Oſroenum, cujus Euſebius meminit, a Lugdunenſi, cui Irenæus præfuit, non diverſum fuerit, illi autem Oſroeni, qvi in Meſopotamia ſiti ſunt, cum Aſiaticis eccleſiis in hac controverſia illo tempore ſenſerint, qvod Victor excommunicationis bullam columnæ

affixe-

affixerit, omnesqve circumſtantias in hodiernis excommunicationibus uſitatas obſervaverit,ut alia taceam, qvæ nunc excutere nolumus. Satis enim & forte plus qvam ſatis huic ſchiſmati immorati ſumus, qvod vulgo ſub Severi imperio contigiſſe ſcribunt, verum ſub Commodi imperio iſta contigiſſe Dodwello in diſſ. ad Irenæum p 272. non abs ratione probabile videtur.

LXXXV. Bardeſanes patria Edeſſenus Abgaro Edeſſenorum Regulo familiaris ſub Antonini Veri imperio contra Abidam Aſtrologum diſputavit, & Apollonio, ut ſe chriſtianum negaret, ſvadenti fortiter reſtitit, negavitqve ſe mortem timere, cujus ſibi neceſſitas immineret, etſi Imperatori, cujus familiaris Apollonius erat, non reſiſteret. Verum hanc laudem detrivit Bardeſanes, cum Valentinianorum more neſcio qvas ἀρχὰς & προβολὰς confinxit & mortuorum reſurrectionem negavit, qvæ omnia Epiphanius hæreſ. 56. de ipſo retulit.

LXXXVI. Inter varia ejus ſcripta fuit dialogus de fato, ex qvo nonnulla Euſebius libr. 6. de præparat. evang. excerpſit. Qvæ cum etiam in recognitionibus legantur ſub Clementis Romani nomine vulgatis, celeberrimo Caveo in hiſtoria literaria Scriptorum eccleſiaſticorum p. 48. non improbabile videtur, Bardeſani potius qvam Clementi decem illos recognitionum libros, qvos ex latina Rufini verſione a Johanne Sichardo primum editos habemus, tribui debere.

LXXXVII. Inter errores Bardeſanis & ille ponitur ab Auguſtino in libello de hæreſibus, qvod fato converſationes hominum adſcripſerit, qva in re Auguſtinum falli forte dialogi a Bardeſane ſcripti titulo decep-

deceptum suspicatur Colbergius in specimine de origine & progressu hæresium p. 140. cum nemo præter Augustinum hunc errorem Bardesani tribuerit, & dialogus Bardesanis de fato a nonnullis Patribus commendetur, qvin & verba, qvæ ex illo dialogo Eusebius allegavit, errorem illum Bardesanis non prodant, sed potius eum recte de fato sensisse probent. Verum non solus Augustinus Bardesanem erroris illius arguit, sed etiam ante Augustinum Diodorus Tarsensis apud Photium cod. 223. Is enim referente Photio in operis sui contra fatum capite 51. Bardesanis sententiam refellit tanqvam ἡμιμανῆ καὶ ἡμίτομον cum animam qvidem a fati potestate liberam dimiserit, corpus tamen & ea qvæ ad corpus spectant fato gubernanda subjecerit, dum divitias, egestatem, morbum, vitam, mortem aliaqve qvæ in nostra potestate non sunt, fati esse effecta tradidit, ut Photius statim sub initium prædicti codicis testatur, qvi etiam cum octavum Diodori librum ejusqve caput 51. recenset, eadem repetit, testaturqve, qvod Diodorus Bardesanistas ex Prophetis, quorum scripta pro canonicis agnoscebant, refutaverit, illisqve dicta Esaiæ & Jeremiæ opposuerit, ut cætera argumenta, qvibus Diodorus Tarsensis Bardesanistas impugnavit, taceamus.

AD CAP. VII.

De Cerdone & Marcione.

LXXXVIII.

IN hoc capite Colbergius se non nihil desiderare non dissimulavit. Cum enim dixi, qvod Gennadius Massilien-

filienfis & Vigilius Tapfenfis Marcionem cum Valentino confundere videantur, Marcioni tribuentes, qvafi docuerit, Chriftum corpus fuum e cælo in uterum Mariæ intuliffe, Vir ille clariffimus in fpecimine fuo de orig. & progref. hæref. p. 159. exiftimat, non opus effe, ut Gennadio & Vigilio memoriæ lapfus tribuatur, cum ex Tertulliani confeqventia dici poffit, Chriftum qvoqve corpus phantafticum intuliffe in uterum Mariæ, & fic phantaftice conceptum effe, qva ratione veritati nihil decedere ait, & fic Gennadium & Vigilium intelligendos effe cenfet. Ego fententiæ hujus libertatem Viro clariffimo non invideo. Mihi tamen probabilius videtur, Gennadium & Vigilium memoria lapfos Valentini errorem Marcioni tribuiffe, qvam Marcionis fententiam ex Tertulliani confeqventia delineaffe. Neqve etiam video, qvomodo ex verbis Tertulliani, qvæ Vir clariffimus adducit, feqvatur, Marcionem docuiffe, qvod Chriftus corpus fuum e cælo attulerit. Præterea non opus habebat Marcion, ut corpus Chrifti, qvod pro phantaftico & imaginario habebat, e cælo arcefferet, ideoqve dubio procul fententiam illam Valentino reliqvit, qvi cœleftem fubftantiam corpori Chrifti tribuebat.

LXXXIX. Marcionem Tertullianus Antoninianum hæreticum appellat, additqve eum fub Pio impium fuiffe. Verum Dodwellus in addition. ad Pearfonii differt. 2. de fucceff. Pontif. c. 8. p. 247. negat, Marcionem commode Antoninianum hæreticum appellari, & Pium, fub qvo Marcionis hærefis orta eft, non Imperatorem Antonium Pium, fed Pium Pontificem Romanum fuiffe cenfet. Qvod etiam ulterius confir-

mat in dissert. 3. ad Iren. p. 243. & seqv. & inter alia Tertullianum in chronologia minus accuratum fuisse notat, cujus rei aliqva specimina adducit. Verum etsi Marcionis hæresis ante Antonini imperium orta sit, non incommode tamen Antoninianus hæreticus dici poterit, cum sub Antonini imperio majores ejus hæresis progressus fecerit.

XC. Errorem Marcionis aliorumqve hæreticorum duos Deos fingentium non tam Platoni, qvam Zoroastri Persæ ortum suum debere in epistola ad Magnificum Bœrnerum Patronum meum venerandum nuper edita nobilissimus Wæchtlerus observavit, qvi etiam animadvertit, Simonis Magi sententiam, qva legem & Prophetas non esse a bono Deo asseruit, cum Platonica Theologia, ex qva nonnullis istum errorem derivare placuit, minus convenire.

XCI. Autor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum ab Ecchellensi latine redditæ de Marcionitis inter alia refert, qvod Marcionem Apostolorum Principem appellaverint, pro actis apostolicis alium actorum librum, qvem *librum propositi finis* appellarunt substituerint, psalmos a Davidicis diversos effinxerint, eosqve inter preces fundendas recitaverint etc.

XCII. Verba Pauli 1. Cor. XV, 28. Sic Marcionitæ interpretati sunt, qvasi subjectio Filii ita futura sit, ut in Patrem Filius refundatur, & resolvatur, qvam Marcionitarum sententiam & refert & refellit Ambrosius de fide libr. 5. c. 13. ubi & Sabellianos in eadem sententia fuisse docet. Qvi autem sub Ambrosii nomine commentarium in epistolas Pauli edidit, suo tempore Marcionitas fere defecisse tradit in commentario ad 1. Tim. 4.

Ad

AD CAP. VIII.

De

Lucano & Apelle.

XCIII.

In hoc capite Colbergius me errasse putat circa locum Augustini de Philumena. Cum enim Augustinus in libello de hæresibus, postqvam c. 23. de Apellitis egisset, c. 24. ad Severianos transit, eos hunc in modum describit: *Severiani, a Severo exorti, vinum non bibunt, eo qvod fabulosa vanitate de Satana & terra germinasse asserunt vitem. Etiam ipsi non sanam doctrinam suam qvibus volunt insitant nominibus principum carnis resurrectionem cum veteri testamento respuentes. Hic præterea Philumenam qvandam puellam dicebat inspiratam divinitus ad prænunciandafutura, ad qvam somnia atqve æstus sui animi referens, divinationibus seu præsagiis ejus secretim erat solitus præmoneri eodem phantasmate eidem Philumenæ pueri habitu se demonstrante, qvi puer apparens, Christum se aliqvando, aliqvando esse assereret Paulum. A qvo phantasmate sciscitans, ea soleret respondere, qvæ se audientibus diceret. Nonnulla qvoqve illam miracula operari solitam, inter qvæ illud præcipuum, qvod in angustissimi oris ampullam vitream, panem grandem immitteret, eumqve extremis digitulis levare soleret illæsum, eoqve solo qvasi divinitus sibi cibo dato fuisset contenta.* Est autem hæc Philumena cujus oraculis Severum usum Augustinus memorat, dubio procul

eadem cum Philumena, qvam Tertullianus in libr. de præscript. Apellis hæresiarchæ prophetiſſam facit, cum c.6.ait, *fuiſſe in Virgine qvadam Philumena angelum ſeductionis, transfigurantem ſe in angelum lucis, cujus ſignis & præſtigiis Apelles inductus novam hæreſin induxerit*, & c. 30. *Apellem Philumenæ energemate circumventum qvas ab ea didicit phaneroſes ſcripſiſſe*. Nec aliter ſenſit anonymus ſcriptor, qvi ad hunc Tertulliani librum catalogum qvorundam veterum hæreticorum attexuit. Is enim de Apelle agens, *habet*, inqvit, *præterea privatas ſed extraordinarias lectiones ſuas, qvas appellat phaneroſes Philumenes cujusdam puellæ, qvam qvaſi prophetiſſam ſeqvitur*. Hæc Philumena juxta Tertullianum libr. 3. contra Marcion. c.11. perſvaſit Apelli cæterisqve deſertoribus Marcionis, ex fide qvidem Chriſtum circumtuliſſe carnem, nullius tamen nativitatis, utpote de elementis eam mutuatum. Audiamus & Rhodonem Apellis coævum, qvi ſe cum Apelle diſputando congreſſum retulit, & inter alia memoravit, qvod Apelles Prophetarum oracula ex adverſario Spiritu profecta dixerit πειθόμενος ἀποφθέγμασι παρθένου δαιμονώσης ὄνομα Φιλουμένης virginis cujusdam dæmoniacæ nomine Philumenæ inductus, ut ejus verba ab Euſebio referuntur l.5.hiſt. eccl.c.13. Et horum veſtigiis inſiſtens Hieronymus in epiſtola ad Cteſiphontem adverſus Pelagium, ut Simoni Mago Helenam, Montano Priſcam & Maximillam, aliisqve hæreſiarchis alias mulieres, ſic Apelli Philumenam tribuit, & in comment. ad c. 1. ep. ad Galat. nonnulla de iſta Apellis Prophetiſſa repetit.

XCIV. Cum igitur Scriptores veteres tanto con-

onsensu Philumenam Apellis prophetissam fuisse di-
ant, mirari qvis possit, qvid Augustino in mentem
enerit, qvod Philumenam Severi prophetissam faciat?
t ego qvidem in dissertatione mea suspicabar, vel Au-
ustinum memoria lapsum fuisse, vel librariorum in-
uria verba Augustini luxata & ad c. 24. de Severianis
erperam addita fuisse, qvæ ad c. 23. proxime præce-
ens de Apellitis referri debuissent. Neqve me hujus
spicionis nunc pœniteret, nisi codex MSC. bibliothe-
æ nostræ Paulinæ meliora mihi suggessisset. Eum enim
um consulerē totam illam de Philumena ejusq; revela-
ionibus narrationem omissam deprehendebam. Qvo
iso cogitare cœpi, num forte illa de Philumena narra-
io ab aliena manu Augustini libello inserta fuerit. In
qva sententia magnopere me confirmavit nova editio
operum Augustini a doctissimis Monachis Benedictinis
: Congregatione S. Mauri Parisiis nuper procurata.
n ea enim deprehendi, Benedictinos in c. 24. libelli de
æres. verba illa: *hic præterea Philumenam qvandam* etc.
isqve ad finem capitis e textu omisisse, & in notis ani-
nadvertisse, qvod tota illa pericope in MSC. codicibus,
uxta qvos Augustini textum emendarunt, non legatur,
& forte, qvod erat a qvopiam in margine non de Seve-
o sed de Apelle annotatum, librarii hallucinantes ad
caput de Severo transtulerint. Contulerunt autem
Benedictini hunc Augustini libellum de hæresibus ad
MSC. Vaticanos qvinqve & Gallicanos 12. scilicet duos
Regios, qvatuor Colbertinos, Dominicanorum ma-
joris conventus Parisiensis unum, ad Victorinum,
Becheronensem, Beccensem, Floriacensem, & Micha-
elinum. Qvamobrem non amplius dubito, qvin to-

 tum

tum illud pensum de Philumena c. 24. de Severianis in libello de hæresibus qvemvis alium qvam Augustinum auctorem agnoscat.

XCV. Aliter visum Colbergio. Is enim in specimine historico de ortu & progressu hæresium & errorum in ecclesia p.163. cum ea breviter commemorasset, qvæ apud Augustinum c.24. de hæresibus leguntur, ista subjungit: *in qvo Augustinum vel memoria lapsum vel librariorum vitio corruptum esse Ittigius arbitratur. Mihi vero nec Augustinus nec ejus librarii accusandi videntur, cum Philumenam uterqve Apelles scilicet & Severus in pretio potuerint habere, & ut prophetissam venerari. Coætanei enim fuerunt, ut Epiphanius tradit hær. 45. ita ut Apellis æmulatione impulsus Severus errorem suum cudere voluerit. Vide Danæi commentarium in Augustinum de hæresibus c.24.p.70.* Verum hæc sententia, qvod Philumena Severi non minus qvam Apellis amasia fuerit, omni plane probabilitatis specie carere mihi videtur. Nam Philumenæ consortio usum Apellem, Rhodon, Tertullianus, aliiqve veteres Scriptores agnoverunt. Qvod autem Severus ejusdem Philumenæ amore flagraverit, aut Severi rivalis fuerit, nemo veterum dixit. Si autem Augustinus credidit, utrumqve tam Apellem quam Severum Philumenam in pretio habuisse, & tanqvam prophetissam coluisse, cur de Philumena silet, cum de Apelle agit? Minime certe facturus id fuisset, si Philumenam utriqve nempe & Severo & Apelli addicendam statuisset. At, inqvit Colbergius, Severus & Apelles coætanei fuerunt, ideoqve uterqve Philumenam in pretio habere potuit. Verum & nostro ævo prophetissæ exstiterunt, neqve tamen Vir clarissimus, etsi illarum coætaneus, a qvoqvam

se

se accusari patietur, qvod eas in pretio habuerit, & pro veris prophetissis agnoverit. Miror autem qvod Danæi commentarium in Augustini lib. de hæres. pro sua sententia alleget. Nam cum Danæus duas proferat de Philumena sententias, unam eorum, qvi, qvæ Augustinus de Philumena a Severo adamata scripsit, ad Apellem referunt, & alteram, qvæ fortasse utrumqve suam Philumenam & scortum habuisse censet, adeoqve Danæus vel Philumenam soli Apelli tribuendam, vel duas Philumenas fuisse judicet, unam Apellis, alteram Severi scortum, neutra sententia Colbergio favet, qvi utrumqve una Philumena gavisum arbitratur.

XCVI. Me qvod attinet, fateor me olim in ea sententia fuisse, qvod vel Augustinus memoria lapsus, vel verba Augustini a librariis luxata & narratio de Philumena loco non suo posita fuerit. Ex qvo autem codicem MSC. superius memoratum inspexi, omnesqve codices MSC. qvibus Benedictini in nova operum Augustini editione usi sunt, cum Lipsiensi ea in parte consentire cognovi, verba illa de Philumena ex Augustini libello de hæresibus prorsus expungenda duco. Priorem autem, in qva olim fui, sententiam adhuc meliorem statuo, qvam conjecturam vel Colbergii vel Danæi, qvorum ille & Severum & Apellem unius Philumenæ amore captos, hic utrumqve suam Philumenam habuisse statuit. Potior mihi est Scriptorum veterum sententia, qvi Apellis & Severi coætanei fuerunt, & Philumenam non Severo sed Apelli assignarunt.

AD CAP. IX.

De

Gnosticis, Borboritis &c.

XCVII.

GNosticos etiam Borboritas appellatos diximus, & Scriptores aliqvos, qvi Borboritarum mentionem faciunt allegavimus. Qvibus nunc placet addere Hieronymi prooemium libr. 2. comment. in ep. ad Galat. ubi cum retulisset, Ancyram Galatiæ metropolin sua adhuc ætate schismatibus dilaceratam & dogmatibus constupratam fuisse, addit: *mitto Cataphrygas, Ophitas, Borboritas & Manichæos. Nota enim jam hæc humanæ calamitatis vocabula sunt &c.* Addimus & Philostorgium, qvi libr. 3. c. 15. hist. eccl. Aetium in Cilicia Borborianorum sermonibus implicitum fuisse memorat, ad qvem locum Godofredus notat, Borboritarum hæresin portionem Gnosticorum fuisse voluptatibus indulgentium.

XCVIII. In fictitiis Berosi antiqvitatibus libr. 1. refertur, qvod ante diluvium gigantes urbem Enos circa Libanon incolentes abortus procuraverint & in edulium præparaverint. Unde priscos illos Cainitas cum Gnosticis, qvorum nefanda mysteria Epiphanius descripsit, confert Bolducius in expositione epistolæ Judæ p. 149. qvo loco etiam in nefandos illorum sacrorum qvib9 Gnostici litarunt, originem inqvirit, existimans, eam

ex cultu Molochi arcessendam esse. Cum enim Deus Israelitis præceperit, ne semen suum Molocho consecrarent, suspicatur, Molocho qvondam panem humano semine commistum obtulisse ejus cultores, idqve Simonis Magi sectatores & Gnosticos imitari voluisse. Verum hanc conjecturam ipsi relinqvimus.

XCIX. Gnosticos unum tantum prædicationis annum Christo tribuisse asserit Irenæus libr. 2. c. 36. qvem errorem cum illis communem habuit Clemens Alexandrinus libr. 1. Strom. hoc argumento usus, qvod in scriptis Prophetarum & Evangelistarū acceptabilis Domini annus memoretur. Irenæus autem Gnosticos refutaturus in definienda Christi ætate modum excessit, cum ex traditione Seniorum, qvos ab Apostolis id accepisse scribit, Christum passionis tempore ad senium declinasse arbitratus est. Qvem errorem ut excuset nulli operæ parcit Dodwellus diss. 1. ad Iren. th. 44. & seqv. ubi statuit Christum ex austeritate vitæ vultum senilem contraxisse, indeqve Apostolos aliosqve, qvi eum viderunt, collegisse, qvod quadragenario major fuerit, & ad senium declinaverit, cujus rei gratia allegat locum Joh. VIII, 50. ab ipso qvoqve Irenæo allegatum, & in hac sententia Seniores illos, qvos Irenæus seqvitur, a vero non multum aberrasse censet, cum verisimile ipsi videatur, Christum passionis suæ tempore saltem 38. ætatis annum attigisse.

C. Vendelinus in epistola qvadam ad Chiffletium, qvam Chiffletius suo de gemmis Abraxeis commentario inseruit, notat Gnosticos proseminasse studium astrologiæ, & ab illis Qvartadecimanos ortos esse Luna 14. pascha celebrantes. Deinde causam explicat, cur nume-

rus 13. 14. & 15. illis ſacer fuerit. Occaſionem autem huic Vendelini epiſtolæ dedit gemma qvædam Baſilidiana, qvæ eſt inter Chifletianas 69. & in tabula 17. exhibetur. Hanc enim gemmam Chifletius juſſu Sereniſſimi Auſtriæ Archiducis Leopoldi Guilielmi Vendelino miſerat, ut anticam & poſticam inſcriptionem lapidis illius chalcedonii explicaret. Plura hujusmodi amuleta Baſilidianorum, Carpocratianorum, Ophitarum, Marcoſiorum, aliorumqve Gnoſticorum præter Chifletium, Leonard. Auguſtinum, Kircherum & alios exhibuit P. Claudius du Molinet in tract. gallico, qvem ſupra in Baſilide allegavimus & noviſſime celeberrimus Gronovius in Gorlæi dactyliotheca auctius edita, ubi inter alia obſervat, multa hujusmodi monumenta à Chifletio & aliis ad veteres hæreticos perperam referri, qvale eſt facies Solis radiata cum reliqvorum Planetarum notis, qvam Chifletii tabula 20. repræſentat, & qvæ in Muſeo Romano ex Bellorii ſcriniis denuo producitur. Hoc enim monumentum ante chriſtianiſmum vel ſub chriſtianiſmo ab homine aliqvo gentili, qvi Sole dominante vel natus eſt, vel aliqvid feliciter geſſit, fieri potuiſſe, nec ut a nonnullis ad Baſilidianos, ab aliis ad Priſcillianos referatur, opus eſſe modo laudatus Gronovius obſervat.

AD

AD CAPUT X.

de

Docetis, Marciano &c.

CI.

DIssensi in hoc capite à Viro doctissimo mihiqve amicissimo Guilielmo Ernesto Tenzelio circa epistolam Polycarpi ad Philippenses, qvam in dissertatione sua de Polycarpo ab eodem impostore corruptam asserit, qvi S. Ignatii epistolas interpolavit. Mihi vero, cum dissertationem de hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi scriberem, hæc svavissimi Amici opinio minus probabilis videbatur; Ad qvem dissensum hac ratione primum inducebar, qvod Ignatii interpolatorem maleferiatum hæreticum fuisse nossem, neqve tamen in Polycarpi epistola manifestum aliqvem errorem deprehenderem. Deinde latere me non poterat, Ignatii interpolatorem episcopali potestati nimium tribuere, cum ex adverso in Polycarpi epistola Episcopi à Presbyteris non distingvantur, ideoq; nonnulli è Presbyterianis, qvi ne sinceriores qvidem Ignatii epistolas nedum interpolatas recipiunt, Polycarpi epistolam ut genuinam amplectantur. Deniqve videbam corruptionem Ignatianarum epistolarum ex diversis earundem editionibus ad oculum demonstrari posse, cum in epistolæ Polycarpianæ exemplaribus hæc varietas non occurrat, ne-

qve etiam ex veterum ſcriptis aliqva interpolationis veſtigia demonſtrari poſſint. Qvamobrem concludebam Polycarpi epiſtolam potius cum ſincerioribus Ignatii epiſtolis qvam cum interpolatis comparandam eſſe.

CII. Regeſſit Vir doctiſſimus, cum ſuam de Polycarpo diſſertationem ſecundis curis auctiorem redderet, fieri non potuiſſe, qvin qvi Ignatii epiſtolas corrupit, etiam Polycarpi epiſtolæ adulterinas manus intulerit, qvia Polycarpi epiſtola cum Ignatianis in unum faſciculum compingi antiqvitus conſvevit, unde & Uſſerius Ignatii epiſtolis Polycarpi epiſtolam præfixit, & Jacobus Faber, cum veterem latinam verſionem epiſtolarum Ignatii ederet, ſimul qvoqve Polycarpi epiſtolam edidit. Verum ſi hoc argumento aliqvid roboris tribuendum eſt, pari ratione concludi poſſet, etiam Barnabæ epiſtolam ejusdem impoſtoris manus effugere non potuiſſe. Nam Uſſerius in præfatione ad epiſtolam Barnabæ, cujus particulam ex Oxonienſi incendio ſervatam ſuæ in eandē epiſtolam præfationi Oxonienſis Epiſcopus inſeruit, teſtatur, Ignatianis epiſtolis olim non Polycarpi modo, ſed Barnabæ qvoqve epiſtolam adjectam fuiſſe, indeqve eveniſſe, ut Hieronymus ſententiam qvandam, qvæ in Barnabæ epiſtola legitur, ſub Ignatii nomine citaverit. At nemo dixerit, Barnabæ epiſtolam ab eodem maleferiato hæretico, qvi & genuinas Ignatii epiſtolas interpolavit, & ſpurias ſub ejusdem nomine confinxit, adulteratam fuiſſe.

CIII. Deinde, etſi ex Polycarpi epiſtola conſtet, ſanctiſſimum illum Smyrnæ Præſulem, cum epiſto-

ſtolam ſuam Philippenſibus mitteret, Ignatianas epiſtolas cum ſua in unum faſciculum compegiſſe, ex eo tamen colligi non poteſt, ab eo tempore Polycarpi epiſtolam ſemper una cum Ignatianis epiſtolis deſcribi ſolitam fuiſſe. Verum utiqve eſt Uſſerium & Fabrum, cum Ignatii epiſtolas ederent, ſimul Polycarpi epiſtolam edidiſſe, qvam Uſſerius primo, Faber ultimo loco poſuit. At plures ſunt editiones epiſtolarum Ignatii latinæ pariter & græcæ, in qvibus Polycarpi epiſtolam omiſſam deprehendimus. Qvamobrem neceſſe non eſt, ut ſtatuamus, eum, qvi Ignatii epiſtolas vitiavit, ejusmodi codicem habuiſſe, in qvo Polycarpi epiſtola fuit Ignatianis conjuncta. Eſto autem, qvod ejusmodi codicem habuerit, nondum inde probari poteſt, qvod Polycarpi epiſtolam intactam haud prætermiſerit, cum Ignatii epiſtolas adulteraret. Agnoſcit ipſe Vir doctiſſimus, forte hominem peſſimum epiſtolam Polycarpi veneno Ariano non infeciſſe, qvod ea primum locum occuparet, ne primo ſtatim aditu ejus perfidia pateret, etſi interim ab aliis ſuis κυρίαις δόξαις infarciendis non abſtinuerit. Qvid ſi vero dicam, hominem peſſimum non modo epiſtolam Polycarpi Ariano veneno non infeciſſe, ſed etiam ab aliis κυρίαις δόξαις infarciendis abſtinuiſſe, qvod Polycarpi epiſtola Ignatianis præmitteretur, ne primus ſtatim aditus impoſturam ejus proderet?

CIV. Inſtat Vir Clariſſimus, in Polycarpi epiſtola non minus qvam in Ignatianis manifeſta interpolatoris veſtigia deprehendi. Id probat ex defectu qvodam exemplaris græci, & levi qvadam differentia, qvæ eſt in-

ter editiones Petri Halloixii Jesuitæ, & Jacobi Usserii Archiepiscopi Armachani, nec non ex multorum Virorum doctorum testimoniis, qvæ omnino reqvirere ait, ut in hac epistola nonnulla Polycarpi gravitatem minus spirantia ab impostore qvodam addita, alia vero detracta statuamus. Verum multa Græcorum Scriptorum monumenta non sine lacunis ad nos pervenerunt, qvæ genuina esse nemo dubitat, & in plerorumqve Patrum editionibus longe major est varietas, qvam qvæ in Usseriana & Halloixiana hujus epistolæ editione deprehenditur, neqve tamen illa Patrum Scripta eo nomine statim ab hæreticis adulterata censemus. Doctis autem illis Viris, qvi Polycarpi epistolam interpolatam esse putant, alii opponi possunt, nec numero pauciores, nec minores doctrina.

CV. At ulterius Vir clarissimus urget, ipsa rerum adesse testimonia, qvæ abunde comprobent & evincant, illum ipsum maleferiatum impostorem, qvi Ignatii epistolis suarum opinionum lacinias intertexuit, etiam ad Polycarpi epistolam ea, qvæ scenæ suæ inservire videbantur, addidisse, eaqve additamenta vel ex didascalia Polycarpi (variæ enim sub Apostolorum & apostolicorum Virorum nominibus διδαχαὶ seu διδασκαλίαι olim circumferebantur) vel ex constitutionibus apostolicis mutuatum fuisse. Si qværas, qvænam sint in Polycarpi epistola interpolationis illius indicia, respondet verba illa cum præcedentibus & seqventibus male cohærere: ὑποτασσομένους τοῖς Πρεσβυτέροις καὶ Διακόνοις ὡς θεῷ καὶ χριστῷ, cum præcedant præcepta juvenibus data, & seqvantur alia virginibus tenenda, ideo

ideoqve *ἀπροσδιόνυσα* sint, qvæ de Presbyteris & Diaconis interferuntur. Verum non adeo male cohærere videtur, qvod Polycarpus, cum juvenes ad abstinentiam a voluptatibus adhortatus fuisset, subjiciat: *διὸ δέον ἀπέχεσθαι ἀπὸ πάντων τούτων ὑποτασσομένους τοῖς Πρεσβυτέροις καὶ Διακόνοις* &c. Cum vero Vir Clarissimus hæc verba ab alio qvodam ad Polycarpi epistolam adsuta inde probat, qvod solennis illa interpolatoris Ignatiani opinio de Presbyteris & Diaconis instar Dei & Christi honorandis in illis verbis lateat, respondere possum, Polycarpi verba solennem illam interpolatoris Ignatiani opinionem non spirare, cum ille, ubi Presbyterorum & Diaconorum mentionem facit, Episcopos etiam adjungat, eorumqve supra Presbyteros eminentiam inculcet, qvod, si opus foret, pluribus locis, qvæ partim in pseudepigraphis, partim in interpolatis Ignatii epistolis occurrunt, probari posset. Certe illa sententia, qvam solennem interpolatoris Ignatiani opinionem Vir Clarissimus appellat, in Ignatianis epistolis nusqvam legitur.

CVI. Aliud interpolationis indicium ex eo deprehendi putat, qvod admonitio ad viduas Polycarpi epistolæ inserta cum constitutionibus apostolicis adeo conveniat, ut Turrianus & Bovius constitutionum apostolicarum antiqvitatem ex Polycarpi epistola probare conati fuerint. Jam vero Usserius probavit constitutiones apostolicas & Ignatii epistolas unius ejusdemqve impostoris manu depravatas esse, unde inferri posse videtur, etiam Polycarpi epistolam illi injuriæ obnoxiam fuisse. Verum de Bovio, num hoc argumento

qvod

qvod ex Polycarpi epiſtola deprompțum eſt, ad probandam conſtitutionum apoſtolicarum antiqvitatem uſus fuerit, dubito, cum tale qvid in ejus præfatione ad conſtitutiones apoſtolicas me legiſſe non meminerim. Eſto autem & Bovium & Turrianum hoc argumentum urgere, minime tamen ex illa inter epiſtolam Polycarpi & conſtitutiones apoſtolicas circa præceptum de viduis convenientia colligi poteſt, vel conſtitutiones apoſtolicas Polycarpi epiſtola antiqviores eſſe, qvæ Bovii & Turriani eſt ſententia, vel epiſtolam Polycarpi ex conſtitutionibus apoſtolicis interpolatam eſſe, qvod clariſſimo Tenzelio placet. Potuit enim conſtitutionum apoſtolicarum conſarcinator ut ex aliis Autoribus, ſic ex Polycarpi epiſtola qvædam mutuari.

CVII. Novum clariſſimo Tenzelio argumentum inde naſcitur, qvod Uſſerius probaturus eundem eſſe apoſtolicarum conſtitutionum & epiſtolarum Ignatianarum interpolatorem obſervet, utrobiqve hæreticos a tribus proprietatibus deſcribi, cum utrobiqve de hæreticis dicatur, qvod crucem erubeſcant, paſſionem ſubſannent, & reſurrectionem tanqvam fabulam traducant. Eadem enim hæreticorum deſcriptio etiam in Polycarpi epiſtola occurrit, unde firmiſſime ſe concludere poſſe doctiſſimus Tenzelius exiſtimat, qvod Polycarpi qvoqve epiſtola interpolatoris hujus manus non evaſerit. Verum interpolator Ignatii & conſtitutionum apoſtolicarum illam hæreticorum deſcriptionem ex Polycarpi epiſtola depromere potuit. Neqve, qvod pace Viri doctiſſimi dixerim, ejus ratio cum Uſſerii ratione æqvalis eſſe mihi ponderis videtur. Nam Ignatii epiſtolas corruptas eſſe, ut alia argumenta taceam, collatio diverſorum

ſorum codicum oſtendit. Siqvidem Ignatii epiſtolæ, qvales Iſ. Voſſius ex Mediceo & Jacobus Uſſerius ex duobus Anglicanis codicibus produxit, multum diſcrepant ab illis, qvæ ante Voſſianam & Uſſerianam editionem prodierunt. Contra Polycarpianæ epiſtolæ nullum exemplar hactenus viſum eſt, qvod cum reliqvis editionibus non conveniat, unde illa hæreticorum deſcriptio in omnibus Polycarpi editionibus legitur. Non fugit id Clarisſimum Tenzeliũ, ſed tamen perſvaſum ſibi habet, in Græcia forte aut alibi adhuc exemplar aliqvod epiſtolæ Polycarpi latitare magis genuinum, & ab iis, qvæ hactenus prodierunt, non minus diverſum, qvam eſt Mediceus epiſtolarum Ignatii codex ab aliis editionibus, qvæ ante Voſſianam prodierunt, & tunc palam fore, uter noſtrum probabiliorem foveat ſententiam. Qvin etiam ſuſpicatur, epiſtolam Polycarpi a Cotelerio inter opera Patrum, qvi apoſtolico ævo floruerunt, integriorem & meliorem, qvam vulgatæ ſunt editiones editam fuiſſe. Cui ſuſpicioni ut locum daret Nat. Alexander effecit, qvi hanc epiſtolam a Cotelerio integram exhiberi aſſerit. Verum Cotelerianam editionem ab Uſſeriana non differre ex literis Viri cujusdã celeberrimi, qvi utramqve inter ſe contulit, cognovi. Et valde vereor, ne vana ſit expectatio ejusmodi exemplaris, qvale in Græcia vel alibi latitare credit: Imo credo, ſi alicubi Polycarpi epiſtola a noſtris exemplaribus diverſa lateat, non genuinam, ſed corruptam & interpolatam latere. Nihil enim eſt in noſtris epiſtolæ illius exemplaribus, qvod primævam antiqvitatem & Polycarpi pietatem atqve gravitatem non ſpiret.

CVIII. Objicit tamen Vir Clarissimus, distinctionem Christi & Dei, qvæ in Polycarpi epistola occurrit, Arianismum sapere, Polycarpum autem orthodoxum Trinitatis confessorem fuisse, idqve Calovium in confessione martyrum, Steph. le Moyne in variis sacris, & Bullum in defensione fidei Nicænæ abunde probavisse. Verum hi ipsi Scriptores in epistola Polycarpi nihil Ariani deprehendere potuerunt. Calovius enim in illa ipsa martyrum confessione ex Polycarpi epistola ejus orthodoxiam probat. Le Moyne ea ipsa pagina, qvam Vir clarissimus allegat, *non est*, inqvit; *qvod hic triumphent Ariani aut Sociniani, qvasi hic Polycarpus Deum a Servatore distingveret, nec debent in hac loqvendi ratione præsidium qværere, qvo blasphemæ doctrinæ suæ & odio, qvo gloriam Domini Servatoris nostri proseqvuntur, possint patrocinari.* Et Bullus qvoqve eodem, qvem Vir clarissimus allegavit, loco contra Sandium & autorem Irenici Irenicorum Zwickerum prolixe demonstrat, in ea, qvam habemus, Polycarpi epistola nihil præsidii Arianos invenire, sed potius ex ea satis patere, qvod Polycarpus divinitatem Filii agnoverit & confessus fuerit. Qvin & ipse Vir clarissimus dubitanter admodum Polycarpi epistolam Arianismi arguit, & postea p. 163. forte pessimum hominem consulto epistolam Polycarpi veneno Ariano haud infecisse scribit, qvod ea epistola Ignatianis præmitteretur, ne primo statim aditu ejus fraus patesceret. Verum de hac re non adeo magni momenti ulterius disceptare nolim, unicum hoc addens, saltem in eo Virum clarissimum errasse, qvod me insigni rerum ecclesiasticarum notitia instructum esse censeat. Scilicet a suo erga me affectu, cum ista scriberet, abreptus est, & me ista

lau-

laude prorsus indignum ex suo ingenio æstimavit Vir antiqvitatum ecclesiasticarum adeo peritus, ut bibliotheca ecclesiastica ambulans optimo jure appellari possit.

CIX. Inter Docetas fuisse Marcianum qvendam ex Eusebio constat. Forte autem hic Marcianus non est diversus a Marciano, ad qvem Irenæus scripsit λόγον εἰς ἐπίδειξιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, cujus tractatus Eusebius libr. 5. c. 26. meminit. Etsi enim Irenæus illum tractatū ad Marcianum fratrem scripsisse ab Eusebio dicatur, qvo titulo Irenæus hæreticum Docetam dignaturus nunqvam fuisset, potuit tamen Irenæus illud scriptum Marciano consecrare, anteqvam lapsus in illam hæresin fuisset; qvæ conjectura est Dodwelli diss. 6. ad Irenæum p. 447. qvi etiam in diss. 4. p. 363. & seqv. de Julio Cassiano nonnulla annotavit.

AD CAP. XI.

De

Melitoniis & Melitanis.

CX.

DUos in hoc capite Melitonis errores notavimus, qvibus longe plures addendi essent, si a Melitone scriptus esset liber de transitu Mariæ sub ejus nomine in bibliotheca Patrum & in Combefisii bibliotheca concionatoria

toria tom. 7. editus. Verum abunde conſtat, Melitoni ſuppoſitum eſſe illum fœtum, de qvo videri poterunt Sixtus Senenſis libr. 2. bibl. S. Baronius ad A. C. 48. & 172. Rivetus in apolog, pro Virg. Mar. libr. 1. c. 21. & Crit. S. libr. 2. c. 7. Nat Alexander ſecul. 2. p. 63. Lambecius tom. 8. biblioth. Vindob. p. 161. & 189. & Combefiſius in præfatione ad illum Melitonis tractatum, ubi inter alia non improbandum cenſet, quod Hiſpani Cenſores omnia a c. 8. uſqve ad finem expungenda decreverunt; minus autem probat cenſuram Margarini de la Bigne, qvi ſpurium hunc Melitonem mendacii arguit, qvod c. 5. futuræ mortis anguſtias Mariæ tribuerit, cum Deipara nullas in morte ſua anguſtias paſſa fuerit. Hoc enim a Margarino probari poſſe Combefiſius negat.

AD CAP. XII.

De

Tatianis, Encratitis, Apotactitis &c.

CXI.

EXtat in monumentis orthodoxographis harmonia evangelica Tatiani cum præfatione Victoris Capuani, & hanc Tatiani harmoniam ſtatim excipit alia, qvæ Ammonio Alexandrino adſcribitur ab Ottomaro Luſcinio latine reddita. Vulgaris autem eſt opinio, qvod Tatiani harmonia Ammonio & viciſſim Ammo-

monii harmonia Tatiano debeatur, qva de re qvid mihi videatur, in dissertatione mea exposui. Nunc illud tantum addo, corrigenda esse qvædam verba p. 202. lin. 18. 19. 20. ubi dixi: *haud immerito igitur dubitari potest, num harmonia evangelica, qvam sub Ammonii Alexandrini nomine Victor Capuanus edidit, Tatianum autorem habeat.* Pro qvibus verbis ita legi velim: *haud immerito dubitari potest, num harmonia evangelica, qvam sub Ammonii Alexandrini nomine habemus, Tatianum autorem habeat?* Nam Victor Capuanus illam tantum harmoniam, qvæ Tatiani nomen præfixum habet, & Ammonio potius attribui debuisset præmissa præfatione & subnexis canonibus evangelicis ab Ammonio Alexandrino repertis & deinde ab Eusebio diligenter excultis latine vertit. Ea autem evangeliorum harmonia, qvæ sub Ammonii Alexandrini nomine in orthodoxographis & Patrum bibliothecis legitur, & revera neqve Ammonium neqve Tatianum autorem habet, non a Victore Capuano, sed ab Ottomaro Luscinio multis post Victorem Capuanum seculis latine versa est.

CXII. Tatianorum surculum esse Apotactitas in dissertatione monui, qvorum mentionem etiam fieri video in actis passionis Theodoti Ancyrani & septem Virginum, qvæ autore Nilo teste oculato scripta perhibentur, & a Papebrochio tom. 4. Sanct. Maji d. 18. p. 149. græce & latine edita ac postea latine tantum a Ruinarto sinceris & selectis martyrum actis inserta sunt. In his enim actis refertur, qvod Apotactitæ tres Virgines Tecusam, Alexandram & Phainen, qvarum sepultura ibi describitur, suas esse dixerint.

AD CAPUT XIII.

De

Montano & ejus asseclis.

CXIII.

GRavissimorum errorum in historia Montani arguit Baronium Facditius, cujus supra in historia schismatis paschalis mentionem feci. Cum enim Baronius asserat, juste excommunicatas fuisse a Victore ecclesias Asiaticas, idqve ex eo probet, qvod Montanistæ & alii hæretici eundem cum Asiaticis ecclesiis errorem foverint, & Blastus eodem infectus judaismum latenter in ecclesias introducere conatus fuerit. Facditius tribus his Baronii rationibus totidem ineptias & septem mendacia contineri probat. Nec his contentus octo alia mendacia ex historia Montanistarum Baroniana excerpit. Singula referre nimis longum esset, qvamobrem aliqva tantum indicabimus. Falsum ergo esse probat, qvod magna Montanistarum copia in Asia fuerit, magnumqve inde orthodoxis periculum creverit, qvod Montanistæ luna 14. pascha celebraverint, qvod Victor Montanistas magno odio prosecutus fuerit, illudqve odium in causa fuerit, cur Asiaticas ecclesias in tempore paschatis cum Montanistis conspirantes excommunicaverit, qvod Scriptor ille ecclesiasticus, ex qvo insigne aliqvod fragmentum Eusebius libr. 5. c. 16. pro-

producit, Apollinaris Hierapolitanus Episcopus fuerit, qvod Montanus unicam tantum in divina essentia personam agnoverit, qvod Qvartadecimani a Montanistis orti fuerint, hæc, inqvam, omnia aliaqve plura a Baronio in historia Montanistarum asserta Facditius negat, & singulis fere Baronii verbis mendacia comprehendi scribit, ac prolixe probat, non solum nullo prætextu legitimo Victoris factum excusari posse, sed etiam non obstante illo Victoris fulmine ecclesias Asiaticas in pristina sententia permansisse, nec alias ecclesias propter Victoris fulmen eas communione sua indignas habuisse.

CXIV. In Chrysostomi homilia de pseudoprophetis, qvæ a Savilio in editione Etonensi operum Chrysostomi tom. 7. p. 211. exhibetur, & ab eodem pro spuria habetur, hæc leguntur verba: *ὁμοίως δὲ καὶ τὸν τούτου (Σίμωνος Μάγου) υἱὸν μᾶλλον δὲ καὶ Διαβόλου Μοντανὸν τὸν μωρὸν καὶ ἀκάθαρτον καὶ ἄθεον μετὰ τῶν δύο μοιχαλίδων σπουδῇ πολλῇ ὁ ἅγιος Ἀπόστολος Παῦλος ἐλέγξας καὶ ἄθεον ἀποδείξας καὶ ψευδόχριστον καὶ ψευδοπροφήτην ἐφίμωσε καὶ ἐνέφραξε τὸ μιαρὸν αὐτοῦ στόμα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ μὴ μακροθυμήσας μηδὲ ἀναβαλλόμενος ἐπὶ τούτου βλασφημίᾳ.* Unde colligitur autorem hujus homiliæ credidisse, qvod Montanus non minus ac Simon Magus Apostolorum ævo floruerit. Postqvam enim Simoni Mago Petrum obstitisse dixerat, statim subjicit, similiter Paulum magno studio

ſtudio ſe Montano & duabus ejus adulteris oppoſuiſſe, hominemqve impurum impietatis ſuæ conviciſſe & os ipſi oppilaſſe. Cum autem hæc ab omni hiſtoriæ veritate aliena ſint, Dallæus inter alia argumenta, qvibus hanc homiliam ſpuriam eſſe probat, hanc de Montani & Pauli certamine narrationem primo loco ponit in tractatu de libris Dionyſio Areopagitæ ſuppoſitis pag. 36. Nec improbabilis eſt Pearſonii conjectura, qvi in vindiciis epiſtolarum Ignatii part. 1. c. 10. Johannem qvidem Patriarcham Conſtantinopolitanum, non tamen Chryſoſtomum, ſed longe juniorem nempe Johannem Neſteutem ſeu Jejunatorem homiliæ hujus autorem facit, qva in conjectura Uſſerium præeuntem habuit. Cæterum Voſſius Tungrenſis, cum inter Ephræmi Syri opera illam homiliam ſub Chryſoſtomi nomine ederet, verba illa de Paulo & Montano omiſit, ſive qvod in exemplari ſuo illa verba non repererit, ſive ut hanc homiliam eo felicius Chryſoſtomo vindicare poſſet.

CXV. Etſi autem Montanus ejusq; aſſeclæ a Paulo vivo & præſente refutari non potuerint, alios tamen adverſarios habuerunt, Apollinarem Hierapolitanum, Zoticum Otrenum, Zoticum Comanenſem, qvem nonnulli cum Zotico Otreno eundem faciunt, Apollonium, Miltiadem, Aſterium Urbanum, Julianum Apamenum, Serapionem, Cajum & alios ab Euſebio libr. 5. c. 16. & ſeqv. hiſt. eccl. memoratos, qvi etiam c. 4. illius libri refert, eccleſiam Gallicanam de exorta Montani hæreſi ſolicitam fuiſſe, ideoqve varias epiſtolas partim ad fratres in Aſia & Phrygia, partim ad Eleutherum Pontificem Romanum a Galliæ martyribus, dum vivi adhuc eſſent,

essent, perscriptas fuisse. Similes literas in hoc negotio ab Episcopis Thraciæ contra novas prophetias Montani scriptas fuisse Valesius ex illis colligit, quæ ab Eusebio libr. 5. c. 19. referuntur, ubi post fragmentum ex epistola Serapionis Episcopi Antiocheni additur, eidem epistolæ subscripsisse Aurelium Cyrenium, item Ælium Publium Julium, cujus subscriptio talis fuit: ζῇ ὁ Θεὸς ἐν τοῖς οὐρανοῖς, ὅτι Σωτᾶς ὁ μακάριος ὁ ἐν Ἀγχιάλῳ ἠθέλησε τὸν δαίμονα τῆς Πρισκίλλης ἐκβαλεῖν καὶ οἱ ὑποκριταὶ οὐκ ἀφῆκαν, *testor Deum, qui in cælis est, quod Sotas, qui est Anchiali, dæmonium Priscillæ ejicere voluit, sed hypocritæ neqvaquam permiserunt.*

CXVI. Ex his autem, qvæ in subscriptione Ælii Publii Julii de Sota referuntur, nata est in libello Synodico, qvem a Pappo & Justello editum supra diximus, Synodus Achillana, qvam Scriptor ille antiqvus a sanctissimo Achillarum Episcopo Sota partim contra Theodotum Coriarium, partim contra Montanum & Maximillam congregatam dicit. Idem Autor contra Montanum, quem 878, æonas docuisse & semetipsum pro Spiritu S. venditasse dicit, etiam Hierapolitanam ab Apollinario, & Gallicanam a Confessoribus synodum coactam dicit.

CXVII. Prateolus in hæresi Cataphrygum inter adversarios Montani Melchiadem Papam posuit, Miltiadem Cataphrygum Antagonistam cum Romano Pontifice Miltiade seu Melchiade confundens. Idem Prateolus Rhodonem qvoqve adversus Montanistas pugnasse asserit, ejusqve rei testem Eusebium appellat. Verum Eusebius Rhodonis cum hæresi Marcionis & Apellis certamina memorat, qvod etiam adversus Montanistas scri-

M pserit,

pserit, nusqvam dicit. Fatendum tamen est, Hieronymum in catal. Script. eccl. de Miltiade agentem dicere, qvod Rhodon in opere suo, qvod adversus Montanum, Priscillam & Maximillam composuit, Miltiadis recordetur. Verum Hieronymum hic hallucinatum Rhodoni tribuisse, qvæ Eusebius ex anonymo Scriptore hausit, Valesius in notis ad Euseb. l. 5. c. 12. observavit. Idem Prateolus in hæresi Montanistarum dicit, Montanistas etiam Parmenianos appellari, Montanistas, ut puto, cum Donatistis confundens. Nam inter Donatistarum promachos Parmenianus fuit. Donatistæ autem a qvibusdam Montenses appellati, ut refert Hieronymus ad A. C. 256. Donatus enim ut Romæ qvoqve partem haberet ex Africa Victorem Garbiensem misit, qvi paucis erraticis ibi versantibus episcopi loco præesset, cui postea alii successerunt, qui cum exiguo suo grege, qvem Romæ collegerunt, extra urbem in spelunca quadam gradibus seu potius cratibus, ut Benedictini in præfat. Tom. 9. Oper Augustini observarunt, septa conventicula sua habuerunt, ut Optatus lib. 2. testatur, qva de re in historia schismatis Donatistarum prolixius egimus. Qvi autem ab Hieronymo, Optato Milevitano & aliis Montenses appellantur, a Philastrio de hæres. c. 82. Montanistæ appellantur. Hos autem Montanistas a locis montanis, ubi convenerunt ita dictos, sive Donatistas & Parmenianos cum Montanistis a Montano hæresiarcha appellatis Prateolus turpiter confudit.

CXVIII. Eorum, qvi de Sybillinis carminibus agunt, nonnulli aliqvas in his carminibus confingendis partes etiam Montano aliisqve Montani spiritu affla-

tis

tis tribuunt, etsi alii ab orthodoxis potius ista carmina pia qvadam fraude Sybillis supposita suspicentur. Qvicqvid autem de Sybillinis carminibus statuatur, illud certum est, Montanum non voce tantum, sed scriptis etiam dogmata sua propagasse, ex qvibus fragmenta qvædam in Cataphrygum historia Epiphanius produxit, qvod etiam nonnulli ex Montani asseclis fecerunt, ut Thenison, qvi Zoticum Comanensem & Julianum Apamenum Maximillæ dæmonium coarguere volentes inhibuit, ut apud Eusebium l. 5. c. 16. legitur. Hic enim Apostolorum more epistolam catholicam scripsit, in qva ecclesias ad recipiendam Montani prophetiam hortari ausus est; ut idem Eusebius ejusdem libri c. 18. testatur. Non minus scriptis inclaruit ex Montani asseclis, ut jam de Tertulliano aliisqve taceamus, Proculus vel Proclus, qvi a Tertulliano c. 5. adversus Valentinianos *nostræ virginis senectæ & christianæ eloqventiæ dignitas* appellatur. Cum autem verba *virginis senectæ* obscurum sensum faciant, Pamelius, ut ea clariora faciat, nulli operæ parcit. Verum eum parum proficere notat Halloixius tom. 2. Scriptor. eccl. orient. p. 815. ubi in illo Tertulliani loco legendum censet: *nostræ virginis sectæ & christianæ eloqventiæ dignitas.*

CXIX. Cataphrygas seu Montanistas olim damnatos, qvod profiterentur, mulieres posse Diaconissas ordinari autor est Ambrosiaster in 1. Tim. 3. qvam hæresin alii Acephalis tribuerunt, ut observat Dn. du Cange in notis ad Annæ Comnenæ Alexiadem p. 418. ubi qvalis Diaconissarum & Presbyterarum in primitiva ecclesia ratio fuerit, prolixius exponit.

AD CAP. XIV.

De

Tascodrugitis, Pattalorinchitis & Artotyritis.

CXX.

DE Artotyritis agens ex actis Perpetuæ & Felicitatis nonnulla produxi editis seorsim ab Holstenio & Possino, qvi Holstenio jam defuncto posthumas ejus notas suasqve proprias adjecit, item Antverpiæ ab Henschenio & Papebrochio in act. Sanct. Tom. I. Mart. & a Ruinarto in actis Martyrum sinceris, ut Oxoniensem editionem, qvæ cum Lactantii libello de mortibus persecutorum 1680. prodiit, & alias taceamus. Qvid Conringius in epistola 15. ad Ferdinandum Furstenbergium aliiqve de istis actis senserint, nolo impræsentiarum prolixe commemorare. Qvantum autem ad buccellam casei attinet, qvam aliquis pastoris habitu apparens Perpetuæ obtulit, & qvam illa junctis manibus accepit, & circumstantibus Amen dicentibus manducavit, eam narrationem ab Artotyritarum secta panem & caseum in suis mysteriis adhibentium non alienam esse in dissertatione mea animadverti. Sane non solum Possinus in dissertatione mea allegatus, sed etiam Ruinartus in notis ad hæc acta p. 88. & Henschenius ac Papebrochius in illa Perpetuæ visione ritus eucharisticos adumbrari agnoscunt.

AD

AD CAP. XV.

De

Alogis, Melchisedechianis, Artemone &c.

CXXI.

A Melchisedechianis non procul abfuit Autor libri A. C. 1638. sub nomine Epiphania vulgati. Existimavit enim Melchisedechum, qvem una cum Enocho & Elia ex oriente seu terrestri paradiso ad Christum infantem venisse perversa Matthæi de Magorum ad Christum adventu historia comminiscitur, cœlestem hominem fuisse, nec ex Adami stirpe progenitum, sed ante Adami, imo ante lucis creationem & primum mundi diem a Deo procreatum. Qvam sententiam una cum aliis qvibusdam Scriptoris illius figmentis refutat Petavius l. 1. de opif. 6. dier. c. 4. præter qvem etiam videri poterit Raynaudus in diptycha Mariana p. 102. ubi inter alia illam hujus Scriptoris de tribus Magis sententiam Coloniæ, ubi corpora Magorum qviescere dicuntur, non citra periculum a sandaliis & sputis muliercularum vulgari posse monet. Verum in eo non erravit Scriptor ille, qvod traditionem de corporibus Magorum Coloniæ sepultis fabulositatis damnavit, modo non plurima Scripturæ loca pessime pervertisset, & novitatis studio multa articulis orthodoxæ fidei adversantia sententiarum portenta finxisset.

AD CAP. XVI.

De

Hermogene & Praxea.

CXXII.

ANtiqvis Autoribus, qvi Hermogenis errores perstrinxerunt, addi potest Clemens Alexandrinus in electis ex scripturis propheticis p. 208. edit. Combefisianæ. Dicit enim nonnullos dicere, qvod Salvator corpus suum in sole posuerit, qvam sententiam Hermogeni tribuit, alios vero per corpus Christi intelligere ecclesiam fidelium &c. Et Combefisius qvidem in præfatione ad hæc Clementis Alexandrini electa suspicatur, a Clemente illum Hermogenem perstringi, cujus Paulus 2. Tim. I. 16. mentionem facit, & de qvo in priori dissertationis nostræ sectione actum est. Verum probabilius est, Clementem in his electis Hermogenem sibi coævum perstrinxisse, cui & alii Scriptores hunc errorem tribuerunt, qvod corpus Christi in sole positum somniaverit.

AD CAP. ULTIMUM,

De

Antitactis, Peratis & Helcesatiis.

CXXIII.

ANtitactis pariter & Peraticis nec minus omnibus fere hæresibus ævi apostolici & apostolico proximi, qvas

qvas hactenus recensuimus, in Synodica epistola Sophronii, qvæ actione 11. Synodi 6. generalis lecta est, anathema dicitur.

CXXIV. Helcesaitarum & aliorum qvorundam veterum hæreticorum meminit Methodius in convivio decem virginum, qvod Leo Allatius, Petrus Possinus & Franciscus Combefisius ediderunt & notis suis illustrarunt. Hæreticos enim cum tertia parte stellarum, qvas draconis apocalyptici cauda in terram detraxit comparans nonnullos hæreticorum circa Patris personam errare dicit, ut Sabellius, alios circa personam filii, ut Artemas, & qvi Christum δοκήσει tantum & apparenter natum dixerunt, aliqvos circa Spiritum S. ut Ebionæi, qvi Prophetas proprio motu locutos contenderunt. | Et postea subjicit, se de Marcione, Valentino & Helcesæo nihil addere, cum eorum ne meminisse qvidem utilius videatur. Conf. edit. Allat. p. 195. & Combefis. p. 113.

Et hoc Methodii judiciũ forte aliqvos in eam sententiam deducet, ut me bonas horas male collocasse putent, qvas historiæ hæresiarcharum ævi apostolici & apostolico proximi impendi, cum utilius videatur antiqvas illas hæreses perpetuis tenebris damnari, qvam in illorum deliria inqviri. Unde non defuit, qvi miraretur, a me dissertationem de hæresiarchis antiqvis aggressuro non prius qvæsitum, num hæc tractatio aliqvid utilitatis habitura sit. Verum insigni usu hæresiarcharum veterum historiam non destitui ostendit doctissimus Petavius in epistola dedicatoria ad Cardinalem Rupifucaldium Epiphanii operibus præmissa & nuperrime Nicolaus le Nourry in apparatu ad bibliothecam maximam veterum Patrum Lugduni editam. Postqvam enim sub initium

tium hujus apparatus hæreses primi a Christo nato seculi breviter recensuit, qvæ ex hac hæreticorum descriptione utilitas speranda sit, inqvirit, & observat, qvod hæresium antiqvarum cognitio ad multa Patrûm loca intelligenda plurimum faciat, novorum hæreticorum nova se proferre putantium superbiam confundat, & qvæ olim doctrina pro sana & orthodoxa habita fuerit, exponat. Qvamobrem laboris in hanc dissertationem de hæresiarchis primi & secundi seculi impensi adeo me non pœnitet, ut potius etiam seqventium seculorum hæreses propediem exponere animum induxerim, si Deus vires & sanitatem concesserit, cui sit gloria in secula seculorum Amen.

Finis appendicis ad dissertationem de Hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi.

DISSERTATIO PRIMA

De

Pseudepigraphis Christi, Virginis Mariæ & Apostolorum.

PRæter libros canonicos novi testamenti, qui ab Evangelistis & Apostolis Dei impulsu scripti sunt, non pauca eodem ævo consignata perhibentur monumenta ecclesiastica, quorum aliqua Viris Apostolicis, aliqua Apostolis, aliqua B. Virgini Mariæ, aliqua denique ipsi Christo tribuuntur, & partim in hunc usque diem circumferuntur, partim sola memoria relicta pridem perierunt. Et ea quidem, quæ a Viris Apostolicis exarata traduntur, alii dissertationi reservamus, in præsenti tantum de pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum breviter acturi.

CAP. I.

De

Christi epistola ad Abgarum.

I.

ATque ut à scriptis ipsi Christo attributis ordiamur, notum est legi apud Eusebium libr. 1. hist.

ecclef. c. 13. Abgari ad Chriftum literas una cum epiftola Chrifti refponforia, qua huic Edeffæ Toparchæ ægroto & opem fuam imploranti pollicetur, fe poft fuum ad Patrem abitum unum ex difcipulis fuis Edeffam ablegaturum effe.

II. Utramque epiftolam ex archivis ecclefiæ Edeffenæ depromptam & e Syriaco fermone in græcum translatam Eufebius memorat, additque promiffionis fuæ Chriftum non immemorem fuiffe, cum poft ejus in cœlum adfcenfionem Thomas Apoftolus unum e feptuaginta difcipulis, nomine Thaddæum in urbem Edeffam miferit, qui manu impofita Abgarum fanavit.

III. Nec defunt alii, qui poft Eufebium epiftolas illas Abgari & Chrifti amœbæas non tamen iisdem plane verbis, fed nonnullis additis vel detractis aliterve mutatis in fcripta fua retulerunt. Conftantinus n. Porphyrogenneta Imperator in narratione de Edeffena Chrifti imagine, quam Francifcus Combefifius in originum rerumque Conftantinopolitanarum manipulo græce & latine cum fcholiis fuis edidit p. 79. Abgari ad Chriftum epiftolam & p. 81. Chrifti refponfum exhibet, in quo Chriftus non folum Abgaro curationem a morbo & vitam æternam, fed etiam, quod ab Eufebio prætermiffum eft, urbi Edeffæ invictum adverfus omnes hoftes robur pollicetur. Unde Combefifius obtendit, Eufebium mala fide hiftoriam Abgari tractaffe, cum imprimis non folum cautionem fecuritatis urbi Edeffæ factam, fed etiam omnia ad imaginem Chrifti fpectantia, quæ in Porphyrogennetæ narratione prolixe memorantur, tacitus omiferit. Verum Eufebium ifta meliori fide omififfe, quam Porphy-

rogen.

rogennetam addidiſſe extra dubitationis aleam poſitum videtur.

IV. Eaſdem Abgari & Chriſti epiſtolas ſuo hiſtoriarum compendio inſeruit Georgius Cedrenus, qui itidem multas circumſtantias, quæ Euſebium latuerant, adjecit. Refert inter alia, Abgarum duplici morbo nempe diuturnis articulorum doloribus, & lepra nigra conflictatum fuiſſe, & nuncium, quem Abgarus ad Chriſtum ire juſſit, pictorem fuiſſe, & ut Chriſti faciem depingeret in mandatis habuiſſe. Ac ne quis de fide epiſtolæ ad Abgarum a Chriſto ſcriptæ dubitet, ad calcem epiſtolæ, ſigillum a Chriſto impreſſum delineat, quod ſeptem hebraicis literis notatum memorat, quarum ſenſum hunc fuiſſe dicit: *θεȣ̃ θεαθὲν θαῦμα θεῖον, Dei ſpectatum divinum miraculum.* Verum hoc ſigillum cum illo minus convenit, quod alius quidam Græculus in exemplari MSC. bibliothecæ Vindobonenſis epiſtolæ Chriſti ſubjecit ex ſigno crucis & græcis aliquot literis hoc modo conflatum: †: Ψ. X. E. Τ Ρ. Α. cujus ſigilli interpretationem ab eodem Græculo additam Lambecius tom. 5. p. 9. ſuis lectoribus invidit, non aliam dubio procul ob cauſam, quam quod nugas illas luce publica indignas cenſuiſſet.

V. Eædem Abgari & Chriſti epiſtolæ apud Nicephorũ Call. libr. 2. c. 7. hiſtoriæ eccleſiaſticæ leguntur. Quod autem Johannes Strauchius in ſuis eclogis ſeu amænitatibus juris canonici p. 165. hanc Chriſti epiſtolam etiam apud Damaſcenum libr. 4. de orthodoxa fide c. 17. legi aſſerit, in eo fallitur, cum in toto Damaſceno nulla illius epiſtolæ mentio occurrat, & in loco, quem Vir celeberrimus allegavit Damaſcenus non de epiſtola, ſed de imagine Abgari ad Chriſtum miſſa locutus fuerit.

VI. In Armenorum linguam translata legitur hæc Christi epistola apud Clementem Galanum in conciliatione ecclesiæ Armenæ cum Romana A. C. 1650. Romæ publicata, cujus parte 1. c. 6. & seq. ex Niersis Patriarchæ Armeni carmine historico de Regibus Armeniæ historia Abgari recensetur, simul Abgari ad Christum epistola cum responso Christi exhibetur. Neque has Abgari & Christi literas in evangelica Christi historia, quam persice conscriptam Mogarensibus obtulit, omisit Franciscus Xaverius, sed eas repræsentat pag. 357. ad quem locum Ludovicus a Dieu, qui persicam illam Christi historiam latine reddidit & notis illustravit, animadvertit, se epistolam Christi ad Abgarum arabica lingua expressam in codice quodam MSC. quem ex Johannis Eligmanni bibliotheca mutuo accepit, invenisse. Operæ a. pretium se facturum existimavit Vir doctissimus, si ex manuscripto isto arabico epistolam Christi ad Abgarum integram exhiberet, & simul latine redditam notis suis ad persicam Christi historiam insereret, cum præsertim in hoc exemplari multa addita reperiantur, quæ in aliis epistolæ hujus editionibus non comparent. Nam Christus in arabico illo codice non solum Abgarum certiorem facit, vires hostium nihil adversus urbem ejus valituras, quocunque loco epistolam suam collocaverit, sed etiam septem præcepta illi tradit, quorum primum est; *ego voluntarie passionem meam & crucem subeo.* secundum: *ego non sum merus homo, sed perfectus Deus & perfectus homo*, ut reliqua taceamus, quæ apud Ludovicum a Dieu legi poterunt in eo, ut hoc obiter moneamus, hallucinantem, quod in prædictis notis de epistola Christi ad Abgarum agens Cedrenum, de lepra Abgari tacuisse scribat. Ab illo autem arabico exemplari, cujus editionem

Ludo-

Ludovico a Dieu debemus plane diversum est, quod apud Gregorium Abul Pharajum in arabica dynastiarum historia pag. 71. 72. legentium oculis sistitur.

VII. Inter scriptores antiquos, qui integram quidem Christi epistolam non exhibent, sed mentionem tamen aliquam ejus faciunt, primus occurrit Ephræm Syrus. Is n. in testamento suo refert, Abgarum per literas a Christo, ut in civitatem suam Edessam commigraret, postulasse, & Dominum ejus fidem admiratum eo misisse per nuncios, perpetuo civitati illi benedixisse, ejusque fundamenta firmasse. Ad quæ verba Bollandus & Henschenius, qui Vossianam Ephræmi versionem cum manuscripto græco contulerunt, in actis Sanctorum Februarii T. I. p. 63. observant in græco codice legi: πέμψας δὶ ἀγγέλων αἰωνίων εὐλόγησε τὴν πόλιν quasi Christus per æternos nuncios urbi benedixisset. Verum rectius fortasse legetur: δὶ ἀγγέλȣ Ἀνανία per nuncium Ananiam, cum apud Eusebium Christi epistola per Ananiam cursorem ad Abgarum missa referatur. Cum a. Ephræmus quarto seculo vixerit, ex ejus verbis colligi potest, statim post Eusebii ætatem traditionem illam natam esse, quod Christus in sua ad Abgarum epistola non solum ejus sanitatem restitutum, sed etiam ejus urbem nullis hostium machinis expugnatum iri scripserit.

VIII. Post Ephræmum Darius Comes in suis ad Augustinum literis epistolarum Abgari & Christi meminit. Non n. tantum refert, quid Abgarus a Christo postulaverit, sed etiam quid Christus ei per literas promiserit. *Affuit*, inquit, *Deus Regi, sanatus est & amplificato petitionis munere per epistolam non modo salutem ut sup-*

 pli-

plici, sed etiam securitatem ut Regi transmisit. Jussit insuper & urbem ab hostibus in perpetuum esse ac semper immunem. Neque dubium est, quin ad hanc Darii Comitis epistolam respexerit Richardus Montacutius, cum in originibus suis ecclesiasticis part. 2. pag. 63. ex epistola 263. apud Augustinum constare ait, quod Abgari & Christi epistolæ in ecclesia illius temporis pro genuinis agnitæ & admissæ fuerint. Quod Montacutii argumentum dum solvere conatur Johannes Strauchius in amœnit jur. canon. ecl. 6. c. 12. respondet, Augustinum tot epistolas ad nos non transmisisse. Et hanc responsionem sufficere ratus clarissimus Reiskius in exercit. de imag. Christi p. 32. errorem ex Strauchio haustum aliis propinat, Montacutio in eadem causa nihil aliud reponens quam celeberrimi Strauchii autoritatem, Augustinum tantum 222. epistolas nobis reliquisse & cæteras ignorari asserentis. Verum qui vel recentiores operum Augustini editiones vel supplementum operum Augustini ab Hieronymo Vignierio editorum inspexerit, longe plures Augustini epistolas numerari videbit, inter quas Darii Comitis epistola locum occupat modo 263. ut in Antverpiensi & aliisquibusdam operũ Augustini editionibus, modo 264. ut in supplemento Vignieriano, modo 230, ut in novissima Augustini editione Parisiensi per Benedictinos e congregatione S. Mauri procurata, qui in chronotaxi epistolarum Augustini animadvertunt, hanc Darii epistolam circa annum C. 429. scriptam fuisse, quo Augustinus extremam ætatem jam agebat. Non igitur falsi & fraudis arguendus eo nomine est Montacutius, quod epistolam 263. inter Augustinianas allegaverit. Neque audiendi, qui Darii Comitis epistolam suppositam suspicantur, quod eos tantum face-

re

re video, qui se Darii Comitis epistolam nunquam legisse prodant. Neque tamen Montacutio assentior dicenti ex hac epistola Darii constare, quod Augustini ævo epistola Christi ad Abgarum pro genuina habita fuerit. Quis n. hoc ex istis Darii verbis exsculpere poterit: *fertur Satrapæ seu Regis potius cujusdam epistola &c.?*

IX. Labente quinto seculo Gelasius Pontifex Romanus in decreto de libris approbandis & repudiandis, quod Gratianus in *distinct. 15. c. S. Romana ecclesia* producit, epistolam Christi ad Abgarum apocryphis annumerat. Unde Carolus M. in capitulari adversus imaginum cultum edito libr. 4. c. 10. epistolas Abgari & Christi in ecclesia nullius valoris esse probaturus ad hoc Gelasii edictum provocat, quamquam, si alia argumenta deessent, his epistolis a Gelasii autoritate parum damni metuendum foret. Cum n. Gelasius in canonicis scriptis recensendis erraverit, etiam in apocryphis referendis errare potuit.

X. Reliqui Scriptores, qui præter Ephræmum, Darium Comitem, & Gelasium epistolarum illarum mentionem fecerunt, omnes quinto seculo sunt recentiores. Et Procopius quidem Cæsariensis libr. 2. de bell. Pers. c. 12. refert, quod Abgarus podagræ doloribus afflictus post irrita medicorum consilia, Christi auxilium, de cujus miraculis multa audiverat, imploraverit, eumque rogaverit, ut relicta ingrata Judæorum natione secum vivere dignaretur, Christus a. sanitatem quidem ipsi promiserit, sed ad eum venire detrectaverit. Addit Procopius Edessenos ex Christi ad Abgarum epistola urbem suam inexpugnabilem perpetuo futuram sibi persuasisse, ideoque hanc epistolam in portis suis exscriptam pro firmissimo munimento habuisse,

isse, se autem istam Edessenorum traditionem falsam judicasse. Quem Procopii locum attigit Evagrius libr. 4. histor. eccl. c. 27. qui tamen ex Procopio non hausit, quæ de imagine Christi ad Abgarum missa ibidem addidit. Qui autem ex ipso Procopio, quid ille de Christi ad Abgarum epistola scripserit, cognoscere cupit, eum non latinas Procopii editiones, in quibus hæc omissa sunt, sed vel græcam Hœschelii vel græco-latinam Maltreti consulere oportet.

XI. Quamvis 1. Procopius Christum Edessenis urbem eorum inexpugnabilem futuram promisisse non crediderit, sed potius illam epistolæ partem, qua hæc promissio continetur, ab aliis confictam existimaverit, arbitratus tamen est, Christum non permissurum, ut urbs ista suo præsidio confisa ab hostibus caperetur. Verū eum sua opinio fefellit. Nam Romano Argyropolo imperante Georgius Maniaces Protospatharius urbium ad Ephratē Prætor Edessa potitus epistolam Christi manuscriptam ibidem invenisse, eamque ad Imperatorem Constantinopolin misisse dicitur apud Zonaram libr. 17. annal. c. 12. A quo tempore hæc epistola in magna veneratione apud Constantinopolitanos fuit. Nam sub Michaelis Paphlagonis imperio ad Dalassenum, cum Byzantium redire detrectaret, missus est Constantius Phagizes Imperatoris familiaris, qui una cum sacræ crucis reliquiis, & imagine Christi linteo impressa & Deiparæ imagine epistolam Christi manuscriptam secum tulit, ne de sua securitate Dalassenus dubitaret, ut refert Cedrenus tom. 2. p. 735. qui etiam paulo post p. 739. memorat, propter maximam siccitatem sub ejusdem Michaelis imperio exortam processione sacra Deo supplicatum fuisse, in qua Magnus Domesticus epistolam Chri-

Christi ad Abgarum circumgestavit. Verum in seditione, quæ adversus Andronicum Comnenum imperio jam dejectum excitata fuit, sacrum illud vasculum, quo Christi manu scriptæ ad Abgarum literæ contineri ferebantur, furto sublatum est, ut narrat Nicetas Choniates libr. 2. de Andronico Comneno c. 12. p. 223. Meminerunt præterea hujus epistolæ ad Abgarum a Christo scriptæ Syncellus in chronographia sua p. 329. Hadrianus I. in epistola ad Carolum M. pro Synodo Nicæna 2. c. 18. Gregorius II. in epistola ad Leonem Isaurum apud Baronium tom. 9. annal. ad A. C. 726. Theodorus Studites in epistola ad Paschalem Papam apud Baronium ad A. C. 817. & quidam alii.

XII. Quemadmodum vero Laurentius Valla circa hanc epistolam nimis morosus fuit, qui ut ipse in historia calumniæ theologicæ ex 4. ejusdem libro adversus Poggium excerpta & Argentorati A. C. 1522. seorsim edita p. 4. memorat, Episcopum quendam cum epistolam Christi ad Abgarum Regem allegasset salse derisit, judicans Abgarum ne hominem quidem, nedum Regem fuisse: ita neminem tam facilem fore puto, qui fabulis recentiorum ad Eusebianam narrationem additis fidem habeat, quorum aliqui Christi ad Abgarum epistolam tantæ virtutis & efficaciæ fuisse finxerunt, ut ab eo tempore, quo Edessam venit, nullus ibi hæreticus, vel judæus, vel idolorum cultor vivere, nec hostes urbe potiri potuerint, modo Edesseni epistolam hanc per puerum ex muris legi curaverint, cujusmodi fabula apud Petrum de Natalibus texitur in catalogo Sanctorum libr. 6. c. 43. ubi de translatione Thomæ Apostoli agitur.

XIII. Num verò cum iſtis recentiorum commentis etiam epiſtolas rejiciemus, quas Euſebius hiſtoriæ ſuæ eccleſiaſticæ inſeruit? Ita videtur inter Pontificios Natali Alexandro diſſ. 3. ſec. 1. Richardo Simonio in critica textus N. T. p. 23. Ellies du Pin, & quibusdam aliis, a quibus diſſentiunt Gretſerus in tractatu de imaginibus Chriſti manu non factis c. 3. Facditius in commentario ad compendium ſermonis ſui die Polycarpi habiti p. 66. & ſeqv. Tillemontius hiſtor. eccleſ. T. I. part. 3. p. 990. & 1112. Si Reformatæ, quæ vulgo dicitur, religioni addictos conſulamus, eos itidem in varias ſententias abire videbimus. Gulielmus in. Cave Vir apud Anglos & per totum orbem literatum celeberrimus in hiſtoria literaria Scriptorum eccleſiaſticorum p. 2. & 3. has epiſtolas fide non indignas cenſet, etſi pro ea qua eſt modeſtia cum nemine hac de re contentionis funem ſe ducturum fateatur. At doctiſſimus Caſaubonianarum exercitationum continuator Samuel Baſnagius p. 430. & ſeqv. ut epiſtolis iſtis fidem derogandam eſſe probet, multa argumenta cumulat, quorum tamen aliqua non eſſe magni ponderis videntur.

XIV. Mihi eo imprimis nomine ſuſpectæ iſtæ epiſtolæ videntur, quod nulli veterum Scriptorum ante Euſebium memoratæ fuerint, & poſt Euſebium inter Scriptores quarti & quinti ſeculi parca earum mentio occurrat, quem ſcrupulum exceptiones, quæ afferri ſolent, mihi nondum eximere potuerunt. Verum hæc de Chriſti ad Abgarum epiſtola dicta ſufficiant, quem aliqui Abagarum, alii Agbarum vel Agabarum, aliqui Augarum appellare maluerunt. In qua varietate quid præferri de-

ri debeat, Excellentiſſimus Spanhemius in aureo opere de præſtantia & uſu numiſmatum pag. 46. egregie docuit.

CAP. II.

De

Scriptis quæ Hæretici Chriſto affinxerunt, nec non de epiſtolis Chriſti, quæ cælitus demiſſæ aut ab eo dictatæ perhibentur.

I.

CUm epiſtola ad Abgarum, quæ ſub Chriſti nomine prodiit, non parem fortunam habuerunt ſcripta Chriſto ab antiquis hæreticis affictа. Nusquam enim hodie comparent libri, quos Simonem Magum & Cleobium ſeu potius illorum diſcipulos & ſectatores ſub Chriſti nomine vulgaſſe Autor conſtitutionum apoſtolicarum lib. 6. c. 16. his verbis refert: *οἴδαμεν, ὅτι οἱ περὶ Σίμωνα καὶ Κλεόϐιον ἰώδη συντάξαντες βιϐλία ἐπ' ὀνόματι χριςȣ͂ καὶ τῶν μαθητῶν αὐτȣ͂ περιφέρȣσιν εἰς ἀπάτην ὑμῶν τῶν πεφιληκότων χριςὸν καὶ ἡμᾶς τȣ̀ς αὐτȣ͂ δȣ́λȣς*, h. e. *novimus eos, qui circa Simonem & Cleobium ſunt ſub Chriſti & di-*

ſcipu-

ſcipulorum ejus nomine venenatos libros compoſuiſſe, eosque circumferre ad decipiendum eos, qui Chriſtum & nos ejus ſervos diligunt.

II. Jampridem etiam perierunt libri, quos Auguſtini ævo hæretici quidam a Chriſto ſcriptos contendebant, & quibus illas artes contineri dicebant, quibus Chriſtus ſua miracula patravit. Quos impoſtores pro merito ſuo exagitat Auguſtinus libr. 1. de conſenſ. evangel. c. 9. Miratur n. cur, qui tales libros ſe legiſſe affirmant, non ipſi quoque talia miracula faciant, ſi artes, quas Chriſtus in miraculis ſuis patrandis adhibuit, ex libris iſtis cognoſcere potuerint. Imprimis a. c. 10. eos etiam hoc nomine perſtringit, quod libros illos Chriſti epiſtolæ inſtar ad Petrum & Paulum ſcriptos dicerent, quaſi jam illo tempore, cum Chriſtus in terris verſaretur, Paulus perinde ac Petrus Chriſti diſcipulus fuiſſet. In quem errorem eos picturis inductos ſuſpicatur, cum forte Petrum & Paulum una cum Chriſto pictos in parietibus viderint, juſtum eſſe pronuncians, ut, qui tales libros fingebant, a pingentibus deciperentur. Nec dubito, quin ad hos libros reſpexerit Hornius, cum in hiſtoria eccleſiaſtica N. T. art. 1. n. 8. blaſphemum Juliani mendacium fuiſſe dicit, quod Chriſtus de magia ſcripſerit, & opus illud Petro & Paulo dedicaverit, cujus rei teſtem allegat Cyprianum libr. 1. contra Julianum. Verum memoria lapſus, cum iſta ſcriberet, videtur. Neque n. quiſquam indicare poterit, quis ille Cyprianus, & ubinam gentium illud Cypriani opus adverſus Julianum reperiatur, quod neque ab Hartnaccio, neque a Leydecke-

ro,

ro, etsi uterque notas in Hornii historiam ecclesiasticam scripserit, animadversum miror. Sed misso isto Cypriano ad Augustinum redeo, qui etiam libr. 28. contra Faustum Manich. c. 13. eos stultitiæ arguit, qui fictitias quasdam Christi literas producebant, *quis tam demens*, inquit, *qui hodie credat esse epistolam Christi, quam pretulerit Manichæus, & non credat dicta & facta esse Christi, quæ scripsit Matthæus?*

III. Cum autem libri isti, quos veteres hæretici a Christo scriptos commenti sunt, pridem perierint, jacturam illam, etsi minime sit dolenda, resarcire tamen conati sunt, qui Christum etiam post gloriosam in cælos adscensionem a literis scribendis non vacasse finxerunt. Cujusmodi impostor fuit Aldebertus quidam, quippe qui epistolam Christi tanquam cælitus missam jactavit. Verum epistola illa ex eodem, dubio procul cælo lapsa est, ex quo apocryphus ille Helcesaitarum liber decidit, cujus Eusebius libr. 6. histor eccl. c. 38. meminit. Qualis n. epistola illa fuerit, ex ejusdem inscriptione colligi potest, quæ servata est in actis Synodi Romanæ sub Zacharia habitæ tom. 6. concil. Labb. edit. 1556. inserta quoque epistolis Bonifacii Germanorum Apostoli a Nicolao Serario editis p. 186. Scilicet epistola illa JESU Christi in Hierosolyma cecidisse, & per Michaelem Archangelum ad portam Ephraim inventa & per manus Sacerdotis nomine Icare exemplata, & ad alias civitates aliis Sacerdotibus missa dicitur. Eadem epistola per manus Angeli in Romanam civitatem pervenisse perhibetur ad locum sepulchri Petri, ubi claves regni cælorum constitutæ

tæ ſunt. Additur duodecim Papatos ſive Clericos in civitate Romana triduanas feciſſe vigilias in jejuniis & orationibus per dies & noctes. Aldebertum a. qui hanc epiſtolam produxit Bonifacius in epiſtola ad Zachariam, his coloribus delineat, quod veſtimentis ovium indutus intus lupus rapax fuerit quod neſcio quas reliquias ab Angelo ſibi allatas gloriatus fuerit, quarum ope, quæcunque poſceret, a Deo impetrare poſſet, quod in tantam ſuperbiam degeneraverit, ut ſe Apoſtolis æquipararet, & nomini ſuo oratoria conſecraret, quod populo ante pedes ſuos proſtrato & peccata ſua confiteri cupienti dixerit: *ſcio omnia peccata veſtra, quia cognita ſunt mihi occulta veſtra. Non opus eſt confiteri, ſed dimiſſa ſunt peccata veſtra &c.* Multa denique paucis comprehenſurus Bonifacius ſcribit, Aldebertum omnia quæcunque ſanctum evangelium hypocritas feciſſe teſtatur, ſuo habitu, inceſſu, & moribus imitatum fuiſſe. Talis a. ſi Aldebertus fuit, non difficulter judicare licet, cujusmodi epiſtola fuerit, quam a Chriſto ſcriptam & cælitus lapſam ſomniavit.

IV. Similem epiſtolam, quæ in titulo ſuo itidem a Chriſto ſcripta & in urbem Hieroſolymam lapſa dicitur, ex codice Tarraconenſi deſcripſit Petrus a Marca, quam in ejus ſchedis repertam exhibet Stephanus Baluzius in appendic. actorum veter. tom. 2. Capitul. p. 1596. Imprimis vero in illa epiſtola ſanctificatio diei dominicæ inculcatur, & opera, quæ a Chriſtianis hoc die vel peragi vel omitti debent recenſentur, graviſſimæque pœnæ iis, qui hæc præcepta neglexerint, indicantur. Quod argu-

argumentum ita tractatur, ut ex ſtyli barbarie multisque ineptiis, quo ævo hæc epiſtola ſcripta fuerit non difficulter judicari poſſit. Et ad hanc ipſam epiſtolam in Capitulo 76. Capitularis Aquisgranenſis reſpici ſuſpicatur Baluzius in notis ad Capitularia Regum Francorum pag. 1137. Capitulum a. illud ita ſe habet: *pſeudepigrapha & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem catholicam ſunt, ut epiſtola peſſima & falſiſſima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes & in errorem alios inducentes, quod de cælo cecidiſſet, nec credantur, nec legantur, ſed comburantur, ne in errorem per talia ſcripta populus mittatur, ſed ſoli canonici libri & catholici tractatus & ſanctorum Autorum dicta legantur & tradantur.* Quod Caroli M. decretum A. C. 789. ſancitum etiam in libris capitularium Caroli M. & Ludovici Pii ab Anſegiſo Abbate & Benedicto Levita collectorum libr. 1. c. 73. legitur, & in prima appendice Reginonis Abbatis Prumienſis de eccleſiaſticis diſciplinis ita exprimitur: *pſeudographiæ & dubiæ narrationes vel quæ omnino contra fidem catholicam ſunt, ut epiſtola peſſima & falſiſſima, quam dicunt in Hieruſalem de cælo cecidiſſe nec credantur, nec legantur, ſed comburantur.*

V. Neque tamen poſt illud decretum homines maleferiati epiſtolas cælitus lapſas confingerec eſſarunt. Nam in conventu quodam Francico unus ex Epiſcopis Franciæ dixit, cælitus ſibi delatas literas, quæ pacem in terra renovandam admonerent, cujus epiſtolæ autoritate decretum eſt, ne quisquam arma ferret, vel direpta repeteret, ut reliqua illius concilii decreta taceam tan-

ta cum severitate sancita, ut sacramento firmarentur, &, qui his obedire nollent, sepultura indigni haberentur. Et multi quidem novarum rerum cupidi decreta illa libenter amplexi sunt. Verum Gerardus Cameracensis, ut decreta illa reciperet, adduci non potuit, qua de re Sigebertus Gemblacensis ad A. C. 1032. juxta edit. Pistor. vel 1033. juxta editionem Miræi conferri poterit. Glaber tamen Rodulphus lib. 4. hist. c. 5. Francica ejusdem temporis concilia describens epistolæ cælitus delatæ non meminit, sed tantum dicit totam multitudinem, ut Præsulum suorum præceptis obediret, paratissimam fuisse, non minus quam si vox demissa e cælo hominibus in terra loqueretur. Aliud a. exemplum talis epistolæ suppeditat Dodechinus Abbas monasterii S. Dysibodi in continuatione Mariani Scoti tom. 1. scriptor. germ. Pistorii p. 462. Refert n. quod A. C. 1096. post multa quæ tum contigerunt portenta Petrus quidam claustris suis egressus totum orbem commoverit, epistolam quandam circumferens, quam cælitus lapsam asserebat, ut his artibus christianos ad Hierosolymam occupandam excitaret.

VI. Et hujus furfuris etiam sunt scripta aliqua, quæ a Christo dictata perhibentur, cujusmodi monumentum est regula Brigittæ Svecicæ, quæ verbotenus ab ipsomet Christo tradita perhibetur & dictata, item epistola, quæ a Christo Camillæ de Varanis dictata fertur, & a Papebrochio Tom. VII. Sanctorum Maji una cum ipsius vita exhibetur. Aliqua etiam JESU Christi manuscripta anno nostri ævi 23. a parentibus visa memorat

rat Deckherus in tractatu de scriptis adespotis p. 43. quæ cujusmodi fuerint ignorare me fateor, certo tamen persuasum mihi habens, talia illa esse, quæ nemo temere, qui illa viderit aut legerit, a Christo scripta credat. Cujusmodi epistolam etiam aliquando, dum viveret, nactus est Jacobus Tenzelius Arnstadiensis Ephorus, quem superstitiosos homines Christo tanquam Autori epistolam illam tribuentes peculiari concione graviter reprehendisse, ejusdem Filius Gulielmus Ernestus Saxonicorum Ducum Historiographus nuper mihi retulit, qui exemplar illius epistolæ nunc possidet, idque quamprimum occasione data ad me missurum pro insigni, qua me amplectitur, benevolentia promisit.

CAP. III.

De
Pseudepigraphis B. Mariæ Virginis.

I.

Cum vero ipsi Christo epistolæ aliæque chartæ afflictæ fuerint, haud mirandum est, etiam B. Virginis Mariæ nomine abusos fuisse impostores. Huic n. tribuitur *epistola ad S. Ignatium* Episcopum Antiochenum, quæ primum Parisiis ad calcem quadripartitæ

historiæ de vita & morte Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi una cum duabus Ignatii ad Johannem Evangelistam & una ad Mariam epistolis A. C. 1495. prodiit, postea a Sixto Senensi bibliothec. S. libr. 2. sub voce Mariæ & aliis sæpius exscripta. Etsi vero Fl. Lucius Dexter ad A. C. 430. illa ætate epistolas B. Virginis ad Ignatium, & Ignatii ad beatam Virginem fidelium manibus tritas memoret, nemini tamen obscurum esse potest illud Dextri chronicon quod nostro seculo prodiit, non habere autorem Dextrum illum Paciani filium, a quo omnimodam historiam contextam Hieronymus Dextro illi coævus in catalog. Scriptor. ecclesf. c. 132. retulit, oleumque & operam perdidisse Franciscũ Bivariũ, qui, ut Nicolai Antonii judiciũ in bibliotheca ejus Hispanica expressum meum faciam, agrum hunc malignũ & apud optimos veri censores perpetua sterilitate damnatũ operosis commentariis & apologiis excolere conatus est. Pseudepigraphũ n. esse illud chronicon, ejusque autorem tenebrionis potius sinistri quam Lucii Dextri nomen mereri eruditorũ plurimi & post alios nuperrime probavit illustrissimus Romanæ ecclesiæ Cardinalis Agvirre in conciliis suis Hispanicis, quæ hoc ipso anno Romæ prodierunt. Exploso a Dextro nullum antiquitatis testimonium illis superest, qui B. Virginis epistolam ad Ignatium pro genuina venditant. Accedit ad silentium totius antiquitatis ratio temporis, quæ vix admittit, ut commercium literarium inter Ignatium & Mariam reciprocari potuerit, quam difficultatem a Christophoro de Castro in historia Deiparæ c. 23. defensoribus hujus epistolæ obje-

ctam

ctam ut solvat, multum se torquet Halloixius in vitis illustr. eccles. oriental. Scriptor. p. 466.

II. Nec majorem fidem meretur *EPISTOLA* Divæ Virginis *AD MESSANENSES*, etsi Lucius Dexter ad A. C. 86. n. 11. celebrem hujus epistolæ memoriam commendet, & ad A. C. 430. n. 7. isto tempore hanc epistolam Hebraice exaratam in tabulario Messanensi repertam referat. Credat id Bivarius, qui in notis ad Dextrum p. 177. & 178. hanc epistolam hispanice & latine exhibet, & in memoriam tanti beneficii ecclesiam Messanensium metropolitanam *la Madona de Littrio* ab hac epistola, quæ reverenter illic asservari dicitur, nuncupatam observat. Verum & inscriptio & subscriptio & alia argumenta hanc epistolam spuriam esse produnt, ut Rivetus libr. 2. apol. pro Maria c. 9. & alii notarunt. Magno igitur conatu magnas nugas egit Melchior Inchoferus, cum peculiari libro hanc Mariæ epistolam defendit, qui primum A. C. 1630. prodiit hoc titulo: *epistola B. Mariæ Virginis ad Messanenses veritas vindicata.* Postea A. C. 1633. aliam ejusdem libri editionem Viterbii adornavit, in qua præter alia ipsum quoque titulum mutavit. Hunc n. secundæ editioni titulum præfixit: *conjectatio ad epistolam beatissimæ Virginis ad Messanenses,* ut refert Sotwellus in bibliotheca Jesuitica pag. 608. Causa iteratæ editionis fuit, quod priorem editionem sacra, quæ sic dicitur, indicis Congregatio damnasset & prohibuisset, quæ posteriorem tanquam pluribus rationibus & verisimilitudinibus locupletatam permisit, ut constat ex indice librorum prohibito-

bitorum ad Alexandri VII. jussum edito p. 234. Quæ autem in priori editione desiderata fuerint, videantur in indice expurgatorio Hispanico p. 792.

III. Duabus his Mariæ epistolis addi potest tertia ***ad Florentinos*** scripta, de qua Hieronymus Savonarola d. 25. Octobr. A. C. 1495. apud Florentinos peroravit. Integra a. epistola ita se habet: *Florentiæ DEO & Domino JESU Christo Filio meo & mihi dilectæ. Tene fidem, insta orationibus, roborare patientia. His n. sempiternam consequeris salutem apud DEUM.* Verum hanc etiam epistolam B. Virgini suppositam fuisse tam clarum est, ut prolixa probatione haud indigeat.

IV. Et ad hæc Mariæ pseudepigrapha spectat etiam ***liber de miraculis fidei, & de annulo Regis Salomonis,*** qui a B. Virgine Maria Jacobo Zebedæi F. dictatus & cum pluribus aliis antiquitatis monumentis in monte Granatensi repertus dicitur. De quibus scriptis Romæ agebatur, cum Raynaudus tractatum suum de retinendo immaculatæ conceptionis titulo ederet. Mandante n. Pontifice doctorum quorundam Virorum examini libri isti subjiciebantur, a quibus Raynaudus T. VII. Oper. p. 25. se audivisse dicit, quod hactenus in plumbeis istis laminis nihil invenerint, quod a catholica veritate dissentiret. Unde Raynaudo iniquum videbatur pendente judicio coram apostolicæ sedis delegatis plumbeas istas laminas cujusquam præjudicio gravari. Verum Papebrochius T. 7. actor. Sanct. Maj. p. 393. im-

393. imposturam laminarum Granatensium Vaticano tandem fulmine notatam refert, & alio loco pag 285. scribit, plumbeas illas laminas per fraudem in cavernis cujusdam montis prope civitatem Granatensem defossas, & seculo superiori exeunte refossas, librosque illis contentos Romanæ sedis judicio legi, explicari & defendi prohibitos, quin & A. 1682. sub Innocentii XI. pontificatu absolute condemnatos fuisse, ut qui falso tribuerentur B. Virgini Mariæ, & Jacobo Apostolo, aut ipso dictante ejus discipulis Thesiphonti & Cæcilio, essentque pura figmenta humana, in perniciem catholicæ fidei composita, & continerent hæreses ab ecclesia catholica damnatas, & adversarentur S. Scripturæ, & expositioni Patrum ac usui ecclesiæ, quin etiam Mahometismum redolerent, cum magna illorum librorum pars ex Alcorano aliisque impuris Mahometanorum lacunis hausta agnosceretur.

CAP. IV.

De

Jacobi protevangelio, aliisque Evangeliis pseudapostolicis.

I.

SEd pauca sunt Christi & Mariæ pseudepigrapha, si cum Apostolorum pseudepigraphis conferantur. Nam primum varia evangelia sub Apostolorum nomine edita fuerunt, cujusmodi est *protevangelium Jacobi*, ex oriente a Gulielmo Postello allatum, qui hoc evangelium pro basi & fundamento totius evangelicæ historiæ habuit, &, quia Marcus a Ministerio Johannis Baptistæ historiam evangelicam incipit, hoc protevangelium in fronte evangelii a Marco conscripti reponendum esse censuit, tantamque ejus in oriente autoritatem esse finxit, ut illud in ecclesiis publice legi & pro authentico haberi Theodoro Bibliandro persuaserit, qui hoc evangelium a Postello latine redditum Basileæ A. C. 1552. hoc titulo imprimi curavit: *protevangelium sive de natalibus JESU Christi & ipsius Matris Virginis Mariæ sermo historicus Jacobi minoris consobrini & fratris Domini JESU Apostoli primarii & Episcopi Christianorum primi Hierosolymitani.* Repetita fuit hæc latina editio in syntagmate opusculorum 76. quæ juxta temporis ordinem dispo-

ſpoſita Johannes Heroldus A. C. 1555. Baſileæ ſub monumentorum orthodoxographorum nomine vulgavit. Poſtea in altera orthodoxographorum editione, quam plura monumenta complexam & in duos tomos diſtributam Johannes Jacobus Grynæus in eadem urbe A.C. 1569. in lucem publicam emiſit, cum latina verſione græcus quoque hujus evangelii textus impreſſus fuit, cujus hæc eſt epigraphe: *Πρωτευαγγέλιον ἢ περὶ γεννήσεως Ἰησοῦ χριστοῦ, καὶ τῆς μητρὸς αὐτοῦ τῆς ἀειπαρθένου Μαρίας λόγος ἱστορικὸς τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῦ μείονος συγγενοῦς καὶ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Ἀποστόλου πρώτου καὶ Ἐπισκόπου πρώτου χριστιανῶν τῶν ἐν ἱερουσαλήμ.* Quod evangelium Grynæus in præfatione multa quæ narrationibus Evangeliſtarum conſentiunt, & plura, quæ ab illis velut *πάρεργα* prætermiſſa ſunt, habere ſcribit.

II. Neque tamen Grynæus primus fuit, qui græce hoc evangelium edidit, ſed Michael Neander Soravienſis, qui inter apocrypha catecheſi Lutheri græcolatinæ adjuncta hoc protevangelium græce & latine Baſileæ A C. 1563. & 1567. publicavit, & in præfatione apocryphis illis præmiſſa, quanti hic liber a Poſtello æſtimatus fuerit memorat, ſed quanti æſtimari debeat, lectorum judicio relinquit.

III. Et fuerunt quidem inter eruditos, qui hoc evangelium ab ipſo Poſtello confictum ſuſpicati ſunt. Nam Theophilus Raynaudus in tractatu de ſobria frequentatione mulierum per ſacros homines, cui ſcriben-

bendo deliria prædicti Postelli per puellam Venetam infatuati occasionem dederunt c. 1. Henricum Stephanum alicubi in Postellum propter vulgatum ab eo protevangelium stomachari, & ab ipso Postello confictum suspicari refert. Verum antiquius est hoc Jacobi protevangelium, quam ut illud ex Postelli cerebro natum suspicari liceat.

IV. Multa n. ex hoc evangelio adducit Eustathius Antiochenus vel quisquis autor est illius in hexaemeron commentarii, qui sub Eustathii nomine prodiit p. 70. & seqv. Dicit a. Eustathius, se ea depromsisse ex historia, ἣν διέξεισι περὶ τῆς ἁγίας Μαρίας ἰάκωβός τις, quam *Jacobus quidam* de sancta Virgine recenset. Ex quo haud difficulter colligi potest, quod Eustathius de Iacobo autore illius historiæ, quis fuerit, incertus hæserit, neque a Jacobo Apostolo scriptam existimaverit.

V. Et Leo quidem Allatius, qui Eustathii hexaemeron cum latina sua versione primus in lucem protulit, in notis pag. 285. verba Epiphanii Monachi & Presbyteri ex ejus libello de vita beatæ Virginis Mariæ adducit, in quibus autorem hujus evangelii Jacobum Hebræum nominat & Mariæ temporibus vixisse innuit. Quibus Epiphanii verbis Allatius subjicit, verissimum esse, quod hoc scriptum sit antiqvum & circa Apostolorum tempora conscriptum, nec dubium esse, quin postea ab hæreticis multa inserta fuerint. Observat quoque Allatius, quod Gregorius Nyssenus de nativitate B. Virginis

ginis tractans ex hoc libello multa tacito Autoris nomine mutuatus videatur, etsi inter apocrypha rejiciat, ἤκυσα, ajens ἀποκρύφυ τινὸς ἱϛορίας &c. ut verba ejus Simeon Metaphrastes de nativitate & educatione B. Mariæ Virginis recitavit, quæ interpres latinus, eodem Allatio judice, minus accurate de occulta & arcana historia interpretatus est.

VI. Ante Eustathium & Gregorium Nyssenum allegasse videtur hoc evangelium Origenes. Nam tom. XI. commentar. in evangelium Matthæi p. 223. dicit, nonnullos per fratres JESU intelligere filios Josephi ex priore conjuge natos adducta traditione τῦ ἐπιγεγραμμένυ κατὰ Πέτρον εὐαγγελίυ ἢ τῆς βίβλυ Ἰακώβυ, ad quem locum Huetius annotavit, his verbis partim ad Petri evangelium, adversus quod Serapion scripsit, partim ad Jacobi protevangelium, quod hodieque extat, respici.

VII. Extat hoc evangelium Jacobi MSC. in bibliotheca Vindobonensi hoc titulo prænotatum: λόγος ἱϛορικὸς εἰς τὸ γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας θεοτόκυ καὶ ἀεὶ παρθένυ Μαρίας, ut notat Lambecius libr. 4. commentar. de bibliothec. Vindobon. p. 130. ubi addit, perperam hanc historiam sub nomine S. Jacobi Apostoli cognomento minoris prodiisse. Sane ex anilibus fabulis, quibus hoc evangelium scatet, abunde patet, ab Apostolo hoc evangelium scriptum non fuisse. Fabulas a. istas imprimis ex putidis Gnosticorum

lacunis haustas esse animadvertit Simonius in critica textus N. T. c. 3. p. 32. & 33. ubi etiam sibi displicere indicat, quod Hieronymus Xavierius historiam Christi persice a se scriptam tot fabulis ex hoc librorum genere deromptis contaminaverit.

VIII. Fallitur autem Leusdenius, cum in Philologo Hebræo-græco pag. 23. de Jacobi evangelio agens sæpe Originem illius meminisse, & Hieronymum illud ex hebræo in græcum sermonem transtulisse scribit. Nam Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum c. 2. ad quem locum Leusdenius provocat, non de protevangelio Jacobi loquitur, sed de evangelio, quod secundum Hebræos appellari solet, & de quo in dissertatione de hæresiarchis ævi apostolici c. 7. & in appendice hujus dissertationis abunde diximus. Verum hæc de Jacobi evangelio dicta sufficiant.

IX. *EVANGELIUM* quoddam sub *PETRI* nomine scriptum fuisse testis est Oregines tom. 11. commentar. in evangel. Matth. & Hieronymus in catalogo scriptorum ecclesiasticorum c. 1. ubi non solum Evangelium Marci, qui Petri auditor & interpres fuisse dicitur, a nonnullis Petro attributum scribit, sed etiam quinque apocrypha scripta sub Petri nomine vulgata tradit, & in his evangelium Petri numerat, cujus etiam Eusebius meminit libr. 3. hist. eccl. ubi hoc evangelium illis Petri scriptis accenset; quæ nunquam pro catholicis agnita fuerunt, item libr. 3. c. 25. ubi Petri & aliorum quorundam evangelia tam quoad dicendi genus, quam quoad do-ctri-

ctrinam ab Apostolorum scriptis multum distare, & ob absurditatem & impietatem suam merito repudiari judicat, & imprimis etiam libr. 6. c. 12. ubi quid Serapioni apud Rhossenses in Cilicia contigerit, &, qua occasione librum de evangelio Petri scripserit, exponit.

X. Nimirum, ut totum illud negotium breviter recenseamus, Rhossenses quidam Serapioni Antiocheno Episcopo, cum aliquando in Ciliciam venisset, referebant, de Petri evangelio discordiam quandam in Rhossensium ecclesia exortam, quam ut sopiret Serapion pacis & concordiæ studiosus, lectionem ejus libri quo nihil mali contineri censebat, Rhossensibus permittebat, & ne libri hujus causa vinculum mutuæ caritatis rumperent, monebat. Verum postea cum imprudenter lectionem libri nondum a se lecti & ad examen revocati Rhossensibus a se permissam comperisset, Rhossenses de erroribus hujus libri certiores fecit, confessus fucum sibi imprudenti factum, & nonnulla quidem veritati conformia in illo Petri evangelio contineri, nonnulla vero a rectæ fidei ratione aliena, & Docetarum hæresin stabilientia in eo deprehendi.

XI. Etiam sub *THOMÆ* nomine vulgatum fuisse *EVANGELIUM* ex Origenis homiliis in Lucam, Ambrosii in Lucam commentariis, aliisque veterum scriptis constat. Imprimis a. hoc evangelio usi Manichæi. Nam inter tredecim Manichæorum libros, qui a Timotheo Presbytero in tractatu περὶ τῶν προσερχομένων τῇ ἁγίᾳ ἐκκλησίᾳ prout istum tra-

ctatum Combefisius tom. 2. auctarii novi bibliothec. Patr. græco-lat. edidit, etiam Thomæ & Philippi evangelium recensetur, etsi in Coteleriana & aliis libelli illius editionibus nulla illorum scriptorum, quibus Manichæi usi sunt, mentio occurrat. Quod a. evangelium Thomæ, quod penes Manichæos fuit, non a Thoma Apostolo sed a Thoma Manetis discipulo profectum fuerit Cyrillus Hierosolymitanus in catechesi 6. observavit. Meminit præterea evangelii Thomæ Apostolo attributi Euseb. libr. 3. c. 25. histor. eccles. & Nicephorus Constantinopolitanus in canone Scripturarum seu stichometria, quam chronologiæ suæ subjecit. Nam inter apocryphos Novi Testamenti libros etiam Thomæ evangelium refert, eique versus 1300. tribuit.

XII. Non solum Thomæ sed *PHILIPPI* quoque *EVANGELIO* usos fuisse Manichæos ex Timothei Presbyteri libello modo diximus. Hoc a. Philippi evangelium etiam apud Gnosticos in pretio fuisse, Epiphanius hæres. 26. n. 13. testatur, ubi fragmentum aliquod ex isto Philippi evangelio producit. *BARTHOLOMÆI EVANGELIUM* inter alia hujusmodi evangelia memoratur ab Hieronymo in prolegomenis commentariorum in Matthæum. Et forte ex illo evangelio deprompta sunt, quæ a Bartholomæo dicta asserit Dionysius Areopagita de mystica Theol. c. 1. etsi Corderius in notis ad hunc locum ea potius ex epistola quadam Bartholomæi hausta censeat. Scribit n. Apostolos de rebus divinis pro occasione interrogatos breviter respondisse, & hæc responsa, ut epi-
sto-

ſtolæ ſolent, aliquamdiu aſſervata temporum injuriis intercidiſſe.

XIII. *EVANGELII ANDREÆ* meminiſſe Auguſtinum libr. 1. contra adverſarium leg. & prophet. c. 20. Gerhardus in prolegomenis ad Matthæum ſtatuit. Verum cum ibi Auguſtinus non expreſſe evangelii, ſed tantum apocryphorum, quæ ſub nominibus Apoſtolorum Andreæ Johannisque conſcripta ſunt, mentionem faciat, etiam de actis Andreæ verba illa ex plicari poſſunt. Quicquid autem de iſtis Auguſtini verbis ſtatuatur, certum eſt, etiam Andreæ evangelium circumferri ſolitum fuiſſe. Nam Gelaſius in decreto de libris a ſancta Romana eccleſia approbatis & improbatis inter apocrypha evangelia etiam Andreæ evangelium numerat. Sic n. ejus verba habent juxta editionem Petri Franciſci Chiffletii, qui in notis ad Vigilium Tapſenſem ex codice quodam MSC. hoc decretum p. 140. edidit: *Evangelia nomine Matthiæ Apoſtoli apocrypha. Evangelia nomine Barnabæ apocrypha. Evangelia nomine Jacobi minoris apocrypha. Evangelia nomine Petri Apoſtoli apocrypha. Evangelia Thomæ Apoſtoli, quibus Manichæi utuntur, apocrypha, Evangelia nomine Bartholomæi Apoſtoli apocrypha, evangelia nomine Andreæ Apoſtoli apocrypha.* Obiter a. obſervamus, quod codex Jurenſis, ex quo Chiffletius hoc decretum vulgavit, non Gelaſii ſed Hormiſdæ nomen adſcriptum habeat, quod nomen etiam in veteri codice Urgellenſi huic decreto præfigi monuit Baluzius in notis ad Gratianum p. 444. ubi repetit, quod jam olim in notis ad epiſtolam 128. Lu-

pi Ferrarienſis ſcripſerat, nempe fortaſſe Damaſum primum omniũ ejusmodi decreto libros probos a reprobis diſcreviſſe, cui etiam in vetuſto quodam codice collectionis Dionyſianæ hoc decretum aſſignatur, deinde Gelaſium decretum hoc renovaſſe & auxiſſe, idemque de Hormisda dici poſſe. Verum hanc Viri doctiſſimi conjecturam, quam nonnullis eruditorum minus placuiſſe novi, ſuo loco jam relinquo.

XIV. Conſtat a. ex hoc decreto, ſive Gelaſium, ſive alium quemcunque Autorem habeat, etiam *MATTHIÆ EVANGELIUM* olim extitiſſe, cujus præter Gelaſium Euſebius lib.3.hiſtor. eccleſ.c.25. Hieronymus in prolegomenis ſui ad Matthæum commentarii, Ambroſius ſub initium ſui in Lucam Commentarii, & alii meminerunt, etſi, quantum ad decretum Gelaſianum attinet, quod Gratianus decreti ſui parti I. diſt. 15. inſeruit, in nonnullis exemplaribus omiſſo Matthiæ evangelio, *EVANGELIUM THADDÆI* ſubſtituatur. Neque mirandum, ſi aliquod evangelium ſub Judæ Thaddæi nomine prodierit, cum etiam *JUDÆ ISCARIOTÆ EVANGELIUM* hæretici quidam nempe Cajani pro erroribus ſuis defendendis allegaverint, ut teſtatur Theodoretus libr. 1. de hæret. fabul. c. 15. & Epiphanius hæreſ. 38.

XV. Non ſolum a. ſingulis fere Apoſtolis falſa evangelia afficta deprehendimus, ſed etiam *EVANGELIUM* quoddam ſub nomine *XII. APOSTOLORUM* editum fuiſſe, Ambroſius ſub initium commentarii in Lucam, Hieronymus in præfatione ſui ad Matthæ-

Matthæum commentarii & alii testantur; etsi alias illud quoque evangelium interdum secundum Apostolos nominari soleat, quod vulgo secundum Hebræos appellatur, & de quo alibi egimus.

XVI. Abunde igitur ex his quæ diximus patescit, quanta evangeliorum pseudapostolicorum copia fuerit, de quibus lubet addere verba Innocentii I. ex ejus epistola 3. ad Exuperium Tolosanum, quam his verbis claudit: *cætera a. quæ vel sub nomine Matthiæ sive Jacobi minoris, vel sub nomine Petri & Johannis, quæ a quodam Leucio scripta sunt, vel sub nomine Andreæ, quæ a Xenocharide & Leonida Philosophis, vel sub nomine Thomæ & si qua sunt alia non solum repudianda, verum etiam noveris damnanda.* Videtur tamen Innocentius his verbis non solum evangelia pseudapostolica, sed etiam actus pseudapostolicos, apocalypses pseudapostolicas, aliaque pseudepigrapha apostolica damnare, ut notavit Sirmondus in notis posthumis ad illam Innocentii epistolam, quas exhibet Labbeus T. II. conciliorum p. 1812.

CAP.

CAP. V.

De

Actis Pauli & Theclæ, & aliis actis pseudapostolicis.

I.

NOn enim satis fuit hominibus male feriatis evangelia sub Apostolorum nominibus fingere, sed acta etiam nonnulla Apostolis supposuerunt, qualia fuerunt *ACTA PAULI ET THECLÆ*, quæ sub Pauli nomine Presbyter quidam Asiaticus confinxit, qui eo nomine ab ecclesia reprehensus se id ex Pauli amore fecisse causatus est, ut refert Tertullianus de baptismo c.17. Quem locum allegans Hieronymus, cum in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum de Luca agit, Presbyterum illum a Johanne falsi convictum arguit. Quod a. Presbyter ille apud Tertullianum loco decessisse, & apud Hieronymum loco excidisse dicitur, Ludovicus de la Cerda ita explicat, quod vel a Johanne convictus alio confugerit, vel a Johanne exautoratus dignitate presbyterii exciderit. Et acta quidem illa Pauli & Theclæ, quæ Tertulliani ævo extabant, non amplius superesse notat Claudius Espencæus, qui sub Theclæ nomine elegiam ad Paulum composuit, & huic carmini nonnulla ad Theclæ historiam spectantia subjungit p.998. vix tamen dubitandum, quin ex actis illis

anti-

antiquisſimis deprompta ſint, quæ de Thecla paſſim apud priſcos eccleſiæ Patres, nec non in vita Theclæ per Baſilium Seleucienſem & Simeonem Metaphraſten ſcripta & ſtudio Petri Pantini græce & latine edita referuntur.

II. *ALIA PAULI ACTA* allegantur ab Origene libr. 1. περὶ ἀρχῶν c. 2. & tom. 21. in Johann. p. 298. edit. Huet. ubi ex actis Pauli refertur tanquam a Servatore dictum: ἄνωθεν μέλλω σταυροῦσθαι *denuo volo crucifigi*. Cujusmodi verba alias Chriſtus ad Petrum fuga ſibi conſulentem & urbe excedentem dixiſſe fertur apud Egeſippum libr. 3. de excid. Hieroſolym. c. 2. Meminit quoque actorum Pauli Euſeb. libr. 3. hiſt. eccl. c. 25. & Philaſtrius hær. 88. ubi in Pauli aliisq; ejus generis actis canes & alias beſtras loquentes introduci ſcribitur cum impii hæretici qui hujusmodi acta compoſuerunt, hominum animas canum aliarumque pecudum ſimiles putaverint.

III. *ACTUUM PETRI* nullam in eccleſiis catholicis autoritatem fuiſſe indicat Euſebius libr. 3. c. 3. Eosdem in apocryphorum claſſe collocat Gelaſius, ut Philaſtrium & alios, qui acta Petri tanquam ſpuria & erroribus infecta repudiant, taceamus. Unde mirari quis poſſit, quod Iſidorus Peluſiota libr. 2. epiſtol. 99. Petri acta ſic alleget, quaſi revera Petrus ipſe acta illa literis conſignaſſet. Dicit n. Petrum ἐν ταῖς ἑαυτοῦ πράξεσιν ſeu in propriis ſuis actis hæc pronunciaſſe, ἀ ἐχωρήσα-

μεν ἐγράφαμεν, ὁ δὲ κόσμος ȣδὲ τὰ γραφέντα ἐχώρησεν. Ὁ γὰρ φιλοχρήματος ȣκ ἐχώρησε τὸν τῆς ἀκτημοσύνης λόγον, ȣδ᾽ ὁ λάγνος τὸν περὶ σωφροσύνης, ȣχ ὁ πλεονέκτης τὸν περὶ δικαιοσύνης ȣχ ὁ ὠμὸς τὸν περὶ φιλανθρωπίας, ȣχ ὁ θυμώδης τὸν περὶ πρᾳότητος &c. i. e. *quæ cepimus scripsimus, at mundus ne ea quidem quæ scripta sunt, capere potuit. Nam nec avarus sermonem de voluntaria inopia cepit, nec lascivus eum, qui de pudicitia erat, nec alienorum bonorum raptor eum, qui de justitia, nec crudelis eum, qui de humanitate, nec iracundus eum, qui de mansuetudine.*

IV. *ACTUS ANDREÆ* ab Origenianis qui turpes cognominati sunt, nec non ab Apostolicis & Apotacticis, nec minus ab Encratitis usurpatos fuisse autor est Epiphanius hæres. 63, 61, & 47. Eorundem actuum mentio apud Eusebium lib. 3. c. 25. Gelasium in decreto de libris a Romana ecclesia improbatis, & Turribium Asturicensem in epistola de non recipiendis in auctoritatem fidei scripturis apocryphis ad Idacium & Ceponium scripta, quam post Ambrosium Morales, Bivarium, & Baronium edidit Paschasius Quesnelius inter epistolas Leonis M. p. 459. Neque hic prætermittendus Philastrius, qui de hæreticis, quos Apocryphos appellat, agens hæres. 88. de Manichæis refert, quod apocrypha B. Andreæ Apostoli i. e. actus, quos fecit veniens e Ponto in Græciam, & quos discipuli Apostolum

stolum sequentes conscripsisse perhibentur, jactare soleant. Et ad hos Andreæ actus respicere etiam videtur Augustinus libr. 1. contra adversar. leg. & prophet. c. 20. etsi verba Augustini etiam de Andreæ evangelio queant intelligi, cum non expresse actus Andreæ sed tantum apocrypha Andreæ nominaverit.

V. Præter Andreæ acta Apostolici seu Apotactici, & Encratitæ *THOMÆ* quoque *ACTUS* pro primariis Scripturis habuerunt, ut ipsorum hæreses describens Epiphanius testatur. Eorundem præter Gelasium & alios meminit Turribius in epistola ad Idacium & Ceponium, ubi refert in actibus illis Thomæ legi, quod Apostolus ille non per aquam sed per oleum baptizaverit. Et ex his Thomæ actis deprompta sunt, quæ apud Augustinum in libro contra Adimantum, nec non libr. 1. de sermone Domini in monte, & libr. 22. contra Faustum c. 79. referuntur, nempe quod Thomas in nuptiali convivio a ministro quodam percussus repentinam illi & sævam DEI vindictam imprecatus fuerit, statimq; homo ille cum ad fontem, unde convivantibus aquam ministraret, egressus fuisset, a leone occisus fuerit, cane quodam manum, qua caput Apostoli percussum fuerat, a corpore avulsam ad mensam in qua Apostolus discubuit, referente.

VI. *JOHANNIS ACTUS* memorantur ab Eusebio libr. 3. c. 25. hist. eccles. Epiphanio in hæresi Encratitarum, Augustino libr. 1. contra advers. leg. &

 prophet.

prophetarum, Turribio in epistola ad Idacium & Ceponium, & Ephremo Theopolitano apud Photium c. 229. ubi ait: συνᾴδουσι καὶ αἱ πράξεις τοῦ ἠγαπημένου ἰωάννου, καὶ ὁ βίος, ἃς οὐκ ὀλίγοι προφέρουσι quem locum Schottus minus commode interpretatus est, cum ita reddidit: *huic sententiæ consentiunt actiones dilecti Johannis & vita quam pauci narrant.* Nam per πράξεις Johannis hic non intelliguntur ejus actiones, sed nomine πράξεων hic notatur liber, quo actiones ejus & gesta continebantur, & qui sub nomine actuum vel actorum Johannis allegari solebant. Et hos actus teste Ephremo οὐκ ὀλίγοι non pauci proferebant, etsi in latina interpretatione particulam negativam sive interpretis sive typographi incuria omissam videamus.

VII. Addi possunt actibus his pseudapostolicis *ACTUS PHILIPPI*, quos una cum Andreæ Thomæ & Petri actibus ut spurios & apocryphos rejicit Gelasius, nec non varia *ITINERARIA*, seu *PERIODI & CIRCUITUS APOSTOLORUM*, quorum mentio apud Athanasium in synopsi librorum Scripturæ, ubi circuitus Petri, Johannis & Thomæ inter apocrypha rejiciuntur, & in Stichometria Nicephori Constantinopolitani, qui itineraria Petri, Pauli, Johannis & Thomæ inter apocryphos N. T. libros numerat. Incertum autem est num omnia hujusmodi acta & itineraria pseudapostolica Andreæ, Thomæ aliorumque Apostolorum nomini-

nominibus eam ob causam insignita fuerint, quod ab illis Apostolis, quorum nomina præ se tulerunt scripta crederentur, an potius quædam tantum vitam & res gestas Apostolorum illorum, a quibus denominationem suam acceperunt, continuerint. Certe Petri circuitus vel itinerarium nihil aliud fuit, quàm quod adhuc doctorum manibus teritur opus recognitionum, quod Clementi Romano ut Autori, & Rufino ut interpreti tribui solet, & ob descripta ibi Petri itinera aliaque gesta haud raro apud antiquos Scriptores Petri periodus appellatur.

VIII. Dubio tamen procul nonnulla ex actis illis quæ recensuimus hæretici tanquam ab Apostolis composita vulgarunt, ut splendido hoc titulo simplicioribus fucum facerent. Unde Augustinus libr. 22. contra Faustum c. 79. *legunt*, inquit, *Scripturas apocryphas Manichæi a nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas.* Cujusmodi fabularum sutores fuerunt, qui ab Innocentio I. in epistola ad Exuperium Tolosanum nominantur Leonidas, Xenocharis, & imprimis Leucius quidam, qui in hoc imposturæ genere insignem famam seu potius infamiam sibi comparavit.

IX. Testatur id Johannes Mellitus Laodiceæ Episcopus in passione S. Evangelistæ Johannis. Nam in illa refert, quod Leucius acta Apostolorum Johannis, Andreæ & Thomæ scripserit, & de virtutibus quidem, quas Dominus per eos fecit vera dixerit, de doctrina

vero multa mentitus fuerit, cum duo ſuprema principia docuerit, quod eccleſia chriſtiana execratur. Verum cum hic Mellitus, quem alii Miletum appellare maluerunt, vix dignus videatur, quem ad teſtimonium dicendum admittamus, Auguſtinum potius audiamus in tractatu de fide contra Manichæos dicentem: *attendite in actibus Leucii, quos ſub nomine Apoſtolorum ſcribit.* Atque hinc Gelaſius in decreto ſæpius allegato omnes Leucii, quem diaboli diſcipulum nominat, libros inter apocryphos rejicit, etſi in Chiffletiana decreti hujus editione non Leucius ſed Lucius & in aliis quibusdam editionibus Lentius vel Lentitius appelletur. Eundem Leucium ob acta, quæ Andreæ & Johanni Apoſtolis ſuppoſuit, ſacrilegi oris arguit Turribius in epiſtola ad Idacium & Ceponium. Nec alius forte ab hoc Leucio eſt Seleucus Manichæus, quem incertus autor ſub Hieronymi nomine latens in epiſtola ad Chromatium & Heliodorum de ortu B. Virginis libellum compoſuiſſe tradit, & Leontius cujus acta allegat Auguſtinus de fide contra Manichæos. c. 4.

CAP.

CAP. VI.

De
Epiſtola Pauli ad Laodicenſes aliisque epiſtolis pſeudapoſtolicis.

I.

Actis & itinerariis pſeudapoſtolicis enumeratis, ut etiam de epiſtolis pſeudapoſtolicis aliquid dicamus convenit, qvalis eſt, quæ *PAULI* nomen mentitur, *EPISTOLA AD LAODICENSES*, quam Hamburgi A. C. 1595. cum fragmentis quibusdam quæ vocat Apoſtolorum latine & germanice edidit, & præmiſſa præfatiuncula ut genuim Pauli ſcriptum commendavit Stephanus Prætorius. Eadem epiſtola in bibliis germanicis Noribergæ A. C. 1483. excuſis, nec non in aliis bibliorum germanicorum ante Lutheri verſionem editorum exemplaribus germanice, & in pſeudo-Anſelmi & Jacobi Fabri Stapulenſis ad Paulinas epiſtolas commentariis, nec non in Sixti Senenſis bibliotheca S. libr. 2. ſub voce Pauli, & apud alios latine legitur, ut græco-latinam Leusdenii aliasque aliorum editiones taceamus.

II. Sitne hæc epiſtola Pauli ad Laodicenſes eadem

dem cum illa, quam ſuo ævo ab omnibus exploſam Hieronymus in catalog. Script. eccleſ. c. 5. aſſerit, quam Philaſtrius hæreſ. 88. in eccleſia coram populo lectam fuiſſe negat, quam Theodoretus tom. 3. oper. p. 363. fictam appellat, incertum eſt, id modo certum, nullam Pauli ad Laodicenos epiſtolam, quæ genuina ſit, vel hodie extare, vel olim extitiſſe.

III. Occaſionem hujus epiſtolæ fingendæ præbuerunt verba Pauli in epiſtola ad Coloſſenſes c. IV, 16. cum ibi Paulus epiſtolæ ad Laodicenſes a ſe ſcriptæ meminiſſe videatur. Verum non opus eſt verba illa de quadam a Paulo ad Laodicenſes ſcripta epiſtola interpretari. Nam Hugo Grotius per epiſtolam, quæ ἐκ Λαοδικέας vel juxta Grotii lectionem ἡ Λαοδικέας dicitur, epiſtolam ad Epheſios ſcriptam intelligit, in quam ſententiam etiam Jacobus Uſſerius in Diſſertatiuncula de epiſtola ad Laodicenos, quam cum inſigni ejusdem opere de Scripturis & ſacris vernaculis doctiſſimus Whartonus edidit, inclinat. Theophylactus a. per epiſtolam e Laodicea priorem ad Timotheum epiſtolam ſignificari judicat, cum in hujus epiſtolæ clauſula dicatur, quod e Laodicea miſſa fuerit. Nec deſunt, qui cum Affelmanno hept. quæſt. illuſtr. qu. 1. theſ. 10. de epiſtola ad Philemonem Pauli verba explicanda cenſeant.

IV. Et Grotii quidem ſententia ſatis antiqua eſt. Nam jam olim Marcionitæ epiſtolam quæ Epheſiis inſcripta

ſcripta eſt ſub epiſtolæ ad Laodicenſes nomine allegabant, cujus rei Tertullianus libr. 5. contra Marcionem teſtis eſſe poterit. Et quamvis Epiphanius hæreſ. 42. n. 9. epiſtolam ad Epheſios, qua Marcionitæ uſi ſunt, ab epiſtola ad Laodicenſes diſtinguat, poſtea tamen p. 319. & 374. verba quædam profert a Marcione tanquam ex epiſtola ad Laodicenos deprompta, quæ alias in epiſtola ad Epheſios leguntur. Verum præterquam, quod hanc Grotii ſententiam Marcionitarū ſocietas exoſam reddit, nulla ſatis ratio dari poteſt, cur Paulus epiſtolam ad Epheſios ſcriptam epiſtolam ex Laodicea appellaverit.

V. Theophylacti ſententiæ obeſt, quod etſi prior ad Timotheum epiſtola ſub finem e Laodicea ſcripta dicatur, Apoſtolus tamen eam Coloſſenſibus legendam commendare hoc loco non potuerit, quippe qui illo tempore, quo ad Coloſſenſes ſcripſit, nondum Laodiceæ fuerit, ut ex Coloſſ. II, 1. colligi poteſt, ut taceam verba illa, quæ epiſtolam priorem ad Timotheum Laodiceæ ſcriptam indicant, in antiquis nonnullis M.S.C. codicibus non haberi. Neque Affelmanni ſententia de epiſtola ad Philemonem difficultatibus ſuis caret, quæ apud Calovium in bibliis illuſtratis videri poterunt.

VI. Quamobrem nonnulli cum Theodoreto exiſtimant, quod per epiſtolam e Laodicea non epiſtola quædam Pauli vel Laodiceæ ſcripta, vel ad Laodicenſes exarata & ex urbe Laodicea ad Coloſſenſes mittenda intelligatur, ſed potius epiſtola quædam a Laodicenſibus ad Paulum ſcripta, quam ſuis ad Coloſſenſes literis Apoſto-

S lus

lus inclusit, cum epistola illa nonnulla contineret, quæ ad Colossensium usum facere poterant. Non magis ergo ex Coloss. IV, 16. concludi potest, quod Apostolus Paulus ad Laodicenses scripserit, quam ex 1. Cor. V, 9. quod tres ad Corinthios scripserit, aut ex Ephes. III, 3. quod duas ad Ephesios epistolas exaraverit.

VII. Quicquid a. de loco illo Pauli statuatur, id extra dubitationis aleam positum est, quod contra Scripturæ integritatem nihil inde confici possit. Unde & Bellarminus argumentum, quod olim ex hoc loco petiverat, postea in recognitione librorum de verbo DEI tomo 2. oper. p. 506. retractavit; quemadmodum & Bailius hoc argumentum, quod in prima catecheseos suæ editione urserat, in secunda non sine dubitatione proposuit, in tertia penitus omisit, ut Rivetus in catholico orthodoxo tract. 1. quæst. 3. §. 5. observavit, ubi etiam miratur Marianam, cum apocryphos in suis ad biblia scholiis prætermiserit, supposititiam tamen ad Laodicenses epistolam, quam in codice quodam bibliorum gothica miræ antiquitatis & fidei se invenisse dicit, aliis Paulinis inseruisse & notis illustrasse.

VIII. Sane epistola ad Laodicenses, quæ sub Pauli nomine circumfertur, præter phrases quasdam & sententias ex aliis Paulinis epistolis emendicatas nihil Paulo dignum habet, ut Erasmus in suis ad Col. IV, 16. annotationibus judicat, ubi addit, non esse cujusvis hominis Paulinum pectus effingere, & nullum argumentum efficacius persuadere posse, quod hæc epistola a Paulo scripta

pta non ſit, quam ipſam epiſtolam, cum tota frigeat.

IX. De epiſtola quadam, quam ſub Pauli nomine impoſtores quidam finxerunt, ut inde probarent, Domini diem inſtare, loquitur ipſe Paulus 2. Theſſ. II, 2. Quam pſeudepigrapham Pauli epiſtolam *TERTIAM AD THESSALONICENSES* appellat Sixtus Senenſis libr. 2. bibliothec. S. ſub voce Pauli.

X. Suppoſitæ quoque Paulo ſunt, quæ in hunc usque diem circumferuntur *EPISTOLÆ AD SENECAM*, quas eundem artificem compoſuiſſe, qui Senecæ epiſtolas ad Paulũ ſuppoſuit, ex ſtyli identitate Lipſius in præludiis ad Senecam conjecit, cujus judicium approbat Miræus in notis ad Hieronymi catalogum c. 12, quibus addi poſſunt Ludovic. Vives ad Auguſtin. de civit. Dei libr. 6. c. 10. Poſſevinus in apparat. tom. 2. p. 389. Voëtius part. 2. ſelect. diſput. p. 611. & plures alii, quorum argumenta ſolidiora ſunt, quam eorum, qui epiſtolarum iſtarum patrocinium in ſe ſuſcipiunt, quos inter Jacobus Faber Stapulenſis in ſuis ad Paulinas epiſtolas commentariis, quem Varenius in rationario Scriptorum eccleſiaſticorum ſeculi 1. p. 150. memoria lapſus Viennenſem Epiſcopum appellat, Jacobum Fabrum cum Johanne Fabro Viennenſi Epiſcopo confundens, quod eo minus mirandum, cum etiam Andreas du Sauſſay in continuatione Bellarmini de Scriptoribus eccleſiaſticis p. 25. edit. Tullenſis Johannem Fabrum falſo Jacobi nomine præſignet.

XI. Spurias vero esse illas Pauli & Senecæ epistolas, quæ hodie extant, etiam eorum aliqui agnoscunt, qui familiaritatem aliquam inter Paulum & Senecam intercessisse, & literas inter utrumque reciprocatas arbitrantur, ideoque genuinas Pauli & Senecæ literas temporum injuria perditas existimant, quam sententiam defendit Natalis Alexander Sec. 1. p. 91. Verum Raynaudo in erotematibus de bonis & malis libris p. 119. probabilius videtur, nullas unquam a Paulo ad Senecam & vicissim a Seneca ad Paulum datas literas fuisse, & famam de literario utriusque commercio, quæ etiam sanctis quibusdam Patribus fraudi fuit ex fabulosis Lini actis originem traxisse.

XII. *EPISTOLAM* quandam *PETRI AD CLEMENTEM* æthiopico idiomate donatam orientales penes se habere jactant, ut ex Cotelerio notavit Tilmontius histor. eccles. tom. 1. part. 2. p. 497. *EPISTOLAM* vero *PETRI AD JACOBUM* quam Petri prædicationi præfixam fuisse Dodwellus suspicatur, inter Clementis Romani opera idem, quem modo nominavi, Cotelerius vulgavit.

CAP.

CAP. VII.

De

Apocalypsibus pseudapostolicis.

I.

Cum vero in sacro Novi Testamenti codice non solum evangelia & acta & epistolæ, sed etiam apocalypsis legatur, etiam in revelationibus sub Apostolorum nomine fingendis occupati fuerunt impostores. Hinc nata *PETRI APOCALYPSIS*, cujus Clemens Alexandrinus in libris ὑποτυπώσεων meminit. Cum n. teste Eusebio libr. 6. c. 14. hist. eccl. omnium utriusque testamenti Scripturarum compendiosam enarrationem in illis libris instituerit, ne illas quidem prætermisit, quæ contradictione non caruerunt, ut epistolam Barnabæ, & apocalypsin, quæ Petri dicitur. Post Clementem Eusebius libr. 3. hist. eccl. c. 3. & Hieronymus in Catalogo Scriptorum ecclesiasticor. c. 1. apocalypseos hujus mentionem faciunt. Eandem inter libros novi testamenti ἀντιλεγομένυς una cum Johannis apocalypsi in stichometria sua refert Nicephorus, si latino interpreti Anastasio Bibliothecario fides est habenda. Nam in græcis stichometriæ illius exemplaribus utraque apocalypsis omissa deprehenditur.

II. Male autem Petri apocalypsis apud Anastasium in eadem classe, cum Johannis apocalypsi collocatur. Quantis n. fabulis Petrina illa apocalypsis oppleta fuerit, colligere licet ex eclogis propheticis, quæ Clementis Alexandrini operibus subnecti solent, & quas latina sua versione addita novissimo bibliothecæ Græcorum Patrum auctario tom. 1. p. 192. Combefisius inseruit. Nam in illis eclogis ex Petri revelatione nonnulla referuntur de fœtuum abortivorum angelis, nec non de lacte mulierum & vermibus inde natis, Petro plane indigna, quæ hic repetere operæ pretium non videtur.

III. Etsi a. Petri apocalypsis adulterina, & fabularum plena fuerit, in ecclesiis tamen quibusdam Palæstinæ semel quotannis, nempe die parasceves, qua populus in memoriam Dominicæ passionis religiose jejunavit, legi solitam Sozomenus libr. 2. c. 19. historiæ ecclesiasticæ testatur.

IV. Idem Sozomenus ibidem refert, multos monachos *APOCALYPSIN PAULI*, etsi nemo veterum eam agnoverit, valde commendasse, & quosdam affirmasse, quod hic liber arcæ marmoreæ inclusus apud Tarsum Ciliciæ in ædibus Pauli inventus fuerit; quam narrationem Sozomenus falsam comperit, cum ejus rei causa grandævum quendam Tarsensis ecclesiæ Presbyterum consuluisset.

V. Paulinæ a. hujus revelationis fingendæ occasionem dederunt verba Pauli de raptu suo in tertium cœlum,

lum, ubi ineffabilia verba ſuis auribus percepit. 2. Cor. XII, 1, ſeqv. Hæc n. legentes homines quidam vani apocalypſin Pauli neſcio quibus fabulis plenam falſisſima præſumptione finxerunt, ut refert Auguſtinus tract. 98. in Johannem, qui haud immerito impudentisſimam hominum illorum audaciam exagitat, quod ea ſe proferre jactaverint, quæ Paulus ineffabilia pronunciavit. Quo argumento etiam Theophylactus in ſcholiis, quibus poſteriorem ad Corinthios epiſtolam illuſtravit, apocalypſin Pauli fictitiam fuiſſe comprobat.

VI. Jampridem autem fictitia hujusmodi Pauli revelatione uſi ſunt Cajani, qui illam Pauli revelationem anabaticum dixerunt, iſtoque opere ῥήματα ἄῤῥητα, quæ Paulus in tertio cœlo audiit, contineri gloriati ſunt, ut refert Epiphanius hæreſ. 38. n. 2. cum quo Michael Glycas annalium part. 2. p. 120. conferri poterit, ubi librum illum Cajanorum Ἀναβατικὸν ab illis dictum fuiſſe refert, hominumque illorum veſaniam irridet, qui non animadverterint Paulum profiteri, quod in raptu ſuo ejusmodi verba auribus hauſerit, quæ linguis humanis efferri ſit nefas.

VII. *REVELATIONES THOMÆ* non minus quam revelationes Pauli in decreto ſuo inter apocrypha rejecit Gelaſius. De Cerinthi autem revelationibus, quas a magno Apoſtolo ſcriptas jactavit, qvid Cajus in diſputatione ſua adverſus Proclum ſcripſerit, legi poteſt apud Euſebium libr. 3. hiſtoriæ eccleſ. c. 28.

CAP.

CAP. VIII.

De

Symbolo Apostolico.

I.

Dicendum aliquid etiam est de Symbolo Apostolico, quod Apostolos, antequam e Palæstina in totum orbem dispergerentur, composuisse, communis ferme Pontificiorum est opinio, cui e nostratibus Centuriatores centur. I. libr. 2. p. 66. & nostro seculo illi imprimis accesserunt, qui mediante Symbolo diversas christianæ religionis sectas conciliari posse censuerunt.

II. Verum id ex genuina antiquitate probari non potest, multo minus quod quisque Apostolorum peculiarem articulum ad hoc Symbolum concinnandum contulerit, quasi centones consuendi essent, quam Sententiam Baronius ad A. C. 44. ex Augustini sermone 115. de tempore & Leonis M. epistol. 13. ad Pulcheriam (quæ in nonnullis editionibus est 15. & in novissima Parisiensi 27.) aliisque monumentis stabilire contendit.

III. Solidioribus argumentis, quæ passim obvia repetere nolumus, instructi militant, qui Symbolum apostolicum neque conjunctim & communi opera, neque suum unoquoque articulum sigillatim conferente ab Aposto-

Apostolis compositum esse probant, e nostratibus Waltherus in centur. misc. quæst. 97. Konigius in casibus conscientiæ catecheticis p. 104. Tenzelius in exercit. de Symbol. apostol. &c. E Reformatis Chamier in panstratia cathol. tom. 1. libr. 9. c. 10. Rivetus in catholico orthodoxo tract. 1. qv. 9. Voetius disput. select. tom. 1. p. 64. Basnagius in exercit. critic. p. 471. e Remonstrantibus Episcopius in apolog. confess. Remonstr. Tom. 2. Oper. part. 2. p. 127. Curcellæus diss. de vocibus Trinit. Person. & simil. p. 824. & imprimis Gerhardus Johannes Vossius in dissertatione prima de tribus Symbolis.

IV. Nec in ipsa Romana ecclesia defuerunt, qui Symbolum Apostolicum ab Apostolis conditum negarent, ut Laurentius Valla, cui hæc opinio multum molestiæ creavit, & Erasmus Roterodamus in declaratione ad censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis tit. XI. quos e recentioribus Romanæ ecclesiæ Theologis secutus Ellies du Pin in bibliotheca Scriptorum ecclesiasticorum tom. 1. hodiernum Symbolum verbotenus ab Apostolis conceptum ac compositum negavit, ac postea in vindiciis bibliothecæ suæ, quas tomo 6. adjunxit, sententiam hanc ulterius propugnare non dubitavit. Quibus vindiciis occasionem subministravit tractatus Parisiis 1691. gallice editus, quo bibliothecæ ejus tomus 1. impugnatur, & inter alia de Symboli apostolici origine contra ipsum agitur. Cujus tractatus autorem doctissimum quendam Benedictini ordinis monachum esse ephemerides gallicæ memorant. Tilmontius a. in historia ecclesiastica, cujus tomus 1. nuper prodiit, ab integra quadam ordinis illius

congregatione tractatum illum elucubratum putat, & parte 3. pag. 1176. satis exacte quidem a Patribus illius congregationis hanc controversiam tractatam judicat, nihilo tamen minus difficultates quasdam superesse notat, ad quas nondum ab ipsis responsum fuerit. Cum n. Patres concilii Ephesini & Chalcedonensis solum Nicænum Symbolum, reliquis rejectis, usurpandum decreverint, gravissimum hinc scrupulum nasci ait, cur apostolici Symboli nullam rationem habuerint, si illud ab ipsis Apostolis conditum noverunt. Quamvis a. Tilmontius hac difficultate illos etiam premi putet, qui hoc Symbolum verbotenus ab Apostolis compositum negant, & tantum doctrinam apostolicam eo contineri dicunt, longe tamen facilius ad hoc dubium respondere poterunt, qui hoc Symbolum ex Apostolorum doctrina conflatum, quam qui illud ab ipsis Apostolis scriptum sentiunt. Cæterum Benedictinum illum cujus animadversiones adversus Dupinii bibliothecam prodierunt esse Matthæum Petitdidierium ex ephemeridibus gallicis anni 1693. ubi secundus animadversionum illarum tomus recensetur, cognoscere mihi licuit.

V. E Græcis addi potest Marcus Ephesius. Cum n. Julianus Romani Pontificis Legatus in concilio Florentino sermonem suum inde exorsus fuisset, quod Apostoli Synodum celebraverint, sanctumque Symbolum tradiderint, Marcus Ephesius respondit, Græcos Apostolorum Symbolum nunquam habuisse, & ne oculis quidem usurpasse. Et quamvis Julianus Symbolum Apostolorum Romæ in archivis ut monumentum primarium recondi reges-

regesserit, Marcus tamen Ephesius magnam Juliani eloquentiam argumentorum soliditate superavit, ut refert Sylvester Sguropulus in historia concilii Florentini sect. 6. c. 6.

VI. Sunt a. qui Symbolum Apostolicum ne quidem ab orthodoxis ecclesiæ Doctoribus nedum ab Apostolis compositum existiment, siquidem Sandius libr. 2. nuclei sui p. 167. in concilio Nicæno Nicænum quidem ab Homousianis, Apostolicum a. Symbolum ab Arianis concinnatum asserit. Verum id æque falsum est, ac quod Johannes de Ragusia in concilio Basileensi contra Johannem Rogkyzanum de communione sub utraque disputans asseruit tom. 12. concil. edit Labb. p. 1149. nempe concilii Nicæni autoritate hoc Symbolum Apostolicum nominari, quemadmodum & ejusdem concilii autoritate articulus de descensu Christi ad inferos teneatur & firmiter credatur. Unde n. Sandius probare poterit, Arianos in concilio Nicæno Symbolum Apostolicum composuisse? Et unde Johannes Ragusinus probare poterit, orthodoxos Patres concilii Nicæni decrevisse, quod hoc Symbolum Apostolicum dici debeat, & quod articulus de Christi ad inferos descensu nonnisi concilii Nicæni autoritate teneatur? Longe aliter Episcopus Foroliviensis in concilio Florentino tom. 13. concil. edit. Labb. p. 951. de Nicænis Patribus statuit, cum eos Symbolo Apostolico articulum de Christi descensu ad inferos detraxisse scribit, h. e. ut in margine verba ejus explicantur, articulum de descensu ad inferos Symbolo suo non inseruisse. Quamvis & hoc falsum sit, in Symbolo Nicæno per omis-

 sionem

ſionem articuli de deſcenſu Chriſti ad inferos Apoſtolico Symbolo aliquid detractum a Nicænis Patribus fuiſſe, cum concilii Nicæni tempore articulus de Chriſti deſcenſu ad inferos Apoſtolico Symbolo inſertus nondum fuerit. Teſtatur n. Rufinus in expoſitione hujus Symboli, quod ſua adhuc ætate hic articulus tam in Romanæ quam in Orientalis eccleſiæ Symbolo deſideratus fuerit. Et quamvis Henricus Vicus Rufinum mendacii arguat, ejus tamen argumenta Chriſtianus Lupus in Scholiis ad Tertullianum de præſcript. diſcusſit, ut in diſſert. de hæreſiarchis ævi apoſtolici p. 175. indicavimus, ubi & alia quædam de hoc Symbolo occaſione Gnoſticorum obſervavimus, quæ hic repetere ſuperſedemus.

VII. Et Garnerius quidem articulum illum de deſcenſu Chriſti ad inferos ob Arianos nullam in Chriſto animam fuiſſe ſtatuentes ad priſcum Romanæ eccleſiæ Symbolum ſucceſſu temporis additum fuiſſe ſuſpicatur in appendice ad notas in Diurnum Romanorum Pontificum p. 162. ubi etiam articulum de creatione cœli & terræ ob Manichæos mundum a dæmone conditum fingentes, & articulum de vita æterna ob Origenis mutabilem beatitudinem additum fuiſſe ſtatuit, quas conjecturas doctorum examini nunc relinquimus, illud tantum obſervantes, quod varia illa Symboli augmenta, aliæque mutationes, quas Jacobus Uſſerius antiquitatum eccleſiaſticarum peritisſimus in diatriba de Romanæ eccleſiæ Symbolo Apoſtolico vetere aliique eruditi jampridem animadverterunt, ſi alia argumenta deeſſent, ſufficere poſſent probaturis hoc Symbolum ab Apoſtolis conditum non fuiſſe.

VIII. Quam-

VIII. Quamobrem ad imposturas erronis illius Judæi, qui a tempore passionis dominicæ in orbe per plurima secula vagatus, & usque ad finem mundi vagaturus dicitur, hoc quoque pertinet, quod multa non solum de Apostolorum divisione & prædicatione, sed etiam de Symbolo Apostolico differuerit, ut apud Matthæum Parisiensem ad A. C. 1228. legitur. Neque audiendi Patres concilii Vaurensis, qui c. 1. de fide catholica causam reddituri, *cur Symbolum Apostolicum silentio & secreto dicatur in completorio & in prima, Nicænum a. & Athanasianum publice in diebus dominicis & festivis decantetur* hanc reddunt: *quia Apostolicum editum fuerit tempore, quo nondum fides catholica erat propalata, reliqua autem duo tempore fidei jam propalatæ edita fuerint.*

IX. Haud magis audiendus Christianus Lupus, qui in schol. ad Tertullianum c. 20. de præscriptionibus Johannem in epistola 2. v. 10. ad Symbolum Apostolicum respicere contendit, cum ait: *εἴ τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἶκον, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε.* Ex his n. verbis colligit, christianos primitivæ ecclesiæ neminem hospitio excepisse, nisi recitato Symbolo se christianum probasset. Quam opinionem inde confirmat, quod Symbolum Apostolicum a Cyrillo Hierosolymitano in præfatione suarum catechesium & aliis Patribus viaticum appelletur. Verum neque apud Cyrillum nomen viatici de tessera hospitali explicari necesse est, neque sub doctrinæ nomine apud Johannem certam aliquam doctrinæ formulam intelligi.

X. Idem Lupus in ſcholiis & diſſertationibus ad canones & decreta generalium & provincialium Synodorum part. 1. pag. 7. a Paulo in epiſtola ad Hebræos c. VI, 1. per ſermonem inchoationis Symbolum Apoſtolicum exprimi ſuſpicatur, & ad ſolos Apoſtolos hujus Symboli compoſitionem ſpectaſſe judicat. Cum n. rebellantes Batavos Tacitus graviter arguat, qui verbalem militiæ teſſeram dare præſumſerant, quod ſoli Principi eoque abſente Duci Vicario dare competebat, eodem jure ad ſolum Chriſtum ejusque Duces Apoſtolos ſpectaſſe dicit, toti mundo univerſalem & perpetuam fidei teſſeram præſcribere. Verum in his aliisque vel Lupi vel aliorum argumentis confutandis, cum futilia pleraque ſint, haud immorabimur, ſed potius Apoſtolici Symboli originem breviter exponemus, cujus hæc, quæ ſequitur, eſſe ratio videtur.

XI. Præceperat Chriſtus diſcipulis ſuis, ut baptizarent omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Hæc fidei formula, quæ Symboli Apoſtolici fundamentum fuit, ab Apoſtolis propagata, & cum baptiſmi adminiſtratione connexa poſtea propter varias occaſiones, & imprimis propter hæreticos, qui varia fidei capita impugnabant a Viris Apoſtolicis eorumque ſucceſſoribus ex ſcriptis & dictis Apoſtolorum ſubinde aucta fuit, quæ tamen augmenta in omnibus eccleſiis non uniusmodi fuiſſe ex collatione Symbolorũ, quæ in veterum eccleſiæ Doctorum ſcriptis occurrunt, manifeſtum eſt. Quando ꝗ. Symbolum, quo hodie utimur, Apoſtolicum in eam, quam nunc obtinet formam tranſierit, præciſe determinari non poteſt.

XII. Va-

XII. Varia elogia Symboli Apoſtolici colligit Bona de pſalmod. c. 16. §. 3. ubi etiam Autores quosdam recenſet, qui hoc Symbolum explicarunt, quibus Pearſonius, Witſius, Heideggerus aliique adjungi poſſunt. Mira a. eſt Symboli illius expoſitio, ſeu potius perverſa cenſura, quam Raynaudus Jeſuita ab Ordinis ſui ſociis excogitatam in tractatu ſuo de bonis & malis libris p. 294. exhibet, & excuſat, qua de re in ſyntagmate de libris propriis p. 37. iterum agit, notans Autorem hujus cenſuræ hoc paradigmate oſtendere tantum voluiſſe, quousque cenſura librorum progredi poſſit, ſi verba Autorum in alienos ſenſus trahere liceat, neque convenientius tricandi circa alienos libros pruriginem confundi potuiſſe, quam ſi oſtenderetur, nihil eſſe tam innoxium, quod in pravum ſenſum detorqueri non posſit. Adducit ſimile exemplum Cochlei, qui, ut ſectariis dictaScripturæ ad ſuam mentem torquendi licentiam exprobraret, exScripturis ſimili modo obtortis librum confecit, quo probatur Chriſtum non eſſe Deum & hominem, & alium quo probatur, Mariam non manſiſſe in partu Virginem, & alium quo horrenda quædam & execranda blaſphemia, qua has chartas conſpurcare vereor, probatur. Verum Petrus Aurelius, vel qui ſub iſto nomine latere voluit, Johannes Vergerius Abbas Sancyranus in apologia pro epiſtola Epiſcoporum Galliæ p. 72. blaſphema illa Symboli Apoſtolici cenſura atheiſmo fores aperiri, & doctrinam ſanam ludibrio exponi monet, neque licentiam Symbolum Apoſtolicum pravis detorſionibus dilacerandi & eviſcerandi hoc argumento excuſari poſſe putat, quod quædam Smithæi propoſitiones juſta cenſura notatæ fuerint.

CAP.

CAP. IX.

De

Libro Didascaliarum pseud-apostolico.

I.

ET Symbolo quidem Apostolico præcipua Apostolicæ doctrinæ capita contineri dubium non est. Num vero etiam vere Apostolorum doctrinam complexus fuerit liber a doctrina Apostolorum denominatus incertum est. Mentionem ejus facit Eusebius, qui libros novi Testamenti recensens libr. 3. histor. eccles. c. 25. inter spuria scripta refert τῶν Ἀποςόλων τὰς λεγομένας διδαχὰς, h. e. Rufino interprete *Doctrinam Apostolorum.* Quamvis n. Eusebius plurali numero usus fuerit, Rufinus tamen singularem adhibuit, qua in re Athanasium præeuntem habuit, quippe qui in synopsi librorum Sacræ Scripturæ inter ἀντιλεγόμενα Apostolorum scripta eorundem διδαχὴν reposuit, quam etiam in fragmento epistolæ festalis inter libros retulit non quidem canone probatos, sed veterum autoritate illis, qui pietatis elementis imbuendi essent, propositos.

II. Si

II. Si quis a Athanasianæ illius epistolæ versionem latinam, qualis in Parisiensi & hanc imitata Lipsiensi Athanasii editione T. II. p. 38. exhibetur, non collato græco textu legat, putabit Athanasium de semetipso dixisse, quod per Doctrinam Apostolorum constitutiones Apostolorum, quæ a Clemente collectæ perhibentur, intelligere videatur. Verum de Clementinis illis constitutionibus nullum est in græco Athanasii textu vestigium. Neque dubium, quin aliquis glossam illam margini illeverit, quam postea in ipsum Athanasii textum irrepere librariorum incuria vel imperitia permisit.

III. Alioqui fatendum est, non defuisse, qui putaverint, quod Athanasius Apostolicæ doctrinæ nomine Apostolicas constitutiones expresserit. Neque primi hujus sententiæ Autores fuerunt Bovius & Turrianus. Nam Zonaras in scholiis ad Athanasii epistolam festalem suo jam tempore quosdam extitisse refert, qui Διδαχὴν Apostolorum nihil aliud quam constitutiones Apostolicas per Clementem scriptas esse censuerunt. Verba Zonaræ legi possunt in Beveregii Synodico, quæ etiam Ufferius, cujus ætate Zonaræ in Athanasii epistolam festalem scholia nondum edita fuerant, ex codice manuscripto transcripsit in prolegomenis ad epistolas Ignatii pag. XLII. ubi sententiam illam tribus rationibus impugnat. Primam inde depromit, quod Διδαχὴ Apostolorum catechumenis proposita, constitutiones autem Episcopis dicatæ fuerint, & μυστικώτερα quædam continuerint, quæ canon ulti-

 mus

mus apoſtolicus in vulgus efferri vetat. Alterum Uſſerii argumentum hoc eſt, quod in ſtichometria Nicephori Doctrinæ Apoſtolorum 200. tantum verſus tribuantur, indeque non difficulter colligi posſit, quod opus illud conſtitutionibus Apoſtolicis longe brevus fuerit. Tertium denique Uſſerii argumentum hoc eſt, quod in indiculis quibusdam librorum Canonicorum & Apocryphorum MSC. nec non in reſponſionibus Balſamonis ad quæſtiones a Marco Alexandrino propoſitas Doctrina Apoſtolorum a Clementinis conſtitutionibus diſtinguatur. Quartum argumentum addit Dallæus in Pſeudepigraphis Apoſtolicis. Obſervat n. Athanaſium in Synopſi Clementina a doctrina Apoſtolorum diſtinxiſſe. Unde colligit per doctrinam Apoſtolorum conſtitutiones Apoſtolicas intelligi non poſſe, cum illæ ſub Clementinis comprehendantur.

IV. Equidem argumenta eorum, qui Διδαχὴν τῶν Ἀποςόλων a conſtitutionibus Apoſtolicis diſtinguunt diluiſſe Cotelerium ex Beveregii codice canonum vindicato lib. 2. c. 9. didici, ubi & ipſe Beveregius Cotelerii ſententiæ aſtipulatur. Eandem ex Græcis tenuit Matthæus Blaſtares in Syntagmate alphabetico c. 11. ubi Doctrinam Apoſtolorum ab Athanaſio memoratam a ſexta Synodo rejectam dicit, quod de conſtitutionibus Apoſtolicis intelligendum eſſe canon 2. illius Synodi clarisſime oſtendit. Neque negari poteſt, præcepta in conſtitutionibus Apoſtolicis tradita per totum hoc opus pasſim doctrinam Apoſtolorum appellari. Sive autem doctrina Apoſtolorum cum conſtituti-

oni-

onibus eadem, sive ab his diversa fuerit, illud tamen certum est, librum illum ab ipsis Apostolis scriptum non fuisse, cum ab Eusebio inter νόθα, ab Athanasio inter ἀντιλεγόμενα numeretur.

V. Διδαχὰς illas seu Διδασκαλίας Apostolicas biblicis codicibus olim compactas fuisse observat Dodwellus in dissertat. ad Irenæum p. 50. & has Διδαχὰς, per senes quosdam, qui eas ex Apostolorum ore hauserint, secundi seculi Patribus traditas existimat, & tamen postea p. 52. neque Hegesippum, neque Irenæum neque Clementem Alexandrinum, neque Tertullianum illas Apostolorum Didascalias allegasse animadvertit, indeque colligit, non esse Διδαχὰς illas tam antiquas, quam Vir maximus nempe Petavius existimaverit, qui Διδαχὰς illas sub Hadriano prodiisse statuit. Verum eodem argumento, ni fallor, Dodwelli quoque sententia impugnari potest. Nam si illas Διδαχὰς ex orali senum quorundam traditione secundi seculi Patres didicissent, mirum esset, illas traditiones ab Irenæo, Clemente Alexandrino & Tertulliano traditionum istiusmodi studiosissimis silentio fuisse prætermissas.

VI. Agit etiam de istis Apostolicis didascaliis Johannes Pearsonius in vindic. epistol. Ignat. c. 4. p. 60. & seq. observans, quod cum vox διδαχῆς & διδασκαλίας de Christi & Apostolorum doctrina in scriptis novi Te-

vi Testamenti sæpius occurrat, hæretici quidam & maleferiati homines διδαχὴν seu διδασκαλίαν hujusmodi commenti fuerint, quasi ab Apostolis scriptam, vel Viris Apostolicis dictatam, & ab illis sub Apostolorum nomine exaratam & ecclesiæ commendatam. Cujus generis dubio procul est Didascalia Coptitarum, quæ a duodecim Apostolis una cum Paulo & Jacobo Hierosolymitano facta dicitur, ut idem Pearsonius notavit, qui etiam non dubitat, quin ex hujusmodi didascaliis multa hauserit, qui constitutiones Apostolicas consarcinavit.

VII. *DOCTRINÆ PETRI* meminit Origenes in præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν, ubi libellum illum, qui doctrina Petri dicitur neque a Petro neque a quoquam divinitus inspirato viro compositum asserit. Ejusdem doctrinæ Petri meminit Elias Cretensis in notis ad orationes Nazianzeni. Cum n. Nazianzenus in oratione ad cives trepidantes animam ægram Deo propinquam dicit, hoc dictum Elias ex Petri doctrina depromptum asserit. Sane idem Nazianzenus in epistol. 16, ubi idem dictum repetit, a Petro id dictum pronuntiat, etsi librum Petri, unde illud excerpsit, non commemoret.

CAP.

CAP. X.

De
Prædicationibus pseudapostolicis.

I.

FOrte a. illa doctrina Petri, de qua sub finem præcedentis capitis dictum est eadem fuit cum libro, qui *PRÆDICATIO PETRI* dictus est, cujus meminerunt Heronymus de Scriptoribus eccles. c. 1. & Eusebius libr. 3. histor. eccl. c. 3. ubi nullum sive veterum sive recentiorum scriptorum hujus scripti testimonio usum esse dicit. Verum id falsum est: Nam Clemens Alexandrinus libr. 6. stromat. insigne testimonium ex Petri prædicatione adducit, cujus hoc est initium: γινώσκετε ἓν, ὅτι εἷς Θεός ἐστιν, ὃς ἀρχὴν πάντων ἐποίησε, καὶ τέλους ἐξουσίαν ἔχων, καὶ ὁ ἀόρατος, ὃς πάντα ὁρᾷ, ἀχώρητος, ὃς τὰ πάντα χωρεῖ, ἀνεπιδεής, οὗ τὰ πάντα ἐπιδέεται καὶ δι' ὃν ἐστιν, ἀκατάληπτος, ἀέναος, ἄφθαρτος &c. Deinde Clemens subjungit, qua ratione Petrus in illa prædicatione doceat nos Deum colere, non ut Græci colunt, etsi Græci eundem Deum colant. Idem Clemens in eodem libro ex Petri prædicatione refert, quid Christus post resurrectionem suam ad discipulos suos dixe-

dixerit. Aliud fragmentum in eodem Clementis libro ex Petri prædicatione refertur, quo Petrus asserit, se cæterosque Apostolos, cum libros Prophetarum evolvissent, invenisse Christi adventum, & mortem, & crucem, & reliqua omnia supplicia, quibus eum Judæi affecerunt, & resurrectionem, & in cælos adscensionem, & cum hæc agnovissent, DEO credidisse ex iis quæ de Christo scripta sunt, quo loco etiam ex Petri prædicatione hoc dictum adducitur: ὐδὲν ἄτερ γραφῆς λέγομεν *nihil absque Scriptura dicimus*. Et sub finem eclogarum seu electorum e Scripturis propheticis, quæ inter Clementis Alexandrini opera extant, & a Combefisio versione latina donatæ sunt, allegantur verba Psalmi 19. ὁ νόμος τῦ Θεῦ ἄμωμος ἐπιστρέφων ψυχὰς, & statim subjicitur: νόμος δὲ καὶ λόγος αὐτὸς ὁ Σωτὴρ λέγεται, ὡς Πέτρος ἐν κηρύγματι, i. e. *lex & verbum ipse Salvator dicitur, ut Petrus in prædicatione autor est.*

II. Ex eadem Petri prædicatione nonnulla adduxit Heracleon, ad quæ respondens Origenes tom. 14. in Johannem in medio relinquit, sitne ille Petri liber genuinus, an nothus, vel etiam mixtus. Et ad hanc Petri prædicationem respexit etiam Lactantius, cum libro 4. instit. c. 21. ait, quod Petri & Pauli prædicatio in memoriam scripta permanserit, in qua cum multa alia tum etiam hoc futurum esse dixerint, ut post breve tempus Deus immitteret Regem, qui expugnaret Judæos, & civitatem eorum solo adæquaret. Et huic Petri prædicationi præfixam fuisse Petri ad Jacobum epistolam a

Cote-

Cotelerio inter opera Clementis editam Dodwellus in Dissertationibus ad Irenæum p. 441. observat, ubi & alia quædam de Pseudapostolicis prædicationibus animadvertit.

III. Paulus Apostolus ut alia multa sic & hoc cum Petro commune habuit, quod ut Petri sic etiam *PAULI PRÆDICATIO* olim extiterit. Testatur id Autor anonymus de non iterando baptismo a Rigaltio primum editus, ejusdemque observationibus ad Cyprianum insertus. Et Labbeus quidem, qui hunc tractatum denuo edidit, in Syllabo eorum, quæ primo conciliorum tomo continentur, autorem hujus tractatus facit Ursinum Monachum Afrum a Gennadio in Scriptor. ecclesf. c. 27. memoratum, cui sententiæ Oudinus in supplemento Scriptorum ecclesiasticorum astipulatur. Verum celeberrimo Caveo in historia literaria p. 93. rationes non desunt, cur huic sententiæ refragetur, qua de re jam supra in appendice aliquid dictum memini.

IV. In isto igitur tractatu Pauli prædicatio his verbis memoratur : *est adulterini hujus & internecini baptismatis si quis alius autor, tum etiam quidam ab iisdem hæreticis propter hunc eundem errorem confictus liber, qui inscribitur Pauli prædicatio.* Et Rigaltius quidem suspicatur, pro Pauli prædicatione Petri prædicationem legi oportere. Sive a Petro, sive Paulo liber ille adscriptus fuerit, certum est, quod neutrius nomine dignus fuerit, cum multa absurda in eo observaverit, qui prædictum tractatum de baptismo non iterando

do composuit. Non tamen opus esse puto, ut Pauli nomine expuncto Petri nomen in isto Anonymi scriptoris loco substituatur. Nam Lactantius in loco supra allegato Petri & Pauli prædicationem conjungit, & præterea Clemens Alexandrinus non obscure prædicationem Pauli libr. 6. stromatum allegat. Dicit enim Clemens, quod Deus, quemadmodum Judæos salvos esse voluit, ita etiam Græcorum probatissimos propriæ suæ linguæ Prophetas illis excitans a vulgo secreverit, idque præter Petri prædicationem Paulum quoque testari, dicentem: *libros quoque Græcos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum DEum indicet, & ea quæ futura sunt. Sumtum etiam Hystaspem legite, & invenietis Dei Filium multo clarius apertiusque esse scriptum, utque multi Reges adversus Christum aciem instruent odio habentes tum illum, tum eos qui nomen illius gestant &c.* Quæ verba dubio procul e Pauli prædicatione desumpta sunt.

V. Equidem Cotelerius statuit, verba hæc; λάβετε τὰς ἑλληνικὰς βίβλους &c. non esse Pauli sed Clementis, & Pauli nomen eum tantum in finem allegari a Clemente, ut probet, Deum proprios Græcis prophetas excitasse, quasi Clemens respexerit, ad Poetam gentilem, quem Paulus in epistola ad Titum proprium Cretensium Prophetam appellavit; verum conjectura illa Cotelerii etsi primo intuitu probabilis videatur, locum habere non potest, si totus Clementis contextus conferatur, ut clare demonstravit Beveregius in codice canon. vindicat. libr. 1. c. 14. pag. 139.

CAP.

CAP. XI.

De

Canonibus pseudapostolicis.

I.

SEd missa illa Pauli prædicatione ad canones apostolicos accedimus, quorum numerus pro diversis editionibus variat. Nam Dionysius Exiguus, qui exeunte quinto & ineunte sexto seculo floruit, 50. regulas ecclesiasticas sub Apostolorum nomine tanquam per Clementem ecclesiæ Romanæ Pontificem prolatas latina sua versione donavit, & in occidente publicavit, a Justello aliisque sæpius editas. Totidem suæ conciliorum, decretorum & canonum collectioni inseruit Isidorus Mercator seu Peccator vulgo dictus. Nec plures Apostolorum canones addidit Jacobus Merlinus cum superiore seculo in sua conciliorum collectione ejusque tomo. 1. Isidorianam collectionem nonnullorum Pontificum decretis auctiorem redderet.

II. Eundem canonum apostolicorum numerum servavit collectio canonum & decretorum a conciliis & Pontificibus antiquis editorum, quæ primum Moguntiæ A.C. 1525. prodiit, & postea Parisiis semel iterumque sub nomine codicis canonum ecclesiæ Romanæ lucem publicam aspexit, & ab Hadriano I. olim

ad Carolum M. missa creditur, quia plurima manuscripta hujus codicis præfixam habent Hadriani ad Carolum epistolam, quæ in primis singulorum versuum literis hunc titulum reddit: DOMINO EXCELL. FILIO CAROLO REGI HADRIANUS PAPA, qua de re Sirmondus tom. 2. concil. Gall. p. 117. videri poterit. Et quamvis epitome canonum Hadriani I. quam Canisius tom. 6. antiqu. lectionum primus edidit, pauciores quam quinquaginta canones apostolicos admittere videatur, cum ibi tantum 45. numerentur, revera tamen in hac epitome, si eam cum integro Hadriani opere conferamus, nullum ex 50. canonibus apostolicis omissum, sed nonnunquam tres aut duos in unum contractos deprehendimus.

III. Eodem vero fere tempore, quo Dionysius Exiguus 50. canones apostolicos suæ canonum collectioni primo statim loco positos adjunxit, quem numerum etiam Cresconius Episcopus Africanus & alii Latini calculo suo approbarunt, eodem inquam fere tempore Johannes ex Presbytero Antiocheno Episcopus Constantinopolitanus cognomento Scholasticus in sua canonum collectione nec minus in nomocanone 85. canones Apostolis tribuit. Quem numerum Patres concilii in Trullo habiti canone 2. firmarunt, quo canone Balsamon in scholiis omnibus illis os obstrui posse censet, qui canones 85. ab Apostolis conditos negant. Et totidem quoque Photius Patriarcha Constantinopolitanus, Arsenius Monachus aliique Græci agnoverunt.

IV. Non-

IV. Nonnunquam a. hos 85. canones aliquibus contractis ad minorem numerum redactos videas. Nam in Labbeana conciliorum editione, quæ canones apostolicos græce cum versione Gentiani Herveti exhibet, nec non in monumentis orthodoxographis Grynæi, qui græco canonum textui latinam Gregorii Haloandri interpretationem adjunxit, & in pluribus aliis editionibus, qualis est Christophori Hegendorfini, qui anno superioris seculi 24. hic Lipsiæ canones apostolicos latina versione donavit, 12. & 13. canon in unum contrahuntur, ideoque 84. tantum canones apostolici numerantur. Simeon Magister & Logotheta in epitome canonum, quam Gulielmus Voellus & Henricus Justellus in bibliotheca juris canonici veteris edidérunt, 82. Josephus Ægyptius Arabicus horum canonum interpres 81. Alexius Aristenus in synopsi canonum 77. Turrianus vero in editione constitutionum apostolicarum, quibus canones apostolicos adtexuit 75. tantum canones apostolicos numerat.

V. Neque dubitat idem Turrianus in tractatu, quem pro canonibus Apostolorum & decretalibus epistolis veterum Pontificum Romanorum adversus Magdeburgenses scripsit, quin Zephyrinus in epistola ad omnes per Siciliam constitutos Episcopos ad 85. canones apostolicos respexerit, cum ait: *Septuaginta enim Apostoli sententias præfixerunt, cum aliis quam plurimis Episcopis, & servandas censuerunt*. Regulas n. illas 70. quas Zephyrinus ab Apostolis præfixas memorat, non difficulter ad numerum 85. canonum reduci posse opinatur libr. 1. c. 20. p. 85. Verum Blon-

 dellus

dellus in Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus p. 246. arbitratur, eum qui Zephyrino illam epistolam supposuit per 70. sententias non alias intellexisse, quam quas A. C. 785. in gratiam Ingilramni Metensium Episcopi ex græcis & latinis canonibus & Synodis Romanis atque decretis Præsulum ac Principum Romanorum Hadrianus I. collegisse dicitur, cum illæ numero 72. fuerint. Et sane in editione Antonii Augustini notis illustrata numerum illum sententiarum, seu capitulorum Hadriani, quem Blondellus notavit, deprehendimus. At Jacobus Sirmondus, qui tom. II. conciliorum Galliæ ista Hadriani capitula iterum edidit, in admonitione prævia p. 98. ea numero 80. fuisse ex priorum editionum titulis probat, quem numerum etiam Gratianum aliosque canonum collectores testimoniis suis confirmasse notat. Nondum igitur satis constat, an Zephyrinus, vel potius, qui sub ejus nomine epistolam illam composuit, per 70. sententias Apostolorum Hadriani capitula intellexerit. At non magis certum est, quod ad 85. canones apostolicos respexerit, imprimis cum in illa Zephyrini epistola codices aliquos pro 70. sententiis 60. vel 50. legere ab eruditis observatum fuerit. Æthiopes vero iisdem verbis & sententiis manentibus modo 56. modo 81. canones numerare callentissimus rerum æthiopicarum Ludolphus in suis ad historiam æthiopicam commentariis pag. 337. annotavit.

VI. Commentario suo hos 85. canones apostolicos illustravit Johannes Zonaras, cujus in canones apo-

postolicos scholia Johannes Quintinus Hæduus latine reddidit & A.C. 1558. Parisiis vulgavit, cui versioni græcum textum A.C. 1618. Parisienses Typographi addiderunt, cum ejusdem Zonaræ commentarios in canones conciliorum aliaque ad canonicam veteris ecclesiæ disciplinam spectantia græce & latine ederent. Eosdem canones apostolicos scholiis suis explicavit Theodorus Balsamon, quæ una cum reliquis Balsamonis in canones conciliorum & sanctorum Patrum epistolas canonicas commentariis græce & latine ex versione Gentiani Herveti, quæ primum A.C. 1561. prodiit, Parisiis A.C. 1620. lucem publicam adspexerunt. Conjunctim Zonaræ & Balsamonis in canones apostolicos commentaria additis quoque Alexii Aristeni scholiis in Synodico suo græce & latine exhibet Gulielmus Beveregius, qui & ipse canones illos doctissimis annotationibus illustravit. Brevem ad canones illos epicrisin e nostratibus adjecit Osiander histor. eccles. centur. 1. libr. 3. c. 4. Quam epicrisin etiam Meisnerus tractatui suo de legibus p. 469. & Elias Ehingerus canonibus Apostolorum & conciliorum græce & latine Witebergæ a se editis inseruit. Neque hic silentio prætermittendus Johannes Baptista Cotelerius, qui inter opera Sanctorum Patrum apostolico ævo florentium canones etiam apostolicos græce & latine edidit, & observationibus suis illustravit, ut alios, qui explicandis his canonibus operæ aliquid impenderunt, silentio involvam.

VII. Quisquis a. hos canones in eam, quam hodie obtinent, formam redegit, eos tanquam ab Apostolis compositos haberi voluit. Nam cum in canone 29. Episcopus vel Presbyter vel Diaconus per pecuniam ministerii dignitatem assecutus una cum eo, a quo ordinatus est deponi & a communione ecclesiæ omnino exscindi jubetur, statim additur: *ut Simon Magus a me Petro*, etsi in Dionysii versione particula *me* omissa deprehendatur. Et in canone 50. qui trinam mersionem baptizantibus injungit, juxta Dionysii Exigui versionem dicitur: *non enim dixit nobis Dominus: in morte mea baptizate, sed: euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, etsi in Ivonis decreto & in græcis plerisque editionibus pronomen illud plurale primæ personæ desiderari fateamur. Conferatur etiam canon 82. item 85. seu ultimus ubi legitur: *acta nostra Apostolorum*, quasi ipsi Apostoli hunc canonem edidissent.

VIII. Nec paucis jam olim id fraudi fuit. Sane Johannes Scholasticus post præfationem suæ canonum Collectioni præmissam ordinem canonum, quibus utitur, his verbis auspicatur: οἱ ἅγιοι τοῦ Κυρίου μαθηταὶ καὶ Ἀπόστολοι ὀγδοήκοντα πέντε διὰ Κλήμεντος κανόνας ἐξέθεντο, *sancti Domini discipuli atque Apostoli 85. canones Clementis opera ediderunt.* Quin etiam in ipsa præfatione hoc Apostolorum institutum prolixius explicat. Et hæc ipsa præfatio eadem est cum illa, quam Constantino nescio cui tribuit

buit Turrianus libr. 1. contra Magdeburg. c. 28. p. 137. ubi primam præfationis illius partem latine à se editam exhibet. In eadem sententia fuit Imperator Justinianus, qui ad Epiphanium Patriarcham Constantinopolitanum scribens sanctorum canonum observationem commendat, ἣν οἵ τε δικαίως ὑμνούμενοι καὶ προσκυνητοὶ καὶ αὐτόπται τοῦ Θεοῦ λόγου παραδεδώκασιν Ἀπόστολοι, *quam juste laudati & adorandi & ipsius DEI Verbi inspectores tradiderunt Apostoli* His n. novellæ 6. verbis canones quos habemus apostolicos commendari plerique consentiunt.

IX. Nec aliter de canonibus apostolicis statuit Damascenus. Nam libro 4. de orthodoxa fide c. 18. libros novi testamenti enumerans in eorum numero canones Apostolorum per Clementem collocat, quod facturus nunquam fuisset, nisi canones, qui apostolici dicuntur ab ipsis Apostolis traditos sibi persuasisset, quod persuasum quoque fuit Josepho Ægyptio, ut patet ex titulo, quem Arabicæ suæ canonum apostolicorum interpretationi præfixit. Nam in isto titulo, quem ex MSC. Bodlejano Beveregius in annotationibus ad canones apostolicos p. 1. exhibet ab Apostolis in summo Sionis ope Spiritus Sancti hos canones ordinatos asserit.

X. Nec nostro & superiori seculo defuerunt, qui horum vestigiis insistentes hos canones ab Apostolis compositos crederent. Nam Onuphrius Panvinius in tabula conciliorum Pontificum & Imperatorum, quam

quam vitis Pontificum per Platinam scriptis præmisit, *concilia, inquit, aliquot celebrata sunt, ut illud Hierosolymitanum, de quo Act. XV. & in quo canones Apostolorum sunt compositi, qui approbati sunt in sexta Synodo generali.* Nec aliter judicavit Johannes Quintinus, qui in præfatione ad Zonaræ commentarium latine a se redditum traditas Apostolis regulas in ecclesiasticorum manus se restituere conatum affirmat.

XI. Imprimis a. Turrianus toto libro primo adversus Magdeburgenses scripto hos canones ab ipsis Apostolis conditos probare nititur. Neque dubitat, quin in concilio illo Hierosolymitano cujus mentionem modo ex Onuphrio fecimus, canones illi ab Apostolis decreti fuerint. Quamvis n. Sophronius Hierosolymitanus Patriarcha in homilia de agone Petri & Pauli a Petro, cum perambulatis ob Simonem Magum variis regionibus Hierosolymam rediisset, & Paulo, cum tertio vocationis suæ anno in eandem urbem venisset, & per aliquot dies cum Petro mansisset, canones & constitutiones factas memoret, Turrianus tamen Sophronii verba de illis constitutionibus intelligit, quæ octavo constitutionum libro c. 33 a Petro & Paulo factæ dicuntur. Canones autem apostolicos κατ' ἐξοχὴν ita dictos, quibus octavus constitutionum liber clauditur, in illo concilio Hierosolymitano, quod Act. 15. describitur, sancitos arbitratur, cum libro 6. constitutionum c. 12. Apostoli dicant, se post decretum de abstinentia ab idolothytis, sanguine, suffocato, & fornicatione pluribus diebus congregatos permansisse, conquirentes col-

latis

latis consiliis, quæ ad publicum ecclesiæ commodum spectarent. A qua Turriani conjectura non alienus est Lorinus in commentario ad Act. XV, 29. Relatis enim aliorum de loco & tempore, quo canones apostolici primum promulgati sunt, sententiis Turriani opinionem autoritate ac verisimilitudine certiori gaudere pronunciat.

XII. Alii vero ex Pontificiis saltem maximam canonum illorum partem Apostolis tribuendam censent. Et Severinus quidem Binius Tom. I. concil. p. 14. duos tantum canones, nempe canonem suæ editionis 65. & 84. expunctos cupit. At Bellarminus de Scriptoribus ecclesiasticis p. 54. in seligendis genuinis Apostolorum canonibus longe parcior tantum 50. priores pro legitimis agnoscit, quemadmodum etiam jam olim Stephanus IV. A. C. 769. in Synodo Romana non plura quam 50. canonum apostolicorum capitula suscipi debere sanxit, cujus decretum legi potest in Holstenii collectione Romana part. I. p. 263. Ad quod decretum dubio procul respicit Anastasius Bibliothecarius in epistola ad Johannem VIII. quæ actis concilii Niceni II. ab eodem Anastasio latine redditis præmissa legitur, cum ait: *prædecessor vester beatissimus Stephanus non ex his* (apostolicis canonibus) *plus quam 50. recipiendos synodice promulgavit.* Simile decretum sub Leonis IX. nomine extat apud Gratianum dist. 16. c. *Clementis*, ubi dicitur canones Apostolorum a Patribus inter apocrypha numerari exceptis 50. capitulis, quæ orthodoxis regulis adjungenda decreverint. Quæ tamen verba

non Leonis esse, sed Humberti Sylvæ Candidæ Episcopi Cardinalis, qui Leonis illius legatus fuit, observat Antonius Augustinus dial. 6. de emendatione Gratiani & in additione ad illum dialogum p. 76. editionis Baluzianæ.

XIII. Proximum ab his locum merentur, qui omnes illos canones Apostolis quidem suppositos concedunt, interim tamen eos antiquissimos esse contendunt. Nam Petrus de Marca libr. 3. de concordia Sacerdotii & imperii c. 2. collectionem canonum apostolicorum Synodo Nicæna anteriorem, sed anno 258. posteriorem statuit, & suspicatur fortasse Firmilianum aliosque orientalis ecclesiæ Episcopos eo fine hanc collectionem sub Apostolorum & Clementis Romani nomine edidisse, ut Stephano Pontifici Romano hæreticorum baptisma ratum habenti apostolicam autoritatem opponerent, cum canone 46. 47. & 68. hæreticorum baptismus improbetur. Adhuc altius assurgit Gabriel Albaspinæus Aurelianensis Episcopus libr. 1. obs. sacr. c. 13. Statuit enim quod nonnulli ex canonum illorum numero ab Apostolorum successoribus, qui Viri Apostolici dici solebant, conditi, ideoque hi canones primum canones Apostolicorum, sed postea per Latinorum quorundam ignorantiam literis quibusdam detractis Apostolorum dicti fuerint. Porro canones illos successu temporis auctos, aliosque aliis seculis additos arbitratur, & tandem concludit, canones illos nihil esse aliud, quam breviarium & epitomen primorum conciliorum, & rerum ab Episcopis privatim sancitarum, qui eccle-

sias

ſias græcas ante concilium Nicænum adminiſtrarunt.

XIV. Nec deſunt inter Reformatos qui canonibus apoſtolicis eximiam antiquitatem conciliare ſatagunt. David enim Blondellus in apologia ſententiæ Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris ſect. 3. p. 317. canones apoſtolicos circa annum 280. conditos affirmat, ſed in prolegomenis ad pſeudo-Iſidorum c. 12. A. C. 200. ſancitos aſſerit, quod inde probare conatur, quia canones apoſtolici ſunt velut appendix quædam libri 8. conſtitutionum apoſtolicarum, e quibus Tertullianus in libro de reſurrectione c. 13. circa A. C. 208. mutuatus ipſi videtur, quæ de Phœnice aſſerit.

XV. Gulielmus Beveregius in annotationibus ſuis ad Pandectas canonum canones apoſtolicos ſeculo ſecundo exeunte & tertio ineunte conſtitutos probare voluit, & Clementem non Romanum ſed Alexandrinum eorundem collectorem fuiſſe ſuſpicatus eſt. Quam ſententiam cum Autor quidam anonymus, quem nunc Matthæum Larroquanum fuiſſe conſtat, in obſervationibus ſuis ad Beveregii annotationes in canones apoſtolicos A. C. 1674. publicatis refutandam ſuſcepiſſet, Beveregius inde codicis canonum eccleſiæ primitivæ vindicati & illuſtrati, qui Londini A. C. 1678. lucem publicam adſpexit, edendi occaſionem nactus eſt, in qua canonum apoſtolicorum antiquitatem magnis conatibus defendit, neque tamen ea, quæ de Clemente Alexandrino dixerat, urgere cupit, ſed ſe eam ſententiam tantum ut

probabilem proposuisse asserit, etsi ista Beveregii conjectura Viris quibusdam eruditissimis non pœnitenda videatur.

XVI. Petrus Gumingius priores canones apostolicos 50. in prima, reliquos in secunda post Apostolos centuria compositos existimavit, ut ex Beveregii proœmio ad codicem canonum vindicatum cognovi, ubi ejus verba ex opere de jejunio antepaschali ex Anglico in latinum sermonem traducta exhibentur. Jacobus vero Usserius, qui in prolegomenis ad epistolas Ignatii c. 6. canones priores 50. a posterioribus itidem distinguit, priores quidem seculo tertio collectos existimat, posteriores vero sexto demum seculo ab eodem impostore qui Ignatii epistolas & constitutiones apostolicas corrupit, prioribus adjectos statuit.

XVI. Contra Johannes Dallæus in tractatu de Pseudepigraphis apostolicis libr. 3. canones apostolicos tam priores quam posteriores ante seculum quintum jam adultum innotuisse negat. Et hanc Dallæi sententiam quam etiam inter Pontificios Cabassutius in notit. concil. p. 7. & Natalis Alexander diss. 17. sec. 1. amplexi sunt, a Beveregio in annotationibus ad Synodicon suum impugnatam Matthæus Larroquianus in observationibus Beveregio oppositis defendere satagit. Cur autem ad Beveregii codicem canonum vindicatum & illustratum non responderit, aut potius responsum, quod jam parabat, in publicam lucem non emiserit, ex ejus vita ejusdem adversariis præmissa cognosci poterit.

XVII. Et

XVII. Et Petri quidem de Marca conjecturam de Firmiliano canon 7. apostolicus infringit, quippe qui pascha cum Judæis celebrari prohibet, quod Firmiliano aliisque Asiaticis Episcopis plane adversatur, ut Beveregius in suis ad canones apostolicos annotationibus observavit. Albaspinæi autem sententiæ, quam, ut plures alios jam taceam, etiam Zegerus Bernardus van Espen in tractatu historico canonico nuperrime amplexus est, opponi potest, quod nusquam hi canones in monumentis antiquis canones Apostolicorum appellentur. Observat etiam Dallæus, quod, etsi verissimum sit, plurima & ferme omnia, ex quibus hæc Sylloge canonum apostolicorum constat, decreta, variis temporibus aliisque alia seculis & locis in ecclesia facta fuisse, nonnulla tamen a doctrina ecclesiæ græcæ, quæ ante concilium Nicænum floruit, abhorrentia in his canonibus occurrere videantur, neque quisquam veterum Scriptorum hanc canonum apostolicorum Syllogen ita allegaverit, ut aliquem ex istis canonibus nominato ejus numero adduxerit, & præterea nonnulli ex his canonibus ejusmodi verbis concepti deprehendantur, quasi ab ipsis Apostolis decreti fuerint. De Gumingio, cum ejus rationes ignotæ mihi sint, nihil addo. Neque etiam Blondelli autoritate multum moveor. Nam prioris suæ sententiæ rationem nullam adduxit, posterioris a. ratio infirmo admodum fundamento nititur, quasi Tertullianus ea, quæ de Phœnice scripsit, non aliunde quam ex Clementis constitutionibus haurire potuerit.

XVIII. Sed quid Beveregio regeremus, qui tot Patres & concilia pro antiquitate apoſtolicorum canonum allegat? Fatendum ſane eſt, non raro in Patribus & conciliis antiquis canonum, quos allegant, mentione reſpectum ad canones apoſtolicos habitum videri. Veruntamen obſervamus, ſub canonis apoſtolici nomine nonnunquam ſcripta Apoſtolorum indicari. Cum n. Theodoſius leg. 3. codic. Juſtinianei de ſumma Trinitate Irenæum quendam præter apoſtolicos canones poſt binas nuptias Tyriæ civitatis Epiſcopum factum dicit, non neceſſe eſt ut dicamus, eum ad canonem 17. apoſtolicum reſpexiſſe, cum potius ad verba Apoſtoli 1 Tim. III, 2. & loca huic parallela reſpexerit. Si quis regerat, Irenæi digamiam ſucceſſivam fuiſſe, eamque ab Apoſtolo prohibitam non fuiſſe, reſponderi poteſt etiam in canone 17. apoſtolico non eos exautorari, qui poſt obitum legitimæ uxoris aliam ducunt, ſed qui legitima u. ore per injuſtum divortium repudiata aliam ſup. .nducunt. Deponi n. jubetur ὁ δυσὶ γάμοις συμπλακεὶς, ſeu qui duplici conſtrictus conjugio tenetur, quod de iis dici non ſolet, qui mortua priori uxore & per ejus mortem ſoluto matrimonio ad ſecundas nuptias tranſeunt, cum illi potius δευτερογαμῆσαι ſeu δευτέρῳ γάμῳ συνάπτεσθαι dicantur, ut Svicerus in theſauro eccleſiaſtico p. 894. bene monuit. Deinde obſervandum, etſi Paulus 1. Tim. III, 2. & 12. & Tit. I, 6. digamiam ſucceſſivam eccleſiæ miniſtris non interdixerit, nonnullos tamen veterum ex verbis Apoſtoli male intellectis eos epiſcopatu & eccleſiaſtico officio

cio indignos judicasse, qui uxore sua defuncta aliam duxissent. Unde Tertullianus libr. 1. ad uxor. c. 7. ait, disciplinam & præscriptionem Apostoli, cum digamos non præsidere sinit, declarare, quantum nuptiæ secundæ sanctitati obstrepant, ut alios, qui ex isto fundamento successivam clericorum digamiam improbarunt, taceamus. Quantum autem ad Irenæum illum attinet, quem Imperator contra canones apostolicos post binas nuptias Tyri Episcopum ordinatum queritur, ordinatus ille fuit a Theodoreto, qui bene noverat, digamiam successivam a Paulo Episcopis prohibitam non fuisse. Nam in commentario ad 1. Tim. III, 2. eorum interpretationem approbat, qui dicunt, Paulum secundas nuptias non improbasse, qui mulieri post mariti mortem alteri nubere permisit, nec in voluntatis potestate esse secundum matrimonium, si quis continentiæ dono præditus non fuerit, ideoque Apostolum eos reprehensione dignos & accusationi obnoxios judicasse, non qui post uxoris mortem secundum matrimonium ineunt, sed qui viva uxore dimissa alteri conjuncti fuerint. Atque hinc etiam Theodoretus in epistola 110. ad Domnum Antiochiæ Episcopum ordinationem Irenæi a se factam defendit. Postquam enim dixerat, se ex Phœniciæ Episcoporum decreto Irenæum ordinasse, cum illius & Zelum & magnanimitatem & amorem in pauperes aliasque virtutes cum ejus orthodoxia conjunctas perspectas sibi habuisset, subjicit, se quantum ad digamiam attinet, majorum vestigiis inhæsisse, cum Alexander Antiochiæ & Acacius Berœæ Episco-

Episcopus Diogenem, & Praylius Domninum ordinare veriti non fuerint, etsi hic Domninum & illi Diogenem bigamum esse minime ignorarent, cujusmodi ordinationes etiam a Proclo Constantinopolitano Episcopo & a Ponticis & Palæstinis Episcopis non improbatas addit.

XIX. Procul tamen dubio fuerunt Theodoreti ævo, qui verba Pauli aliter interpretati Irenæum digamum contra Apostoli regulam Tyri Episcopum ordinatum Imperatori suggesserunt. Quin etiam Phœniciæ Episcopos eam ipsam ob causam Theodoretum ad Irenæi ordinationem invitasse Christianus Lupus in notis ad variorum Patrum epistolas p. 91. suspicatur, quod nullus eorum bigamo manus imponere auderet, ideoque Theodoreti audacia uti vellent, quem a bigamorum consecratione non abhorrere scirent, quamvis & alias causas p. 88. & 89. proferat, cur Irenæus Tyri Episcopus & primæ Phœniciæ Metropolitanus a Theodoreto ordinatus fuerit, quod officium potius Johanni Patriarchæ Antiocheno convenire videbatur.

XX. Atque ex his etiam non difficulter responderi potest ad argumentum, quod Beveregius pro canonum apostolicorum antiquitate ex canonica Basilii M. epistola ad Amphilochium ejusque canone 12. depromit. Quando enim Basilius canonem digamos a ministerio excludere asserit, non ad canonem apostolicum 17. sed ad canonem Scripturæ respicit, & quidem ad loca Pauli superius allegata, quæ Basilius rectius quam Tertul-

Tertullianus & quidam alii de ſimultanea digamia interpretatus eſt. Sane ipſe quoque Beveregius ſimili ratione in canone 15. concilii Neocæſarienſis non eccleſiæ ſed ſcripturæ canonem allegari agnoſcit. Quid ergo impedit, quo minus per canonem a Baſilio M. allegatum Scripturæ canonem intelligamus?

XXI. Deinde notandum, quod ſub nomine canonis apoſtolici vel etiam eccleſiaſtici aut antiqui apud Scriptores antiquos & in veterum conciliorum decretis nonnunquam publici eccleſiæ mores veniant, qui longa conſuetudine vim legis obtinuerunt, & apoſtolicæ diſciplinæ conformes habiti fuerunt: Quod ipſe Beveregius agnoſcit, ſiquidem p. 94. & 95. in canone 13. concilii Nicæni per παλαιὸν καὶ κανονικὸν νόμον, & in canone Ancyrano 21. per πρότερον ὅρον non canones ſed ritus tantum & mores antiquos intelligi cenſet, & p. 128. verba Hieronymi, qui in epiſtola 28. unamquamque provinciam præcepta majorum leges apoſtolicas arbitrari aſſerit, non de canonibus ſed de ritibus per majores ſine ſcripto traditis interpretatur. Quocirca & aliis licebit loca quædam, quæ canonum veterum vel eccleſiaſticorum aut apoſtolicorum mentionem faciunt, non de canonibus apoſtolicis, ſed de receptis eccleſiæ moribus interpretari.

XXII. Præterea obſervandum, quod, cum in conciliorum decretis aliisque veterum monumentis antiqui canones allegantur, cum quibus apoſtolici cano-

nes conveniunt, ex eo probari non posſit, quod in illis conciliis aliisque monumentis canones apoſtolici allegati fuerint, cum potius canonum apoſtolicorum conſarcinator ex illis conciliis aliisque veterum monumentis ejusmodi canones condendi occaſionem nactus fuerit. Impoſtorem enim fuiſſe, qui canones apoſtolicos collegit, ex eo manifeſtum eſt, quod nonnullos ex iſtis canonibus ita formaverit, quaſi ab ipſis Apoſtolis compoſiti fuiſſent. Unde etiam parum firmitatis habet ratio Beveregii, cum pag. 34. canones Antiochenos apoſtolicis recentiores probaturus in apoſtolicis canonibus nullos alios antiquiores canones allegari notat, quod tamen in canonibus Antiochenis factum eſt. Quos n. antiquiores canones allegaſſet, qui canones ſuos pro Apoſtolorum canonibus venditare voluit? Infirmæ quoque & coactæ nimis videntur exceptiones, quibus contra Dallæum & Larroquanum p. 83. obtinere nititur, quod Baſilius M. in epiſtola ad Amphilochium can. 3. ad canonem 25. apoſtolicum reſpexerit, cum tamen ex collatione canonis tertii Baſiliani & vigeſimi quinti apoſtolici manifeſte appareat, quod canonum apoſtolicorum conſarcinator canonem illum ex Baſilio hauſerit. Baſilius enim dicit diaconum, qui fornicatus fuerit, a diaconatu quidem ejiciendum, & in laicorum locum extrudendum, a communione a. non prorſus arcendum eſſe, idque probat ex antiqvo canone, quo, qui a gradu miniſterii exciderunt, huic ſoli punitionis generi ſubjiciuntur. Addit a. Baſilius ſe exiſtimare, quod veteres, qui canonem illum condiderunt legem illam ſecuri fuerint:

non

non vindicabis bis in id ipsum, quæ verba deprompta sunt ex Nah. I, 9. ubi LXX. interpretes legunt: ὐκ ἐκδικήσει δὶς ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἐν θλίψει, quæ verba Basilius paululum immutata ita exprimit: ὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό, Canon autem apostolicus, ad quem Basilius respexisse dicitur, ita se habet: Ἐπίσκοπος ἢ Πρεσβύτερος ἢ Διάκονος ἐπὶ πορνείᾳ ἢ ἐπιορκίᾳ, ἢ ἐπὶ κλοπῇ ἁλὺς καθαιρείσθω, καὶ μὴ ἀφοριζέσθω. Λέγει γὰρ ἡ γραφή. ὐκ ἐκδικήσεις δὶς ἐπὶ τὸ αὐτό. h. e. *Episcopus, vel Presbyter vel Diaconus fornicationis, vel perjurii, vel furti convictus deponatur, & non segregetur. Dicit n. Scriptura: non vindicabis bis in id ipsum.* Ad quem canonem si Basilius respexisset, dicturus non fuisset, se arbitrari, canonem, qui Diaconos a gradu suo depositos non excommunicandos decernit, ad istam legem respexisse: *non vindicabis bis in id ipsum.* Cum enim canon apostolicus expresse ad legem illam respiciat, quorsum illa Basilii conjectura opus erat?

XXIII. Quod animadvertens Beveregius excipit rationem illam non ab ipsis canonis conditoribus adjunctam fuisse, sed a scholiaste quodam in margine prius notatam ex margine in ipsum textum transcriptoris alicujus vel ignorantia vel incuria irrepsisse. Id ex eo probat, quia in aliis canonibus apostolicis nonnullis criminibus duplex pœna imposita deprehenditur, unde colligit, hanc rationem ab ipsis aposto-

licorum canonum conditoribus addi non potuisse. Verum si Basilius M. canones apostolicos cognitos habuit, ipsiq; perspectum fuit, in nonnullis canonibus apostolicis in certa criminum genera duplicem pœnam statui, cur arbitratus est, conditores canonis 25. ad illam legem respexisse: *non vindicabis bis in id ipsum.* Deinde Beveregii causam non juvat, quod in canone 25. apostolico quædam lectionum varietas occurrit, dum nonnulli codices legunt: ἐκδικήσεις, alii: ἐκδικήσει. &c. Nullum enim codicem producere potuit, in quo ratio illa ex corruptis Nahumi verbis deprompta omissa fuerit. Addit Beveregius verba Basilii: ὡς οἶμαι idem significare hoc loco ac: *ut memini.* Verum hæc significatio locum hic non habet. Nam Basilius præter illam rationem, quæ in canone apostolico adducitur, aliam allegat, quam sane in canone illo apostolico lectam meminisse non potuit. Tandem & hoc Beveregius observat, quod verba ὡς οἶμαι non solum ad priorem sed etiam ad posteriorem rationem a Basilio adductam pertineant, quod lubenter concedo, ex hoc ipso inferens quod Basilius M. uti posteriorem ita & priorem rationem ex canonibus apostolicis non deprompserit.

XXIV. Etsi igitur negare non ausim multa in canonibus apostolicis contineri, quæ secundo, tertio & quarto seculo in variis conciliis definita sunt, dubium tamen est, num canones illi antiqui ante quartum seculum in certam aliquam Syllogen compacti fuerint, & postea

postea ab impostore aliquo interpolati, quæ Beveregii est sententia; an hæc apostolicorum canonum Sylloge quinto demum seculo composita & simul Apostolis supposita fuerit. Interim certum est, canones illos ab Apostolis conditos non fuisse, & frustra Bellarminum in tractatu de scriptoribus ecclesiasticis affirmare, quod Tertullianus in libro adversus Praxeam canones Apostolorum per manus nobis traditos scribat & Athanasius in synopsi eos inter hagiographa numeret, in qua assertione Bellarminus fide implicita Sixtum Senensem errantem secutus est, cum Tertullianus neque in libro adversus Praxeam, neque in aliis scriptis uspiam canonum apostolicorum per manus nobis traditorum meminerit, neque Athanasius in Synopsi librorum Scripturæ ullam canonum apostolicorum mentionem faciat, nisi quis Athanasium sub Clementinorum nomine etiam canones apostolicos comprehendere contendat, quæ Athanasius, vel quisquis Synopseos illius autor est inter Scripta novi testamenti ἀντιλεγόμενα extremo loco posuit.

XXV. Non minus certum est, canones apostolicos apud multos exiguæ fuisse autoritatis. Nam Gelasius Papa in decreto illo famosissimo, quo libros approbatione dignos ab aliis rejiculis secernit, librum canonum apostolicorum in apocryphorum classe collocat. Cujus decreti autoritatem ut subterfugiat Turrianus libr. I. contra Magdeburgenses c. 15. librum canonum apostolicorum a Gelasio inter apocrypha rejectum a canonibus, quos habemus, apostolicis plane diversum fu-

illſe obtendit. Verum ſi Gelaſii ævo duplex canonum apoſtolicorum liber extitit, alter ab hæreticis confictus, alter vere apoſtolicus, pesſime egiſſet Gelaſius, qui unius tantum mentionem facit, eumque nullo diſcrimine addito inter apocrypha rejicit. Num igitur forte dicendum, quod Gelaſii decretum tantum 35. poſteriores canones feriat? Ita quidem Bellarmino viſum de Scriptor. eccl. p. 54. Verum obſtat, quod Gelaſius totum canonum apoſtolicorum librum, non minorem ejus partem rejiciat. Neque melius evadunt, qui eo tantum ſenſu librum canonum apoſtolicorum a Gelaſio apocryphum dici exiſtimant, quod in canonem Scripturæ recepti non fuerint. Hanc enim explicationem nexus & ordo decreti Gelaſiani non admittit, & ex aliis libris, quos Gelaſius apocryphos eſſe dicit, non difficulter cognoſci poteſt, quo ſenſu Gelaſius canones apoſtolicos apocryphos dixerit, neque cauſa ſatis commoda dari poteſt, cur canones apoſtolici, ſi Apoſtolos ipſos autores habuerunt, in canonem Scripturæ recepti non fuerint.

XXVI. Doctisſimus Anglus Johannes Pearſon in vindiciis epiſtolarum Ignatii cum part. 1. p. 44. & ſeq. contra univerſum Gelaſii decretum multa moviſſet, verba illa: *liber, qui appellatur canones Apoſtolorum apocryphus* a Gelaſio ſcripta negat, & inter varias negationis ſuæ rationes, quas brevitatis ſtudio omitto, non ſolum ad codicem quendam MSC. provocat, in quo verba illa Gelaſii omiſſa ſunt, ſed etiam ſententiam ſuam Hincmari Remenſis autoritate confirmat, qui in opuſculo 55. capitulorum adverſus Hincmarum Laudunen-

nensem.c.24. Tom. II.Oper. p.474. his verbis utitur: *Sed & beatus Gelasius in catalogo, qui libri ab ecclesia catholica recipiantur descripto de his Apostolorum canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha misit.* Ex quibus verbis Pearsonius colligit, Hincmarum Remensem in suo exemplari verba illa de libro canonum apostolicorum apocrypho non legisse. Et quamvis Dallæus libro 3. de Pseudepigraphis apostolicis c. 3. p. 438. ultima illa Hincmari verba: *Sed nec inter apocrypha eos misit* vel memoriæ lapsu imprudenti excidisse, vel in mendo cubare suspicetur, & pro verbo *misit* levi mutatione *omisit*, legi cupiat, Pearsonius tamen hanc Dallæi criticam importunam, nec verbis Hincmari aptam judicat. Unde Dallæi defensor Larroquanus de aptiori verborum illorum correctione solicitus in observat. ad Pearson. vindic. p. 56. Hincmari verba librariorum vitio luxata transpositione particulæ *nec* optime hunc in modum sanari posse censet: *nec de his Apostolorum canonibus penitus tacuit, sed inter apocrypha eos misit:* At Beveregius in codice canonum vindicato libr. 1. c. 9. pag. 75. Larroquani emendationem non minus quam Dallæi violentam esse judicat.

XXVII. Tanta est inter Viros doctissimos de lectione verborum Hincmari contentio, quæ ex alio Hincmari loco decidi posset, si vere apud Hincmarum extarent illa verba, quæ ex ejus libro de capitulis ecclesiasticis & quidem ex c. 18. producit Turrianus pag. 65. In illis enim verbis asserit Hincmarus, quod beatus Papa Gelasius librum, qui de canonibus Apostolorum apud Cræcos inscribitur, pro apocrypho depu-

putaverit, & huic assertioni contradici non debeat, quia hoc eum sine causa fecisse credendum non est. Verum cum hæc verba in editis Hincmari operibus non legantur, & incertum sit, unde ea Turrianus hauserit, ad decisionem hujus controversiæ nihil faciunt. Nec opus est, ut ea de re multum litigemus. Nam sive Gelasius de apostolicis canonibus plane tacuerit, sive eosdem inter apocrypha miserit, perinde erit, cum ex utroque facto colligi possit, canones apostolicos nullius apud ipsum pretii fuisse, quos vel silentio contempsit, nec inter probatos ab ecclesia libros numerare dignatus est, vel inter apocrypha relegavit, quib9 Jvo Carnotensis part. 4. decreti c. 65. ubi decretum Gelasianum recitatur, duriusculum hunc titulum præfigit: *De notitia librorum apocryphorum qui a Sanctis Patribus damnati sunt æterna damnatione*, qui titulus depromptus est ex ultimis Gelasiani decreti verbis, ubi nomina hæresiarcharum, non solum repudiata, verum etiam ab omni Romana catholica & apostolica ecclesia eliminata atque cum suis autoribus autorumque sequacibus sub anathematis indissolubili vinculo in æternum esse damnata pronunciantur.

XXVIII. Ipse quoque Dionysius Exiguus, qui canones apostolicos suæ collectioni adjunxit, plurimos his canonibus non facilem consensum præbuisse in præmissa ad Stephanum epistola fatetur. Sane eodem, quo Dionysius vixit seculo Ferrandus & Martinus Bracarensis in suis canonum collectionibus nullum apostolicis locum reliquerunt. Et quamvis Cassiodorus divinar. lect. c. 23. sua

sua ætate Romanam ecclesiam canones ecclesiasticos a Dionysio Exiguo in latinum sermonem versos amplexam dicat incertum tamen est, an Romana ecclesia, cum priscæ canonum ecclesiasticorum translationi Dionysianam ob majorem styli nitorem prætulit, etiam apostolicos canones, quos Dionysius collectioni canonum primus adjunxit, simul amplexa fuerit. Nam epistola Johannis II. ad Cæsarium Arelatensem a Sirmondo Tom. I. concil. antiqv. Gall. p. 232. edita, ex qua nonnulli id probare volunt, dubiæ aliis fidei videtur. Ponamus a. quod Romana ecclesia cum Dionysiana canonum collectione etiam apostolicos canones amplexa fuerit, probari tamen inde non poterit, quod Romana ecclesia hos canones ab Apostolis traditos crediderit.

XXIX. In Gallia utique illo seculo canones apostolicos pro vere apostolicis habitos non fuisse, probari potest ex historia Gregorii Turonensis, qui libr. 5. c. 19. refert, Chilpericum Regem, cum damnationem Prætextati Rotomagensis Episcopi urgeret, transmisisse ad Episcopos librum canonum, in quo erat *quaternio novus adnexus habens canones quasi apostolicos continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio & perjurio deprehensus a sacerdotio divellatur.* Ex quibus verbis Paschasius Quesnelius in Dissert. 16. ad opera Leonis M. p. 758. colligit, canones apostolicos jam ante Dionysianam versionem in Gallia cognitos fuisse, cum Chilpericus canonem 25. apostolicum ex versione, quæ a Dionysiana multum discrepat, allegaverit. Verum etsi id Quesnelio concedatur, certum tamen est, quod

Petrus de Marca libr. 3. de concord. Sacerd. & imp. c. 4. & Carolus le Cointe in annalibus ecclesiasticis Francorum ad A. C. 577. n. 27. ex illis Gregorii verbis concludunt, nempe canones apostolicos etiam post editum Dionysii codicem in Gallia receptos non fuisse, neque Episcopos Gallicanos eorum autoritate teneri voluisse.

XXX. In eadem sententia persliterunt Gallicani Antistites etiam sub secunda Dynastia, ut ex Hincmaro Remensi liquet. Is enim in opusculo 55. capitulorum adversus Hincmarum Laudunensem c. 24. etsi p. 473. de antiquitate canonum, qui apostolici dicuntur, magnifice satis sentiat, eosque a primis temporibus traditione Apostolicorum Virorum mentibus commendatos, & antequam Episcopi libere concilia celebrare inciperent, a devotis quibusque collectos asserat, statim tamen addit, quod in illis *nonnulla quidem receptibilia, quædam autem non sint servanda.* Et paulo post iterum dicit: *cæterum iidem canones, qui vocantur Apostolorum, non ab Apostolis conscripti esse creduntur* idque ex eo probat, quod in sacra historia & ab ecclesiæ magistris, quinque Apostolorum Synodi referantur, nec in ulla illarum Synodorum canones apostolici conditi dicantur.

XXXI. In Hispania non major canonum apostolicorum autoritas fuit. Nam apud Gratianum distinct. 16. Isidorus scribit: *canones, qui dicuntur Apostolorum, quia eosdem nec sedes apostolica recepit, nec sancti Patres illis assensum præbuerunt, pro eo, quod ab here-*

hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in illis utilia inveniantur, tamen ab autoritate canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter apocrypha deputata. Quamvis autem quis Isidorus ille fuerit, a Gratiano non additum fuerit, plerique tamen haud immerito Isidoro Hispalensi verba illa tribuunt, cum in omnibus veteribus libris Hispaniæ conciliorum inveniantur, ut notavit Antonius Augustinus in emendatione Gratiani dialog. 6. Et Isidorus hic Hispalensis dubio procul rectius judicavit quam alter Isidorus paulo post a Gratiano in eadem distinctione allegatus, qui asserit, quod sancti Patres canonum apostolicorum sententias Synodali autoritate roboraverint, & inter constitutiones canonicas posuerint. Quæ verba transcripta sunt ex epistola, quam Isidorus Mercator vel Peccator suæ conciliorum & canonum collectioni præmisit.

XXXII. Quid in Italia Atto Vercellensis seculo 10. de canonibus apostolicis statuerit, ex ejusdem capitulari cognosci potest, quod Lucas Dacherius octavo spicilegii sui tomo inseruit. In eo enim totum fere Gelasii decretum repetit, & illa quoque verba non omittit, quæ librum canonum apostolicorum apocryphum esse dicunt. Et ex his testimoniis abunde constat, canones apostolicos passim in exiguo potius pretio habitos, quam pro genuino Apostolorum fœtu agnitos fuisse.

XXXIII. Nec inter Græcos defuerunt, qui canones illos pro apostolicis minime agnoscerent. Nam Pho-

Photius in præfatione ad ſuum nomocanonem ſe non aliis modo canonibus uſum fuiſſe dicit, ſed illis etiam, qui ſanctorum Apoſtolorum eſſe dicuntur, licet aliqui eos ob cauſas quasdam dubiæ autoritatis exiſtimaverint. Et in bibliotheca ſua cod. 112. canones apoſtolicos τῶν Ἀποςόλων ἐπιγραφομένες ſeu Apoſtolorum nomine inſcriptos canones appellat. Qua ratione etiam Matthæus Blaſtares in præfatione operis ſui alphabetici, quod inſcripſit Syntagma rerum omniū quæ in ſacris diviniſque canonibus comprehenduntur, non ſimpliciter hos canones Apoſtolorum canones appellat, quod a Zonara, Balſamone aliiſque factum eſt, ſed τὰς ἐπ' ὀνόματι τῶν ἁγίων Ἀποςόλων, nec ſimpliciter eos a Clemente Petri ſocio ſcriptos ait, ſed addit: ὡς φασί τινες, *ut ajunt nonnulli*. Quin & in canone 2. concilii Trullani canones apoſtolici, etſi inter canones a ſanctis Patribus receptos referantur, non tamen ſimpliciter canones Apoſtolorum, ſed παραδοθέντες ὀνόματι τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων Ἀποςόλων κανόνες vocantur. Nec mirum nonnullos de apoſtolica horum canonum autoritate jam olim dubitaſſe, cum in codice canonum eccleſiæ univerſalis nullum illis locum relictum deprehenderent. Unde etiam collectores codicis, qui canones eccleſiæ univerſæ comprehendere dicitur, canones apoſtolicos vel pro vere apoſtolicis non habuiſſe vel nullam eorum notitiam habuiſſe haud improbabiliter concluditur, etſi Beveregius in annotationibus ad canones apoſtolicos & ite-

iterum in codice canonum vindicato & illustrato libr. 1. c. 16. alias omissionis illius rationes excogitaverit.

XXXIV. Verum hæc de canonibus apostolicis dicta sufficiant, quorum ætas etsi minus certa sit, illud tamen certissimum est, canones, qui apostolici dicuntur, nequaquam ab Apostolis scriptos vel viva voce traditos, & a Clemente collectos inque ordinem redactos fuisse. Hoc enim nemini, qui statum ecclesiæ primitivæ cognitum habuerit, si canones hos apostolicos perlustraverit, non statim subolebit.

XXXV. Antequam autem ad alia progrediamur, paucis mentio facienda est 9. canonum, quos in Antiochena quadam Synodo ab Apostolis sancitos fingit Turrianus, qui ex codice quodam MSC. canones illos primus publicavit, & tanquam vere Apostolicos defendit libro 1. contra Magdeburgenses c. 25. Et codicem quidem illum ex Origenis bibliotheca depromptum & postea Pamphili Martyris fuisse gloriatur. Verum hæc Turriani somnia prolixe vanitatis arguit Dallæus libr. 3. de Pseudepigraphis apostolicis c. 22. & seqv. & qui in hac controversia Dallæo consentit Natalis Alexander diss. 19. secul. 1. & Antonius Pagi ad A. C. 56. p. 46. ut alios taceamus.

Cap. XII.

De *Conſtitutionibus pſeudapoſtolicis.*

I.

Poſt canones apoſtolicos dicendum de conſtitutionibus apoſtolicis, quarum in Inſula Creta a Carolo Capellio inventarum epitomen ipſe inventor Carolus Capellius Ingolſtadii A. C. 1546. in lucem publicam emiſit, etiam Crabbianæ conciliorum collectioni & quidem poſteriori, quæ A. C. 1551. prodiit, inſertam. Poſtea integrum opus latine a ſe redditum, prolixa præfatione commendatum, ſcholiisque ſuis illuſtratum Venetiis A. C. 1563. ex Jordani Zileti officina prodire juſſit Johannes Carolus Bovius Epiſcopus Oſtunenſis, quem poſtea Engoliſmenſem in Gallia Epiſcopum fuiſſe ſcribit Ludovicus Jacobus a S. Carolo in bibliotheca pontificia pag. 46. Idque confirmant Fratres Sammarthani in Gallia chriſtiana T. II. p. 584. ubi latinus conſtitutionum apoſtolicarum interpres Carolus Bony appellatur, & A. C. 1574. ex Oſtunenſi Epiſcopo Engoliſmenſis factus, & A. C. 1603. denatus dicitur. Verum Ferdinandus Ughellus in Italia S. pag. 60. & 70. Johannem Carolum Bovium Oſtunenſem Epiſcopum A. C. 1564. ad Brunduſinum Archiepiſcopatum translatum

tum, & A. C. 1570. Ostuni mortuum asserit, quod verius videtur. Sed hæc obiter.

II. In eadem urbe Veneta, ubi Bovianas constitutiones prodiisse diximus, eodem anno & ex eadem officina Franciscus Turrianus constitutiones apostolicas græce edidit, suaque prolegomena & scholia itidem græce scripta addidit. Postea idem Turrianus has constitutiones nova versione latina donavit, quam cum prolixa præfatione & scholiis & explanationibus apologeticis Antverpiæ A. C. 1578. Plantinianis typis impressam publici juris fecit. Quod autem Rivetus critici sui libr. 1. c. 2. Turrianum in libris 5. quos adversus Magdeburgenses scripsit, pro constitutionibus apostolicis magno nisu laborasse scribit, in eo fallitur. Nam in 5. illis libris Turrianus non de constitutionibus apostolicis, sed libro primo de canonibus Apostolorum, & reliquis quatuor de epistolis veterum Pontificum decretalibus adversus Magdeburgenses disputavit.

III. Et Bovianam quidem constitutionum editionem, etiam inter Clementis Romani opera Parisiis A. C. 1568. edita vulgatam, suæ conciliorum collectioni Coloniensibus typis A. C. 1567. publicatæ Laurentius Surius inseruit. At in proxime sequenti conciliorum collectione, quam A. C. 1585. ex officina sua Dominicus Nicolinus Venetiis emisit, eædem constitutiones ex versione Francisci Turriani cum ejusdem præfatione & notis exhibentur. Easdem constitutiones

ex

ex Turriani interpretatione Severinus Binius in priori ſua conciliorum collectione, quæ Coloniæ A.C.1606. lucem publicam adſpexit, iterum dedit, etſi ſola verſione contentus prolegomena cæterumque Turriani apparatum omiſerit. At in altera ſua conciliorum collectione, quæ A.C. 1618. prodiit, ipſas quoque conſtitutiones apoſtolicas penitus neglexit. Quem defectum eodem anno 1618. Fronto Ducæus compenſavit, cum Zonaræ in canones Apoſtolorum & conciliorum ſcholia Pariſiis edidit, & ſimul conſtitutiones apoſtolicas græce cum latina interpretatione Turriani ex editione græca Veneta, & latina Antverpienſi iterum expresſit. Quem imitatus Labbeus in conciliis ſuis itidem græcum conſtitutionum apoſtolicarum textum cum latina Turriani verſione conjunxit. Novisſima autem conſtitutionum apoſtolicorum editio eſt, quam inter opera Patrum apoſtolicis temporibus florentium a Johanne Baptiſta Cotelerio edita invenire licet.

IV. Inter codices manuſcriptos conſtitutionum apoſtolicarum memorabilis eſt, quem Vindobonenſis bibliotheca adſervat, & Lambecius ob venerandam antiquitatem ſuam dignisſimum judicat, ut cum eo impreſſæ editiones a capite ad calcem accurate conferantur. Inter alia obſervat, quod in iſto codice argumentum capitis ultimi libri 2. hoc modo in margine adſcriptum legatur: *ὅτι ἀργὸν οὐ χρὴ ἐσθίειν τινὰ τῶν πιστῶν, ὡς οἱ περὶ Πέτρον ἁλιεῖς, καὶ οἱ λοιποὶ Ἀπόστολοι καὶ οἱ περὶ Παῦλον καὶ Ἀκύλαν σκηνοποιοί, καὶ οἱ περὶ*

Ἰούδαν

Ἰούδαν Ἰακώβου γῆς ἐργάτας. Ἱστορεῖ Ἡγήσιππος καὶ Τερτυλλιανὸς ὁ Ῥωμαῖος, *quod nemo fidelium, qui otiosus fuerit, comedere debeat, quemadmodum nec Petrus cum suis, quippe qui fuit piscator, nec reliqui Apostoli. Sic Paulus & Aquila fuerunt opifices tabernaculorum, Judas vero Jacobi cum suis fuit agricola. Referunt enim hoc Hegesippus & Tertullianus Romanus.* Quæ postrema verba in vulgatis editionibus omissa deprehenduntur

V. Has igitur constitutiones Stapletonus apostolico spiritu plenissimas affirmat, nec ullam rationem obstare putat, quin si præsens ecclesia constitutiones a Clemente editas in Scripturæ S. canonem referret, eas æque ut epistolam Jacobi pro canonico sacri codicis scripto haberi oporteret. Et Alanus Copus summo Dei beneficio contigisse putat, quod constitutiones apostolicæ multis seculis reconditæ ad reprimendam Magdeburgensium contra Sanctos insolentiam in lucem prodierint. Similia aliorum quorundam Pontificiorum de constitutionibus apostolicis judicia apud Gerhardum Tom. I. conf. cathol. libr. 1. p. 409. seqv. unde etiam Stapletoni & Copi sententiam excerpsi, videri poterunt.

VI. Imprimis vero Bovius & Turrianus in iis, quas paulo ante indicavi, lucubrationibus constitutiones istas pro vere apostolicis venditarunt, quorum labores ut egregios commendat Nicolaus Serarius in disputatione de Apostolis, quam A. C. 1584. in Academia

 Her-

Herbipolensi Præside Francisco Rapedio habuit, & quæ postea cum aliis ejusdem opusculis theologicis Moguntiæ A. C. 1611. prodiit. Cum n. in prima illius disputationis parte thesi 57. Apostolorum traditiones in duo genera distribuisset, & ad posterius canones & constitutiones retulisset, postea thesi 58. octo illos Clementis libros, etsi non literarum sacrarum instar venerandos, magna tamen in veneratione habendos & observandos esse dicit, cum præsertim græca & latina harum constitutionum, quæ nunc habemus, volumina ab erroribus, quos illis veteres hæretici adsperserant, maxima ex parte depurgata sint, & præterea harum constitutionum autoritate tot tantique Græci & Latini Patres in rebus gravissimis usi fuerint, quod a Bovio & Turriano ex tota superiorum ætatum antiquitate probatum esse dicit.

VII. Ex Reformatis Richardus Montacutius apparatu II. ad Origines ecclesiasticas p. 394. testimonium aliquod ex constitutionibus apostolicis adducturus, cum plurimos illud adspernaturos prævideret, hac verborum pompa rem aggreditur: unum ex antiquissimis & illum, quia erat Apostolorum συμφοιτητὴς & συμπρεάκτωρ, facile principem & primariæ autoritatis non præteribo Clementem nimirum τὸν διαταγέα. Postea delicatulos esse dicit Autorem hunc falsi postulantes & tanquam falsarium στιγματίζοντας, adversus quos se ejus tanquam γνησίου patrocinium

post

post doctissimum virum Turrianum suscipere paratum esse dicit, & fortasse jam id abunde se contra Seldenum præstitisse gloriatur, etsi in editis adversus Seldenum diatribis nihil, quod tam magnificæ pollicitationi respondeat, invenire se potuisse asserat Usserius in prolegomenis ad epistolas Ignatii. c. 7.

VIII. E Græcis Nicetas Pectoratus Presbyter & monachus cœnobii Studiensis in urbe Constantinopolitana in libro de azymis, sabbathorum jejuniis, & sacerdotum nuptiis, qvem Sigebertus Gemblacensis de scriptoribus eccles. c. 148. commemorat, & qvem Henricus Canisius tom. 6. antiqv. lectionum publicavit, sententiam suam adversus latinos defensurus loca aliqva ex constitutionibus seu ordinationibus, ut in illo libello vocantur, apostolicis adducit. Verum Nicetæ opponimus Zonaram, qui in scholiis ad canonem 60. apostolicum, quo sancitur, ne quis τὰ ψευδεπίγραφα τῶν ἀσεβῶν βιβλία ad populi & cleri corruptionem ut sancta introducat, illustraturus, exempli loco constitutiones apostolicas adducit, quas ideo Synodice rejectas esse dicit. Respicit autem canonem 2. concilii 6. generalis in Trullo habiti. In illo enim canonum quidem apostolicorum autoritas stabilitur, constitutiones autem apostolicæ, etsi in ultimo canone apostolico commendatæ reprobantur, cum jam olim hæretici ad ecclesiæ exitium adulterina quædam & a pietate aliena in illas constitutiones introduxerint.

IX. Montacutio opponimus reliquos Reformatos omnes, & in his imprimis Johannem Dallæum, quo nemo prolixius constitutionum apostolicarum antiquitatem & autoritatem impugnavit. Cum enim ejus tractatus de pseudepigraphis apostolicis tribus libris constet, toto libro primo & secundo contra constitutiones apostolicas pugnat, tertio vero contra canones apostolicos, quibus constitutionum apostolicarum liber in Turriani editione clauditur.

X. Bovio denique & Turriano aliisque Romanæ religioni addictis opponimus Christianum Lupum, qui in scholiis ad canones conciliorum part. 2. p. 867. & 868. volumen hoc ab Ariano & in dogmatibus & in ritibus maculoso consarcinatum asserit, & vindices harum constitutionum Bovium & Turrianum bonas horas male collocasse judicat, iterumque in opusculorum posthumorum tom. 1. p. 683. & 749. hoc constitutionum opus multis erroribus infectum, & quarto demum seculo natum statuit. Opponimus item istis constitutionum patronis Natalem Alexandrum, qui integra dissertatione 18. secul. 1. has constitutiones ab Apostolorum & ecclesiæ doctrina alienas esse probat, ut alios magni in Romana ecclesia nominis viros, ipsosque Cardinales Perronium, Baronium & Bellarminum taceamus, qui, quod constitutiones apostolicas, quales nunc habemus, ab Apostolis traditas non agnoverint, sed eas vel apocryphas vel corruptas ideoque exiguæ fidei & autoritatis esse censuerint, haud obscure passim indicarunt.

XI. Et his Cardinalibus antiquior prævit Humbertus Sylvæ Candidæ Episcopus. Is enim in tractatu, quem Nicetæ Pectorati contra latinos libello supra memorato opposuit, & quem eodem fere tempore ex Bavarica bibliotheca Henricus Canisius tom. 6. antiquarum lect. & ex Vaticana Cæsar Baronius in appendice tomi II. annalium ediderunt, testimonia ex constitutionibus apostolicis objecta eo nomine rejicit, quod sancti Patres Clementis librum id est Apostoli Petri itinerarium inter apocrypha numeraverint. Et videtur quidem Humbertus de opere non constitutionum apostolicarum sed recognitionum loqui. Veruntamen nullum alium Clementis librum quam constitutiones apostolicas hoc loco Humbertus per Petri itinerarium intelligere potuit, siquidem testimonia, quæ ex Clemente Nicetas produxerat, non ex recognitionibus Clementis, sed ex constitutionibus apostolicis deprompta esse constat.

XII. Num vero etiam Gelasius in decreto suo de libris apocryphis de constitutionibus apostolicis loquatur, cum ait: *itinerarium in nomine Petri Apostoli, quod appellatur S. Clementis libri 8. apocryphum*, non æque certum est. Etsi enim numerus 8. librorũ cum opere constitutionum, quod 8. libris constat, melius conveniat, quã cum opere recognitionũ, quod 10. libris continetur, incerta tamen est Gelasiani decreti lectio. Nam in Jurensi codice, quem Chiffletiana editio expressit, novem libri leguntur. Ivonis autem decretum si quis consulat, cujus part. 1. c. 65. illa Gelasii sanctio de libris apocryphis continetur, in ipso quidem textu editio-

nis Parisiensis anni 1647. octo, in margine autem decem libros huic Petri itinerario, quod Gelasius apocryphum pronunciat, adscriptos inveniet. Nec aliter Gelasii verba allegat Vossius libr. 2. de Scriptor. Græcis c. 9. pag. 204. Et ipsum quoque nomen itinerarii Petri melius recognitionibus, quam constitutionibus apostolicis congruit.

XIII. Quamvis autem de Gelasii mente circa constitutiones apostolicas nihil certi constet, reponi tamen inter apocrypha certe meruerunt, cum omni genuinæ antiquitatis testimonio destituantur. Producit quidem Bovius ex primo seculo canonem apostolicum 85. quo constitutiones apostolicæ commendantur. Verum quid de canonibus apostolicis statuendum sit, jam supra diximus. Et Græci, etsi canones apostolicos recipiant, constitutiones tamen apostolicas recipere detrectant, ut ex canone 2. sexti concilii generalis constat. Neque desunt, qui hanc de constitutionibus apostolicis particulam ultimo canoni apostolico ab aliena manu insertam arbitrentur, quæ sententia Beveregio libr. 2. cod. can. vind. c. 9. haud improbabilis videtur. Si autem clausula illa de constitutionibus apostolicis genuina est, videat Bovius, qua ratione excusare possit, quod constitutiones apostolicas inter canonica novi testamenti scripta referre detrectet, cum tamen in ultimo canone apostolico constitutiones apostolicæ canonicis novi testamenti scriptis annumerentur.

XIV. Ex

XIV. Ex apoſtolico ſeculo teſtis pro conſtitutionibus apoſtolicis adducitur quoque a Turriano Dionyſius Areopagita. Verum loca ex Dionyſio allegata non firmiter evincunt, quod Autor ille, cum iſta ſcriberet, conſtitutiones apoſtolicas præ oculis habuerit, & præterea Dionyſium illum, cujus ſcripta ſub nomine Areopagitæ circumferuntur, non minus quam conſtitutiones apoſtolicas falſo titulo ſuperbire conſtat.

XV. Nondum prodierat epiſtola Barnabæ, cum Bovius & Turrianus ſuas pro antiquitate conſtitutionum apoſtolicarum apologias ederent, quam dubio procul etiam pro ſua ſententia allegaturi fuiſſent, cum in illa quoque nonnulla legantur, quæ cum conſtitutionibus apoſtolicis conveniunt. Verum autorem conſtitutionum apoſtolicarum ea potius ex Barnaba, quam Barnabam ex conſtitutionibus apoſtolicis hauſiſſe, pleriſque haud immerito probabile videtur.

XVI. E ſecundo ſeculo Bovius itidemque Turrianus pro conſtitutionum apoſtolicarum antiquitate Ignatium adducunt, quem ex conſtitutionum apoſtolicarum opere in ſuis epiſtolis multa mutuatum inde probare contendunt, quia utrobique ſimiles ſententiæ occurrunt. Neque ſane negari poteſt, magnam inter conſtitutiones apoſtolicas & Ignatii epiſtolas ſpurias præſertim & interpolatas ſimilitudinem paſſim deprehendi. Verum ex ea demonſtrari non poteſt, quod

quod Ignatius ex constitutionibus apostolicis multa hauserit. Nam Usserius in prolegomenis ad Ignatii epistolas ex ista similitudine hoc potius concludit, quod constitutiones apostolicæ, & Ignatii epistolæ unius ejusdemque impostoris manus expertæ fuerint. Pearsonio autem ex isto Ignatiarum epistolarum & constitutionum apostolicarum consensu probabile videtur, quod didascalia Ignatii constitutionibus apostolicis interspersa fuerit, & interpolator Ignatii ex ejusdem didascalia suas lacinias epistolis intexuerit.

XVII. Ignatii σύγχρονος fuit Polycarpus Smyrnensis Episcopus, cui constitutiones apostolicas incognitas non fuisse Turrianus in græcis ad apostolicas constitutiones prolegomenis ex eo evincere conatur, quod Polycarpus in sua epistola viduas Θεῦ Θυσιαστήρια seu Dei aras appellet, quæ viduarum descriptio in constitutionibus apostolicis aliquoties occurrit. Verum Usserio in annotatione 3. ad epistolam Polycarpi probabilius videtur, quod constitutionum apostolicarum Autor ex Polycarpi epistola hoc mutuatus fuerit.

XVIII. Num vero forte Polycarpi auditor Irenæus constitutionum apostolicarum autoritatem suo testimonio confirmat? Ita quidem videtur Turriano, qui in latino ad constitutiones apostolicas proœmio observat, Irenæum libr. 3. adv. hæres. de Clemente dicere, quod ipsos Apostolos viderit, & cum iis contulerit,

lerit, cum adhuc insonantem prædicationem Apostolorum & traditionem ante oculos haberet. Quod eum de Clemente nunquam scripturum fuisse putat, nisi constitutiones apostolicas perspectas habuisset, in quibus Clemens ex Apostolorum persona scribit hoc ipso testatus, se prædicationem Apostolorum eorumque traditionem ante oculos habuisse. Verum longe firmius argumentantur, qui Irenæo constitutiones apostolicas incognitas fuisse ex eo probant, quod in controversia de tempore festi paschalis celebrandi, quæ tum magno cum fervore agitabatur, eam litem in constitutionibus apostolicis jam decisam fuisse ignoraverit. Quod etiam Polycarpum, Anicetum, & alios, qui ante ipsum de ista controversia inter se contulerunt, latuisse oportet, cum tot colloquiis & disputationibus opus non fuisset, si Apostolorum autoritate tempus celebrandi paschatis definitum constitisset. De Hegesippo & Justino nihil addo, quos Turrianus in græca ad constitutiones apostolicas præfatione pro sua sententia adduxit, cum ipse sibi diffisus illorum pro constitutionibus apostolicis testimonia in proœmio latino repetere haud voluerit.

XIX. Tertulliano, qui labente secundo & ineunte tertio seculo floruit, constitutiones apostolicas incognitas non fuisse Turrianus ex eo probat, quod quæ in ejus libro de resurrectione carnis c. 13. memorantur ex constitutionibus apostolicis hausta videantur. Quod argumentum etiam a Pamelio & Ludovico de la Cer-

 da in

da in annotationibus ad illum Tertulliani locum probari video. Verum multa in Tertulliani scriptis occurrunt, quæ constitutionibus apostolicis adversantur, unde illas ipsi incognitas fuisse haud difficulter colligitur. Quæ autem Tertullianus de phœnice retulit, si ex Clemente hausit, ex Clementis epistola ad Corinthios, quam ab antiquis Scriptoribus lectam eorumque manibus versatam constat, potius quam ex constitutionibus deprompsit.

XX. Circa medium seculi tertii floruit Dionysius Alexandrinus, quem in epistola ad Philemonem apud Eusebium libr. 7. c. 7. histor. eccles. ad constitutiones apostolicas respexisse sunt qui credant, cum ibi Dionysius tanquam apostolicam vocem alleget dictum hoc: γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται quod libr. 2. constitutionum apostolicarum c. 36. legitur. Unde miror, quod hoc argumentum a Bovio & Turriano prætermissum fuerit. Recte autem Cardinalis Bona libr. 1 rerum liturgicarum c. 8. animadvertit, nihil in illa Dionysii epistola deprehendi, quod ad Clementis constitutines referri opus sit. Sane si ex Clemente Dionysius dictum illud hausit, non ex Clemente Romano ejusque constitutionibus sed potius ex Clemente Alexandrino hausit, qui libro 1. stromat. eandem sententiam tanquam e Scriptura depromptam allegavit. Si autem Dionysio Alexandrino constitutiones apostolicæ cognitæ fuissent, latere ipsum non potuisset, ab Apostolis & durationem jejunii antepaschalis, & horam solvendi illius jejunii determinatam fuisse. At hoc ipsum

fugisse

fugisse nemo dubitabit, qui ejus epistolam canonicam ad Basilidem perlustraverit. Idem Dionysius in controversia de baptismo hæreticorum Cypriani & Firmiliani sententiam tenuit. At neque Dionysius neque Cyprianus, neque Firmilianus in epistolis, quas eo de negotio scripserunt, usquam ad constitutiones apostolicas provocarunt, quod facturi dubio procul fuissent, si suam sententiam in his constitutionibus autoritate apostolica firmatam cognovissent. Sed jam ad Bovii & Turriani argumenta redeamus.

XXI. Producunt igitur ex quarto seculo Eusebium & Athanasium quorum uterque Doctrinæ Apostolorum meminit, per quam constitutiones apostolicas intelligi minime dubitant. Qua de re jam supra c. 9. aliquid dictum est, cum de Doctrina Apostolorum seu libro Didascaliarum pseudapostolico egimus. Nunc illud tantum observamus, quod, si certum esset Eusebium & Athanasium per διδαχὴν sive διδασκαλίαν τῶν Ἀποςόλων constitutiones apostolicas intellexisse, nondum tamen inde probari posset, constitutiones apostolicas Eusebio & Athanasio cognitas ab hodiernis non diversas extitisse.

XXII. Enimvero negari non potest, apud Epiphanium quarti seculi scriptorem passim constitutiones quasdam apostolicas allegari. Verum quam diversæ fuerint constitutiones apostolicæ, quibus Epiphanius frequenter usus est, ab illis quæ hodie circum-

 ferun-

feruntur, Jacobus Ufferius in prolegomenis ad epiſtolas Ignatii aliique jam pridem obſervarunt. Et quamvis Epiphanius hæreſ. 70. n. 10. in Conſtitutionibus apoſtolicis, qualesſua ætate erant, nihil deprehenſum dicat, quod vel a fide catholica vel a moribus & diſciplina eccleſiæ alienum foret, non diſſimulat tamen, jam ſuo ævo iſtas Ἀποςόλων διατάξεις apud multos dubiæ fidei fuiſſe. Quid illi dicturi fuiſſent, ſi hodiernas conſtitutiones apoſtolicas legiſſent? Atque hinc etiam ex Epiphanio probari non poteſt, quod conſtitutiones apoſtolicæ ad Apoſtolos tanquam autores referri debeant.

XXIII. Euthalium Sulcenſem Epiſcopum, ut ad alios a Turriano productos teſtes pergamus, ætate Athanaſii commentarium in acta apoſtolica ſcripſiſſe, & in prologo illius commentarii ſe in multis locis τῶν ἀποςολικῶν διαλάξεων mentionem facturum promiſiſſe Turrianus aſſerit. Verum qualem διατάξεων Ἀποςολικῶν mentionem Euthalius fecerit, illis diſpiciendum relinquo, quibus illum Euthalii in acta commentarium, qui nondum in publicam lucem prodiit, inſpiciendi copia fuerit, qui etiam judicare poterunt, num Euthalius ille Athanaſii ævo vixerit. Vereor autem ne Euthalius in ſuo prologo ſub διαλάξεων nomine nihil aliud intelligat, quam illas Apoſtolorum conſtitutiones, quæ in actis & epiſtolis apoſtolicis occurrunt.

XXIV.

XXIV. Mirum autem eſt, Turrianum ſuam ſententiam etiam ex Baſilii M. libro de Spiritu S. ad Amphilochium ejusque c. 27. probare velle. Agit enim ibi Baſilius de ritibus quibusdam eccleſiaſticis ſola conſuetudine nulloque ſcripto traditis, quales eſſe dicit ſignum crucis, ſitum precantium verſus orientem &c. Qui locus tantum abeſt, ut Turriani cauſæ faveat, ut nihil magis illi adverſari poſſit. Nam ſi Baſilius M. conſtitutiones apoſtolicas cognitas habuiſſet, dicturus non fuiſſet, ſignum crucis & alios quosdam ritus, quos ibi commemorat, nullo ſcripto traditos fuiſſe. Vidit hanc difficultatem Turrianus, & ipſe ſibi hanc objectionem movit, reſpondens per ἄγραφα Baſilium non ſimpliciter intelligere, quæ non ſcripta ſunt, ſed quæ in ſacra Scriptura non habentur, ideoque traditiones illas, quarum Baſilius meminit, conſtitutionibus apoſtolicis opponi non debere, cum conſtitutiones apoſtolicæ non ab aliquo Evangeliſta vel Apoſtolo, ſed a Clemente Romano ſcriptæ fuerint, poſtquam eas ex ore Apoſtolorum didiciſſet. Qua ſtropha etiam Arcudius in opere de concordia eccleſiæ orientalis & occidentalis in adminiſtrat. Sacram. libr. 1. c. 9. uſus eſt. Verum quam futilis illa ſit, oſtendit Dallæus de pſeudepigraphis apoſtol. libr. 2. cap. 8.

XXV. Extat inter opera Athanaſii diſputatio inter Athanaſium & Arium, quæ in concilio Nicæno habita dicitur, & in græco-latina Pariſienſi operum

Athanasii editione Tom. I. p. 111. legitur. In illa disputatione, cum Athanasius p. 135. divinitatem Christi ex eo probasset, quod Es. LIII, 6. brachium Domini appelletur, respondet Arius Athanasium arguendo, quasi Deum ex partibus constituere velit, & statim subjicit: οὐκ ἐπηκροάσω πολὲ Κλήμεντος τοῦ παρακολουθήσαντος Πέτρῳ τῷ Ἀποστόλῳ, ὃς καθαιρεῖ τὴν τοιαύτην δόξαν, i. e. *an nunquam audivisti Clementem Petri Apostoli sectatorem, qui istiusmodi opinionem evertit?* Unde Turrianus colligit, Ario ejusque asseclis optime perspectum fuisse, quanti opus constitutionum apostolicarum a catholicis ecclesiæ doctoribus factum fuerit, cum alias hoc opus in disputationibus suis catholicis Doctoribus objecturi non fuissent. Et propterea Arianis pejores pronunciat, qui constitutiones apostolicas parvi faciunt.

XXVI. Verum disputationem illam Arii & Athanasii pseudepigrapham esse multa argumenta probant a Baronio ad A. C. 325. n. 57. Natali Alexandro secul. 4. part. 1. p. 425. & aliis producta. Et Oudinus quidem in supplemento de scriptoribus ecclesf. a Bellarmino omissis pag. 31. hanc disputationem a Vigilio Tapsensi scriptam refert, qui omnia sua opera sub alienis nominibus conscripsit: Eandemque sententiam Oudinus etiam Chiffletio tribuit, cum dicit, eum inter reliqua Vigilii opera etiam hanc Athanasii & Arii disputationem p. 84. edidisse hac inscriptione notatam:

contra

contra Arrium Dialogorum libri duo. Verum dialogus qui ibi legitur duobus libris comprehensus, nihil aliud est, quam disputatio inter Athanasium & Arium, quæ Laodiceæ habita dicitur, & etiam inter Athanasii opera, sed latine tantum extat, & quam jam olim Georgius Cassander sub nomine Vigilii Tridentini edidit, Chiffletius autem Vigilio Africano Tapsensi Episcopo adscripsit. Sed disputationem, quæ Athanasium inter & Arium Nicææ habita dicitur græce scriptam & a Nannio latine versam nunquam Chiffletius Vigilii esse somniavit, neque inter Vigilii opera edidit.

XXVII. Præterea in disputatione illa, quæ inter Athanasium & Arium Nicææ habita dicitur, Clementis constitutiones apostolicas allegatas fuisse unde Turrianus probare poterit? Nam quæ ad asserendam Dei unitatem & simplicitatem ex Clemente afferuntur, ex alio quodam Clementis scripto hausta esse mihi plane persuasum est. Sane si Arius constitutiones apostolicas hodiernas cognitas habuisset, easque ab ecclesiæ Doctoribus probari novisset, multa contra Christi divinitatem ex illis in ista disputatione proferre potuisset. Nam ut alia taceam libr. 2. constitut. c. 26. Deus Pater cum Episcopo, Filius cum Diacono, & Spiritus S. cum Diaconissa, quæ absque Diacono nihil agit, comparatur. Ad quem locum Labbeus in margine notat, comparationem istam anilem a Petavio Tomo II. Dogmat. theol. libr. 1. c. 3. merito exagitari; Quin jam olim Photius in bibliotheca sua c. 112. in constitutionibus apostolicis quædam Arianæ impietatis vene-

venena obſervavit, eaque non niſi violenter excuſari poſſe aſſerit. Quis autem credat, Arium, vel quisquis ſub Arii nomine adverſus Athanaſium diſputans introducitur, ſi aliquam conſtitutionum apoſtolicarum notitiam habuiſſet, floſculos illos Arianos inde non decerpſiſſe, & Athanaſio ea non objeciſſe, quæ non niſi difficulter repelli poſſe Photius judicavit?

XXVIII. Ulterius ex quarto ſeculo Turrianus allegat Petrum Alexandrinum. Verum illud argumentum infirma admodum conſequentia laborat. Non enim ſequitur: Petrus Alexandrinus in canonibus ſuis pœnitentialibus commendat jejunium quartæ & ſextæ feriæ, ergo legit conſtitutiones apoſtolicas, cum in illis libr. 5. c. 19. & libr. 7. c. 24. jejunium illud Chriſtianis injungatur. Annon enim alii ante Petrum Alexandrinum jejunii illius mentionem fecerunt, ut Clemens Alexandrinus libr. 7. Stromat. & Origenes homil. 10. in Leviticum? Similis eſt conſequentia in argumento, quod ex Gregorio Nazianzeno Turrianus depromit. Videtur enim ſibi, ſe nonnulla cum conſtitutionibus apoſtolicis convenientia in Nazianzeni libris deprehendiſſe, indeque colligit, Nazianzenum ea ex conſtitutionibus apoſtolicis mutuatum, quaſi ea non potuiſſet autor conſtitutionum ex Nazianzeno, vel uterque ex Scriptore quodam antiquiori mutuari.

XXIX.

XXIX. Philaſtrium autem quod attinet, quem itidẽ ad partes ſuas Turrianus vocat, is equidem in Apocryphorum hæreſi diſpoſitionum apoſtolicarum meminit, at nullis fidiculis inde extorqueri poteſt, quod ſub diſpoſitionum apoſtolicarum nomine conſtitutiones illas, de quibus nunc agimus, intellexerit. Etſi enim id Turrianus ex eo probare conetur, quod Philaſtrius paulo poſt ab Apoſtolis conſtitutum eſſe dicat, non aliud legi in eccleſia catholica dobere, niſi legem, & Prophetas, & evangelia, & actus Apoſtolorum, & Pauli tredecim epiſtolas, & ſeptem alias, quæ actibus Apoſtolorum adjunctæ ſunt, quod ſtatutum Turrianus libr. 2. conſtit. c. 57. contineri putat; magna tamen diverſitas apparebit, ſi cui Philaſtrium cum illo conſtitutionum apoſtolicarum capite conferre placuerit. Quamobrem Philaſtrius forte ad illas conſtitutiones apoſtolicas reſpexit, quas Epiphanio cognitas ſupra diximus.

XXX. Cyrillus Hieroſolymitanus catech. 18. p. 213. de Phœnice diſſerens Clementem allegat, unde novum pro antiquitate conſtitutionum apoſtolicarum argumentum naſcitur, cum id ex Clementis conſtitutionibus apoſtolicis hauſtum videatur. Verum, præterquam quod concedi poteſt, Cyrilli Hieroſolymitani ævo conſtitutiones quaſdam ſub Apoſtolorum nomine editas fuiſſe, quas tamen ab hodiernis diverſas fuiſſe conſtat, dici etiam poteſt, quod Cyrillus, quæ de Phœnice ex Clemente diſſerit, non ex Clementinis

constitutionibus, sed ex Clementis epistola ad Corinthios hauserit.

XXXI. Quid vero de Patribus Nicæni concilii dicemus, quos Apostolorum constitutionem de quadragesimali jejunio renovasse, & expresse Apostolorum constitutionem allegasse ex fragmento actorum concilii Nicæni Turrianus probare nititur? Breviter respondemus, cum multa sequioris ævi commenta Patribus Nicænis attributa fuerint, ut ex canonibus arabicis aliisque constitutionibus ab Alphonso Pisano, Francisco Turriano & Abrahamo Ecchellensi editis apparet, non dubitandum videri, qvin fragmentum Turriani cum pseudepigraphis illis Nicæni concilii constitutionibus ejusdem sit generis. Sane, si Nicæni concilii Patres constitutiones apostolicas judicio suo approbassent, in sexta Synodo generali rejectæ non fuissent. Cæterum etiam Bovius indicat, excerpta qvædam ex prima Synodo Romæ collegisse Guilielmum Sirletum, qvæ aliqvando ad stabiliendam constitutionum autoritatem in lucem prodirura sperat, qvod num factum fuerit, cum ignaris scio.

XXXII. Anteqvam ad alios testes à Turriano productos progrediar, de Chrysostomo & Hieronymo aliqvid dicendum. Nam Chrysostomum in homilia 57. ad Matthæum constitutiones apostolicas allegasse Bovius existimat, cum ibi Chrysostomus in octavo canonum libro hæc verba legi dicat: *qvi ex homi-*

nibus

nibus ordinatus est, quantum ad Deum non est Diaconus aut Sacerdos: quam sententiam libro 8. constitutionum apostolicarum totidem verbis exprimi Bovius asserit. Verum ad hoc Bovii argumentum respondemus, quod duplex extet sub Chrysostomi nomine in Matthæum commentarius, alter genuinus, alter pseudepigraphus, isque imperfectus, qui latine tantum extat, & a latino Scriptore exaratus haud immerito censetur. Homilia autem a Bovio allegata in genuino Chrysostomi opere non legitur, sed in opere imperfecto incerti autoris, quod etsi Thomas Aquinas in tanto pretio habuisse dicatur, ut opus hoc imperfectum se perfectum habere, quam Parisiensis civitatis Dominus esse maluerit, ceu Combefisius in prolegomenis bibliothecæ suæ concionatoriæ p. 23. ex Dionysio Carthusiano retulit, Chrysostomo tamen a Bovio tribui non debebat. Deinde falsum est, verba, quæ autor imperfecti operis ex octavo libro canonum allegat, totidem verbis in constitutionibus legi, etsi libri 8. c. 2. similis sententia legatur his verbis: ὅτε Ἐπίσκοπος ἀγνοίᾳ ἢ κακονοίᾳ πεπεσμένος Ἐπίσκοπος ἐστιν, ἀλλὰ ψευδώνυμος, οὐ παρὰ Θεοῦ, ἀλλὰ παρὰ ἀνθρώπων προβληθείς. Simile quid hic deprehenditur, non prorsus idem. Cum autem autor operis imperfecti in libris canonum sententiam a se allegatam reperiri dicat, videtur eas constitutiones allegare, quibus Epiphanius usus est, & quas a nostris diversas esse jam supra monuimus.

XXXIII. Idem Bovius libros constitutionum apostolicarum ab Hieronymo latine conversos existimat, ejusque rei testem ipsum Hieronymum appellat, qui in fine interpretationis commentariorũ Origenis in epistola ad Romanos id asseruerit. Verum interpres commentarii Origeniani in epistolam ad Romanos non fuit Hieronymus, sed Rufinus. Etsi enim autor illius interpretationis tam in prologo quam in epilogo Hieronymi nomen mentiatur, eoque deceptus Erasmus, cum Hieronymi opera ederet, in indice operum Hieronymi hanc Origeniani commentarii interpretationem inter genuina reposuerit, postea tamen cum Origenis opera vulgaret, animadvertit librariorum fraude pro Rufini nomine Hieronymi nomen positum fuisse. Quam Erasmi censuram eruditorum plurimi haud immerito approbarunt. Clementis autem libri, quos ibi Rufinus Gaudentio urgente a se latine verti scribit, sunt libri non constitutionum sed recognitionum, qui adhuc supersunt Gaudentio dedicati. Constitutionum autem libros Rufinus non minus quam Hieronymus ignoravit. Certe Hieronymus Clementis opera recensens nullam constitutionum mentionem fecit. Nec diffitetur Turrianus, Hieronymum constitutiones Clementis ignorasse.

XXXIV. Ex quinto seculo Turrianus Asterium & Proclum producit. Nam Asterius Amasenus parabolam de Samaritano interpretans per duos denarios duo testamenta significari asserit, unum legis

&

& Prophetarum, alterum evangeliorum & apoſtolicarum διατάξεων. Verum Aſterius, cum de veteri & novo teſtamento loquatur, per διατάξεις dubio procul canonica Apoſtolorum ſcripta intellexit, quod clarius forte oſtendi poſſet, ſi illa Aſterii homilia in lucem prodiiſſet, quod hactenus factum non eſt, etſi Photius in bibliothecæ ſuæ codic. 271. excerpta quædam ex iſta homilia nobis dederit.

XXXV. Proclum vero quantum attinet, eum quidem Turrianus ad conſtitutiones apoſtolicas reſpexiſſe minime dubitat, cum miſſam a Clemente Romano ſecundum traditionem Apoſtolorum mirabiliter deſcriptam afferat, & hæc deſcriptio libro 8. conſtitutionum legatur. Verum illud Procli teſtimonium deſumptum eſt ex ejus tractatu de traditione divinæ liturgiæ, quem pſeudepigraphum eſſe haud immerito quam plurimi eruditorum judicarunt.

XXXVI. Vix operæ pretium eſt ad ſequentia deſcendere ſecula, & ad examen revocare loca, quæ Bovius ex Oecumenio & Nicolao Methonenſi, Turrianus ex Sophronio, Anaſtaſio Antiocheno, & Damaſceno nec non ex Synodo II. Nicæna, & ex octava generali Synodo, item ex ritibus quibusdam Græcorum & conſenſu Æthiopum depromit. Pauca tamen breviter annotare lubet. Et Oecumenium quidem quantum attinet, in eo, quod Bovii ſententiæ faveat, nihil

hil invenio. Etsi enim in scholiis prioris epistolæ Paulinæ ad Timotheum aliquoties septimum Clementis librum alleget, non tamen Clementis Romani constitutiones apostolicas, sed Clementis Alexandrini hypotyposes allegavit. Nicolaus autem Methonensis, etsi in tractatu de corpore & sanguine Christi pag. 275. missam Clementis alleget, probari tamen inde non potest, quod totum opus Clementis, cui missa inserta est, approbaverit.

XXXVII. Sophronii Hierosolymitani Patriarchæ verba ex epistola ejus Synodica, quæ in actione 11. Synodi 6. legitur a Turriano adducta nihil plane pro ejus sententia faciunt, Dicit enim Sophronius, requiri a nobis, ut accedentes ad salutarem baptismum carnis resurrectionem confiteamur. Quomodo autem hinc exsculpi poterit, constitutiones, quæ apostolicæ dicuntur, ab Apostolis traditas fuisse? Quasi vero Sophronius haud scire potuisset, quod a baptizandis confessio resurrectionis requireretur, nisi id ex constitutionibus apostolicis agnovisset.

XXXVIII. De Anastasio Antiocheno id tantum monemus, quod non videatur esse autor Hodegi sub ejus nomine editi, cum in eo autores quidam utroque Anastasio Antiocheno juniores allegentur. Damasceni autem liber de jejuniis ad Cometam qualis sit dicere non possum. Quinque Damasceni editiones hactenus prodierunt, duæ Basileenses & tres

Pa-

Parisienses, in quarum nulla ille de jejuniis liber compareт. Quin etiam, si recte memini, tractatus ille Damasceni neque a Philippo Labbeo in conspectu novæ editionis omnium operum Johannis Damasceni in quatuor tomos distribuendorum A. 1652. Parisiis edito, neque in catalogo operum Damasceni Johanni Alberto a Leone Allatio suppeditatorum, qui inter *σύμμικτα* Allatiana excusus est, memoratur.

XXXIX. Quod in canone 1. secundæ Synodi Nicænæ per integram canonum diataxin opus constitutionum apostolicarum intelligatur, probari non potest. Nec magis probari potest, in octava Synodo generali per *ἱερὰς διατάξεις καὶ κανονικοὺς τύπους* seu sacras constitutiones & canonicas formas, quas Patres illius Synodi se venerari dicunt, constitutiones apostolicas intelligi. Sane Synodus octava generalis approbavit quæ a 7. præcedentibus Synodis decreta fuerant. Quomodo igitur constitutiones apostolicas, quæ in sexta Synodo rejectæ fuerant, approbare potuisset?

XL. Neque Turrianum magnopere juvat, quod ecclesiæ orientales eo die, quo festa Clementis memoria celebratur, in lectione, qua vitam ejus summatim comprehendunt, commemorare soleant, quod evangelii præco factus fuerit, & Apostolorum constitutiones scripserit. Bene enim Richardus Simonius in notis ad Gabrielem Philadelphiensem pag. 7. obser-

obſervat Græcos rei criticæ parum ſtudioſos id omne, quod in vulgus editum eſt, ſtatim pro indubitato arripere. Et quamvis Græci Clementem conſtitutiones apoſtolicas collegiſſe fingant, hodiernas tamen conſtitutiones jam pridem a majoribus ſuis in ſolenni concilio rejectas minime approbant.

XLI. Neque etiam Turrianum juvat ritus in coronatione Græcorum Imperatorum quondam uſitatus, quem ipſius Turriani verbis deſcribam: *cum Imperator Conſtantinopoli in templo S. Sophiæ coronandus erat, manu ſua fidei confeſſionem his verbis deſcribebat, & profitebatur: ego fidelis in Chriſto N. Imperator confeſſionem manu propria ſcriptam propoſui: credo in unum Deum, & quæ ſequuntur, & paulo poſt: amplector quoque & confirmo apoſtolicas traditiones & conſtitutiones.* Per has autem conſtitutiones conciliorum canones non intelligi, Turrianus inde probat, quod in illa confeſſione Imperator ſtatim ſubjungat, *& formas ſeptem Synodorum univerſalium.* Verum hæc ipſa verba indicant, Imperatorem per traditiones & conſtitutiones, quas ſe amplecti profitebatur, alias quam Clementinas conſtitutiones intellexiſſe. Nam ſi illas approbaſſet, formas ſeptem Synodorum univerſalium amplecti non potuiſſet, cum conſtitutiones apoſtolicas in Synodo ſexta ſeu potius quiniſexta, quæ quintæ & ſextæ ſupplementum fuit, rejectas fuiſſe conſtet.

XLII. Po-

XLII. Postremum Turriani argumentum pro antiquitate & autoritate constitutionum apostolicarum inde desumptum est, quod usu ecclesiarum totius Æthiopiæ & Ægypti & omnium provinciarum ditionis latissimæ Pretiosi Johannis constitutiones apostolicæ receptæ fuerint. Testem ejus rei appellat Damianum Goes Lusitanum equestris ordinis in libro de fide & religione ac moribus Æthiopum, quem tanquam interpres dictante Zagazabo legato Æthiopico ad Regem Lusitaniæ Ulyssipone scripsit: *Sunt nobis*, inquit ille *sanctæ ecclesiæ legum libri octo, Manda atque Abetulis vocamus, quos omnes Apostoli Hierosolymis congregati scripserunt.* Unde & Franciscus Alvarez c. 81. peregrinationum æthiopicarum refert, quod Rex Abyssinorum quæsiverit, an apud Romanos extaret volumen octo partibus comprehensum, quod Apostoli, cum Hierosolymis congregati essent, conscripserint, & apud Æthiopes Manda & Abtelis appelletur? Circa quas voces criticam suam exercet Stephanus le Moyne in notis ad varia sacra pag. 1073. quam illi non feliciter cessisse animadvertit celeberrimus Ludolphus in commentario histor. æthiop. libr. 3. cap. 4. n. 30. ubi plura de canonibus & constitutionibus apud Abyssinos receptis videantur.

XLIII. Verum dum Æthiopes pro sua sententia testes advocat Turrianus, eosdem mendacii arguit. Eos enim per ignorantiam & imperitiam existimasse ait, quod hi libri ab Apostolis scripti fuerint. Et in

 co

eo qvidem Turriano minime refragamur, qvod constitutiones apostolicas ab ipsis Apostolis scriptas neget. Viderit modo, qva ratione suam sententiam cum ipsis constitutionibus conciliare possit, cum passim introducantur Apostoli sibimet ipsis scriptionem hujus operis adsignantes, ideoque Æthiopum sententia magis quam Turriani constitutionibus apostolicis conformis videatur. Cæteroquin verissimum est has constitutiones ab Apostolis scriptas non fuisse. Quin & hoc certissimum est, quod plurima, quæ hoc volumine continentur, Apostoli viva voce non tradiderint. Num enim Apostoli ancillis permiserint heris infidelibus ad libidinem morem gerere, modo cum illis solis non etiam cum aliis scortarentur? ut plura alia taceam cum Apostolorum doctrina & moribus non convenientia, & ab historia illorum temporum aliena, quæ neque ab Apostolis tradi, neque a Clemente Romano scribi potuerunt.

XLIV. Non solum autem ab Apostolis hæ constitutiones profectæ non sunt, sed ne id quidem probari posse puto, quod constitutiones apostolicæ tribus prioribus seculis cognitæ & saltem Nicæno concilio antiquiores fuerint. Equidem Cardinalis Bona liturg. rer. libr. 1. c. 8. apud omnes nunc certum & exploratum esse dicit, constitutiones apostolicas, si ab apostolis immediate dictatæ non fuerint, saltem concilio Nicæno antiquiores esse, & disciplinam continere ecclesiasticam, qua ecclesia orientalis sub ethnicis Imperatoribus ante Constantinum M. gubernata fuit. Pro

O 2 qua

qua ſententia etiam allegat Johannem Morinum part. 2. de ſacr. ordinat. p. 20. Johannem Frontonem in prænotatis ad calend. Rom. p. 5. & Petrum de Marca libr. 3. de conc. Imper. & Sacerd. c. 2. qui etſi conſtitutiones apoſtolicas nequaquam Clementi Romano & multo minus ipſis Apoſtolis tribuendas arbitretur, autorem tamen conſtitutionum ſaltem tertio ſeculo floruiſſe, idque omnibus hodie perſuaſum aſſerit. Addi his poſſet Gabriel Albaſpinæus libr. 1. obſerv. ſacr. c. 13. qui etſi eos ineptiæ arguat, qui conſtitutiones Apoſtolorum autoritate ſancitas & publicatas aſſerunt, antiquiſſimas tamen illas eſſe pronunciat, neque dubitat eccleſiam græcam iſto conſtitutionum volumine trecentis primis annis ceu rituali & pontificali uſam fuiſſe. Ex Reformatis addi poteſt Blondellus, qui licet in gallicō tractatu de primatu eccleſiæ conſtitutionum apoſtolicarum autoritatem multis argumentis impugnet, tantam tamen illis in prolegomenis ad pſeudo-Iſidorum c. 12. pag. 57. antiquitatem tribuit, ut circa annum 200. ſcriptas exiſtimet, nec non Gulielmus Beveregius, qui in annotationibus ad pandectas canonum pag. 40. Clementem Alexandrinum exeuntis ſecundi & ineuntis tertii ſeculi Scriptorem has conſtitutiones conſarcinaſſe ſuſpicatus eſt. Verum idoneis argumentis iſta conſtitutionum antiquitas probari hactenus nondum potuit, nec ullum antiqui alicujus ſcriptoris teſtimonium produci, ex quo conſtitutiones apoſtolicas tribus prioribus ſeculis non incognitas fuiſſe firmiter evinci valeat, imo potius multæ rationes ſuppetunt,

 quæ

quæ prioribus seculis ignotum fuisse constitutionum apostolicarum volumen mihi facile persuadent.

XLV. Atque hinc etiam Christianus Lupus constitutionum originem ad quartum seculum retulit, ut thesi 10. indicavimus. Et quanquam ejus argumenta, quæ in opusculis posthumis pag.749. & sequentibus protulit, nihil amplius probent, quam quod constitutiones apostolicæ ante quartum seculum compositæ non fuerint, verissimum tamen est isto seculo constitutiones apostolicas innotuisse. Quod autem Lupus constitutiones apostolicas, quæ quarto seculo natæ sunt, ab homine Ariano compositas putavit, in eo me consentientem non habet. Nam constitutiones, quas Epiphanius habuit, veneno isto infectæ non fuerunt. Postea tamen antiquæ constitutiones ab Ariano quodam homine corruptæ & interpolatæ sunt, quod quinto seculo jam peracto videtur contigisse. Et de his corruptis constitutionibus intelligendus est Pearsonius, cum in lectionibus ad acta apostolica p.46. statuit, consarcinatorem constitutionum apostolicarum post quinque secula suæ ætatis dogmata & ritus quasi ab ipsis Apostolis præscriptos tradidisse. Impostor enim ille non tam novum plane opus confecit, quam constitutiones apostolicas, quæ Epiphanii ævo extabant, pessime corrupit, & interpolavit, ut Usserius in prolegomenis ad epistolas Ignatii c. 6. non male judicat, ubi eundem maleferiatum hominem, qui sexto post Christum natum seculo Ignatii epistolas genuinas inter-

po-

polando, & novas fingendo pessime corrupit, etiam constitutiones Apostolorum nomen præferentes adulterasse putat. Quamobrem non est quod miremur, constitutiones apostolicas, quæ Epiphanii ævo toleratæ fuerant, ab Episcopis Constantinopoli in Trullo congregatis c. 2. reprobatas fuisse, cum multa hæretica & impia jam complecterentur. A quo tempore plerique Græcorum constitutiones istas repudiarunt, si Nicetam supra memoratum & Photium excipiamus, qui cod. 112. ad ea, quæ in constitutionibus apostolicis reprehendi solent, partim levi negotio, partim cum aliqua difficultate non tamen plane insuperabili respondere posse putat.

XLVI. Quid singulis octo constitutionum apostolicarum libris contineatur, breviter exponit Scultetus in medulla Patrum part. 1. libr. 2. c. 5. ubi simul, quid in istis libris desiderari possit, indicat, præter quem videri possunt e Reformatis Chamier panstratia cathol. T. I. libr. 5. c. 13. e nostris Chemnitius in examine concil. Trident. part. 4. pag. 778. & Varenius in rationario Scriptorum secul. 1. p. 97. ubi inter alia observat, nonnulla a Bellarmino inter errores constitutionū apostolicarum numerari, de quibus, an sint erronea, non immerito dubitari possit, cujusmodi sunt, quod constitutionum auctor Mariam Magdalenam a Maria sorore Lazari, & Jacobum fratrem Domini a duobus Jacobis Apostolis distinguit.

Cap. XIII.

De

Liturgiis pseudapostolicis.

I.

Variæ quoque sub Apostolorum nomine liturgiæ extant. Nec defuerunt, qui ipsi Christo & B. Virgini Mariæ liturgias suppositas censerent. Usurpatur enim apud Æthiopes liturgia, quæ Domini nostri, & alia, quæ Dominæ nostræ nomine insignitur. Verum Ludolphus histor. Æthiop. libr. 3. c. 4. n. 39. monuit, ex ipso textu satis evinci posse, quod liturgiæ istæ nomen suum ab autoribus non acceperint, idque de Mariæ liturgia ipsum titulum indicare. Dicitur enim *liturgia Dominæ nostræ Mariæ, quam composuit Abba Cyriacus &c.* Unde patet, quod liturgia Mariæ appelletur, non quasi a Maria composita fuerit, sed forte quod in festis ejus diebus legeretur. Quamobrem idem Ludolphus in commentar. ad histor. æthiopic. pag. 346. Wanslebium notat, qui sextam Æthiopum liturgiam Christo adscriptam asserit, quasi Abyssini eam Christo ut autori adscribere voluerint. Verum jam ad liturgias Apostolis adscriptas accedamus.

II. Li-

II. Liturgiæ autem illæ vel certi alicujus Apostoli nomen præ se ferunt, vel in genere omnibus Apostolis adscribuntur. Nam in codice novi testamenti æthiopico habetur oratio eucharistica seu liturgia, quæ Apostolorum inscribitur. Et Abraham Ecchellensis in notis ad catalogum librorum Ebed Jesu c. 29. *supra quinquaginta*, inquit, *numerantur apud orientis Christianas gentes liturgiæ partim communes partim singularum gentium propriæ. Ex his autem 31. nobis extant, nimirum S. Jacobi, duæ 12. Apostolorum nomine major scilicet ac minor. &c.* Conveniatne alterutra istarum cum æthiopica, viderint quibus istas liturgias inter se conferre licet.

III. Posset etiam pro Apostolorum liturgia haberi illa, quam tanquam ab Apostolis acceptam, nescio quis sub Clementis Romani larva latitans constitutionibus apostolicis inseruit. Verum illa Clementis liturgia non magis pro apostolica venditari potest, qvam qvæ in Dionysii Areopagitæ ecclesiastica hierarchia legitur, vel qvæ sub nomine Marci Evangelistæ extat, cum manifestum sit, illas liturgias nec ab Apostolis tradi, nec ab Apostolorum discipulis scribi potuisse.

IV. Inter liturgias, quæ certi alicujus Apostoli nomen gerunt, præcipua est *JACOBI*, quæ, ut editiones alias taceamus, in Tomo 2. bibliothecæ Patrum G. L. Parisiis 1624. procuratæ legitur, & græcus qui-

quidem textus ex editione Romana Demetrii Ducæ 1526 latinus autem ex Parisiensi Gul. Morelii A. 1560 expressus est. Et hanc liturgiam Johannis Maronis commentariis illustratam refert Abraham Ecchellensis in epistola ad Morinum, quæ est inter dissertationes epistolicas Variorum Londini sub titulo antiquitatum ecclesiæ orientalis editas numero 85. nec non in notis ad catalogum Ebed Jesu pag. 48, ubi ex illo Maronis commentario refert, Dominica Pentecostes Spiritum S. super Apostolos venisse, feria 2. eos chrisma, feria 3. altare consecrasse, & feria 4. Jacobum juxta liturgiam suam missam celebrasse, & interrogatum, unde illam accepisset, respondisse: *vivit Dominus, quod non addidi, neque diminui qvicquam ex eo quod audivi a Domino nostro.* Similia referre Dionysium Episcopum Amed in Syriacis ad eandem liturgiam commentariis, & Dionysio antiquiorem Jacobum Edessenum in epistola ad Thomam Presbyterum, idem Ecchellensis, penes quem sit fides, memorat.

V. Hanc Jacobi liturgiam in ecclesia Hierosolymitana aliisque ei subjectis usitatam fuisse ex vita Euthymii Abbatis per Cyrillum Scythopolitanum scripta colligunt Benedictini congregationis S. Mauri, qui inter analecta græca vitam illam græce Parisiis A. C. 1688. ediderunt. Nam in ista Euthymii vita ipse Euthymius dicit, Sacerdotem, qui eucharistiæ Sacramentum administraturus est, exclamare: *ἄνω σχῶμεν τὸν νοῦν καὶ τὴν καρδίαν*, quæ verba in sola Jacobi litur-

liturgia extare observant. Proclum, Nicolaum Methonensem, Isaacum Armeniæ Catholicum, Johannem Citrium, Marcum Ephesium, Gennadium Scholarium, Manuelem Mataxum, Gabrielem Severum, & alios, qui hujus liturgiæ meminerunt, Leo Allatius in epistola ad Nihusium, quæ inter σύμμικτα ejus part. 1. p. 176. legitur, eum in finem adducit, ut hanc liturgiam vere a Jacobo scriptam esse probet.

VI. Verum in alia fuisse sententia Richardum Simonium, ex iis patet, quæ in apologiam Gabrielis Severi p. 203. & seqv. annotavit; dudum quidem apud Græcos opinionem de Jacobi liturgia invaluisse dicit, multosque hoc argumentum attingentes totos a Procli autoritate pendere, qui Jacobum & Clementem primos liturgiæ autores fecit, verum istas liturgias primæ antiquitatis faciem præ se ferre certissimis monumentis demonstrari non posse; Theodorum Balsamonem in responso quodam ad Marcum Patriarcham Alexandrinum ex duplici capite Jacobi liturgiam admittere noluisse, primo quidem quod hanc ab illo conditam esse non existimaret, secundo, quod usus eam non approbaverit, etsi eam a Jacobo factam constaret; Latinos quibus aliquid eruditionis inest, sobrie admodum de Jacobi liturgia judicare, Bellarminum vix audere, ut Jacobum ejus autorem pronunciet, Perronium scribere, quod hæc liturgia Jacobi nomen præ se ferat, sive ita inscribatur, quod ejus contexendæ initium Jacobus fecerit, etsi postea multa ab

aliis addita fuerint, sive ita dicta fuerit, quod in ecclesia Hierosolymitana, quæ primum Sacerdotem Jacobum habuerat, perageretur. Pamelii, Lindani, Santelii, Genebrardi & aliorum testimonia, cum cordatiorum animos non expleant, silentio se præterire, neque Francisci Bivarii nugis de missa simul cum discipulorum Jacobi cineribus apud Hispanos superiori seculo inventa se immorari velle, cum nemo illa legens a risu sibi temperare possit, nec probari possit, missales libros jam inde ab Apostolorum ævo conditos fuisse. Similia de Apostolorum liturgiis profert in tractatu de collatione ceremoniarum judaicarum cum ritibus christianis, quem sub nomine Domini de Simonville edidit c. 17. ubi inter alia eorum sententiam, qui Jacobi similesque liturgias ab ipsis Apostolis scriptas contendunt, ex nuda inspectione & lectione istarum liturgiarum de errore suo convinci posse probat, unde etiam miratur, Leonem Allatium & Cardinalem Bonam Jacobi liturgiam vere a Jacobo scriptam credere potuisse.

VII. Supersedeo recensere multa novitatis indicia, quæ Jacobi liturgiam multis post apostolicam ætatem seculis compositam produnt, & illud tantum observo, si Jacobus tam sancte testatus est, se liturgiam suam a Christo accepisse, ideoque nihil addere vel demere voluisse, ut ex Marone Ecchellensis retulit, impossibile videri, quod Basilius M. & Chrysostomus Jacobi liturgiam abbrevia-

re

re ausi fuerint; quod tamen a Proclo in libello de traditione divinæ liturgiæ refertur, qui omnium primus liturgiæ a Jacobo compositæ meminit. Etsi enim id non absque ratione & consilio a Basilio & Chrysostomo factum affirmet, cum hoc modo socordiæ suorum auditorum consulere potuerint, qui Jacobi liturgiam ob nimiam prolixitatem fastidiebant, probabile tamen non est, Præsules illos sanctissimos, si Jacobi liturgiam ab Apostolo Jacobo scriptam credidissent, in gratiam oscitantis & ad alia properantis populi eam in compendium redigere voluisse.

VIII. Alia mutatæ a Basilio liturgiæ ratio affertur in ejus vita, quæ Amphilochio tribuitur. In ea enim narratur, Basilium a Deo postulasse tantum gratiæ & sapientiæ, ut suis ipsius verbis missam celebrare posset, & post sextiduum Dominum in visione cum Apostolis adstitisse, paneque & vino in altari propositis Basilium excitasse his verbis: *secundum petitionem tuam repleatur os tuum laude, ut tuis ipse verbis sacrum facias*; statimque Basilium tremebundum ad altare accessisse, & novam liturgiam protulisse. At si Basilius liturgiam Jacobi ab ipso Christo ipsi traditam cognovisset, verisimile non est, ipsum novæ conficiendæ liturgiæ desiderio flagrasse.

IX. Nicolaus le Nourry, ordinis Benedictini Presbyter & Monachus, qui nuper apparatum ad Bibliothecam maximam veterum Patrum vulgare cœpit, de Jacobi liturgia agens, collatis inter se eorum argumentis & rationibus, qui hanc Jacobi liturgiam a Jacobo compositam vel affirmant vel negant, tandem concludit, hanc liturgiam Apostolum Jacobum autorem non habere, tum quia nullus ante Proclum, qui quinto Seculo floruit, eam sub Jacobi nomine laudasse legitur, tum quia a liturgiis, quæ ab Apostolorum tempore ad Justini usque ætatem in usu fuerunt, admodum dissimilis deprehenditur.

X. *PETRI LITURGIAM* cum annotationibus & apologia pro eadem A. C. 1588. apud Plantinum edidit Lindanus. Græco-Latinam editionem A. 1595. Parisiis procuravit, & Cardinali Petro de Gondy Antistiti Parisiorum dedicavit Johannes à S. Andrea Canonicus Parisiensis. Quam editionem e Federici Morelii officina emissam bibliothecæ veterum Patrum tomo 2. Græco-Latino Parisienses Typographi inseruerunt. Verum inanem operam lusit Lindanus, dum hanc liturgiam Petro vindicare conatus est, ut prolixe probat Dorschæus in mysar. miss. p. 257. ubi singula apologiæ à Lindano scriptæ capita recenset, & quàm infirma sint ejus argumenta ostendit. Sed audiamus Cardinalis Bonæ judicium, quod in rebus ejus liturgicis libr. I. c. 8. his verbis legitur: *quicunq;*

Lin-

Lindanum accurate perlegerit, mecum fatebitur, nihil aliud ex eo concludi, nisi quod Petrus seu voce seu scripto ecclesiæ primum Antiochenæ deinde Romanæ liturgiam aliquam tradiderit, quod vero ista, quam Sirletum in Apulia reperisse ait, ea ipsa sit, nec ille probat, nec ullus credet, qui norit verum a falso & proprium ab alieno discernere. Confirmat suam sententiam ex eo, quod Romana ecclesia, quæ Petri lipsana & epistolas usque in præsentem diem solicite conservavit, hanc liturgiam neglectura non fuisset, si Petrum autorem habuisset. Atqui per mille & quingentos & amplius annos eodem Bona judice nullum hujus liturgiæ apud orthodoxos Scriptores vestigium extitit, donec ex Apulia emersit tam pulchre descripta, ut ipso Lindano fatente non pauci spectatores eam impressam judicaverint. *At ex hoc liquet*, pergit Bona, *istud exemplar a recentiori manu scriptum fuisse, & fortasse idem qui scripsit composuit, cum præsertim nulla fiat mentio codicis, ex quo descriptum sit.*

XI. Ulterius notat Cardinalis detegi hujus liturgiæ imposturam ex eo, quod canon Romanus, prout hodie in usu est, illi insertus deprehendatur, & quod in ea nonnulla sint ex libro sacramentorum Gregorii, nec non ex liturgiis Jacobi, Basilii & Chrysostomi deprompta. Unde Bona suspicatur hanc liturgiam præterito seculo fuisse scriptam ab aliquo Sacerdote Italo-Græco, vel exercitii gratia, vel ut græcam liturgiam, de cujus prolixitate sæpe Græci Romæ

 con-

conquesti sunt, ad breviorem formam redigeret. Nomen autem Petri huic liturgiæ præfixum ab eo putat, vel quia canon Romanæ ecclesiæ, cujus fundator Petrus dicitur, potissimam ejus partem constituit, vel ut huic liturgiæ tanti nominis dignitate aliquid autoritatis conciliaretur.

XII. Bonæ addimus Nicolaum le Nourry paulo ante laudatum qui in apparatu suo pag. 65. hanc liturgiam vel sola lectione corruere & destrui observat, cum ejus initium ex Basilii liturgia, præfatio, canon integer, & oratio, quæ post orationem dominicam legitur, ex missa latina, cæteraque quæ sequuntur rursus ex Basilii liturgia deprompta fuerint, & in plurimis orationibus lector ad ipsam Basilii liturgiam remittatur. Unde concludit hanc liturgiam esse opus sive clerici græci, sive Basiliani monachi in Italia degentis, qui hanc liturgiam ex græca Basilii liturgia & canone Romano compilaverit.

XIII. *DE MATTHÆI LITURGIA* Cardinalis Bona, quin inter dubiæ fidei scripta recenseri debeat, minime dubitat. Ignorari ait unde prodierit, & altissimum esse de ea ubique silentium. Atque hinc in bibliotheca Patrum latina Lugduni edita hæc missa tomo 27. omisso Matthæi nomine inter ea monumenta haud immerito refertur, quorum autores incerti sunt & ætas ignoratur. Inscri-

scribitur autem: *missa qua Æthiopes communiter utuntur, & quæ etiam canon universalis appellatur*. Plura contra hanc Matthæi liturgiam non minus quam contra missam Petri & Jacobi affert Natalis Alexander secul. I. part. I. c. II. art. I. & ex nostratibus Gerhardus T. I. conf. cathol. pag 418. & sequ.

XIV. Dubio procul non melioris fidei *LITURGIA* est, quam sub nomine *JOHANNIS* Evangelistæ cum pluribus aliis missis Romæ Syriace impressam refert Simonius in supplemento ad libellum Leonis Mutinensis seu comparatione ceremoniarum judaicarum cum disciplina ecclesiæ, ubi etiam duas Petri liturgias in illo missali excusas memorat, additque Jacobitas & Maronitas persuasum sibi habere, quod illæ liturgiæ ab illis, quorum nomina præ se ferunt, revera scriptæ sint, verum eo ipso evidentissimum ignorantiæ suæ specimen præbere.

CAP.

CAP. XIV.

De

Aliis pſeudepigraphis apoſtolicis.

I.

VAria recenſuimus hactenus pſeudepigrapha apoſtolica, qualia etiam Priſcillianos uſurpaſſe teſtatur Leo M. in epiſtola ad Turribium Aſturicenſem c. 15. Cum enim ſimplices decipere non poſſent, niſi venenata pocula melle quodam prælinirent, peſſimos quosdam codices canonicorum titulo ornarunt. Unde Leo curandum & ſacerdotali diligentia providendum monet, ut falſati codices & a ſincera veritate diſcordes in nullo uſu lectionis habeantur, apocryphæ autem ſcripturæ, quæ ſub nominibus Apoſtolorum multarum falſitatum ſeminarium habent, non ſolum interdicantur, ſed etiam plane auferantur, atque ignibus concrementur. Etſi enim in illis ſcriptis nonnulla legi agnoſcat, quæ ſpeciem habere videantur pietatis, nunquam tamen venenis vacua eſſe, & per fabularum illecebras hoc

hoc latenter operari censet, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscunque erroris involvant. Quamobrem Episcopos pro hæreticis habendos pronuntiat, quotquot vel apocrypha per domos haberi non prohibuerint, vel sub canonicorum nomine in ecclesia legi permiserint codices adulterina Priscilliani emendatione vitiatos.

II. Atque hinc etiam in concilio Bracarensi II. canone 17. anathema illis dicitur, qui scripturas, quas Priscillianus secundum suum errorem depravavit, vel tractatus Dictinnii, vel quæcunque hæretici sub nomine Patriarcharum, Prophetarum vel Apostolorum suo errori consona confinxerunt, legerit, aut impia eorum figmenta secutus fuerit, aut defenderit. Dictinnium autem non alium intelligunt, quam cujus scripta etiam Leo M. in ea ipsa ad Turribium quem modo allegavimus epistola legi prohibet, & de quo plura videri poterunt apud Quesnelium in notis ad Leonem M. p. 830. & seqv. & Benedictinos congregationis S. Mauri in nova editione operum Augustini tomo 6. ubi inter alia Augustini tractatum contra mendacium non infeliciter emendant. Cum enim ibi c. 3. vulgo legatur; *Ecce constituamus ante oculos callidum exploratorem, accedere ad eum, quem Priscillianistam esse præsenserit, & dicti Episcopi vel*

cogniti vitam vel incogniti famam laudare mendaciter &c. pro verbis: *dicti Episcopi* haud male restituunt: *Dictinnii Episcopi.* Et paulo post, ubi legitur: *tum deinde dictum librum, cujus nomen est libra* &c. legendum judicant: *tum deinde Dictinnii librum, cujus nomen est libra* &c. Conf. Tom. VI. Aug. p. 451.

III. Porro ad pseudepigrapha apostolica quodammodo referri quoque posse videntur *fragmenta Apostolorum*, quæ cum Pauli ad Laodicenses epistola latine & germanice Hamburgi edidit Stephanus Prætorius, qui se ea vulgasse dicit non propter porcos & canes, quorum proprium est violas & margaritas cœlestes fastidire & allatrare, sed propter eos, quibus nihil dulcius est opiparis illis de cœna dominica fragmentis, cum quicquid sanctissimi viri locuti sunt, Christi suavissimo spiritu locuti fuerint. Et ultimum quidem ex his fragmentis ex Cratone Apostolorum discipulo depromptum dicitur, alia quædam ex gestis Petri desumpta referuntur, quæ autem primum locum tenent unde hausta fuerint non additur. Verum fragmenta ista non tam ad scripta, quam ad dicta Apostolis attributa pertinent, quamobrem istis immorari nolumus. Magis forte huc spectant *præcepta Petri & Pauli*, quæ in bibliotheca Magni Florentiæ Ducis apud Laurentium in pluteo 10. se vidisse refert Ludovicus Jaco-

Jacobus a S. Carolo in bibliothecia pontificia libr. 1. p. 177.

IV. Et Petro quidem præter hæc præcepta, nec non διδασκαλίαν, prædicationem, evangelium, acta, epiſtolas ad Clementem & Jacobum, apocalypſin & liturgiam adſcriptus etiam fuit liber, qui *Judicium Petri* appellatus eſt, ut Hieronymus in catalogo Scriptor. eccleſ. c. 1. teſtatur. Et hoc ipſo nomine Hermæ quoque librum inſignitum fuiſſe non Tertullianus quidem in libro de pudicitia aſſerit, ut nonnemo memoria lapſus in ſua patrologia affirmavit; attamen Rufinum in expoſitione Symboli ejus rei teſtem appellare poſſumus.

V. Paulus Apoſtolus ut alia multa ſic & hoc cum Petro commune habuit, quod varia ſub ejus nomine ſcripta edita fuerint. Nam præter ea quæ in præcedentibus capitibus jam memorata ſunt, ſcripta etiam eſt ſub *Pauli* nomine *narratio* fabuloſa *de exorciſmo viperarum* a S. Michaele Archangelo per ſomnum ipſi revelato, cum poſt naufragium in littore Melitenſi vipera ex ſarmentis prorumpens in manum ejus inſiluiſſet. Quæ narratio manuſcripta extat in bibliotheca Vindobonenſi, unde & titulum & exordium tranſcripſit Lambecius tomo 5. bibl. Vindob. p. 103.

VI. Jungendus his tractatibus *liber de nativitate Mariæ*, qui inter Hieronymi opera edi solet. Præmissa est sub nomine Chromatii & Heliodori epistola ad Hieronymum, in qua se audivisse referunt, quod Hieronymus volumen *Matthæi* Evangelistæ manu scriptum invenerit, rogantes ut latine illud reddat. His respondet Hieronymus, vel qui sub ejus nomine latet, arduum sibi munus injungi, cum Matthæus hoc Evangelium de infantia Mariæ & Salvatoris secretum esse voluerit, ideoque hebraicis literis obsignaverit. Queritur deinde, quendam Manichæi discipulum nomine Seleucum hunc libellum edidisse, & ad detegendam hæreseos fallaciam se Apostoli atque Evangelistæ scripta translaturum indicat. Eadem de Seleuci fraudibus querela sub libelli initium denuo repetitur, dicitque autor, se verbum ex verbo transferre curaturum. Mox tamen se non verba sed sensum scriptoris sequi ait, & nunc eadem semita incedere, nunc quibusdam diverticulis ad eandem viam recurrere, & non alia dicere, quam quæ vel ibi scripta sunt, vel consequenter scribi potuissent, quibus præmissis ipsa de Mariæ infantia historia incipit.

VII. Mentionem hujus libri facit Fulbertus Carnotensis in sermone de ortu almæ Virginis Mariæ inviolatæ, quem edidit Combefisius Tom. 8. bibliothecæ concionatoriæ p. 118. Ita autem ejus mentionem facit, ut hanc relationem quippe Scriptu-

pturæ canonicæ non insertam ab ecclesia non plane recipi, at nec plane rejici dicat. Addit nonnulla ibi reperiri, quæ etsi impossibilia videntur volentibus tamen & amantibus legere fidelium industria non denegaverit. Defendi autem hunc librum a Jesuita Hispano Christophoro a Castro, quem Erasmus, Canus, Sixtus Senensis, Baronius aliique reprobaverant, notat Hospinianus in addendis ad tractatum de festis Christianis, meritoque miratur, audere aliquem in hac literarum luce scriptum hoc tueri. Quam causam prolixius agit allegatus ab Hospiniano Casaubonus in exercit. I. ad Baronii apparatum p. 74. & seqv.

VIII. Ejusdem furfuris est *liber de infantia Christi*, qui juxta Lambecium Tom. 7. p. 20. sub nomine *Thomæ* Israelitæ in bibliotheca Vindobonensi græce manuscriptus extat. Titulum & initium illius tractatus Lambecius ibidem exhibet, & simul observat, librum de infantia Christi, sive Thomæ sive Matthæo adscribatur, pseudepigraphum & a Gelasio inter apocrypha jamdudum rejectum esse.

IX. Idem Lambecius T. 4. p. 131. in bibliotheca Vindobonensi manuscriptum extare indicat librum *de obitu Mariæ* sub Jacobi nomine scriptum, & observat, quod etsi epigraphe hunc libellum Jacobo minori attribuere videatur, in ipsa tamen

narratione Johannes Evangelista ita loquens introducatur, ut ipse potius quam Jacobus autor hujus libelli simuletur. Et sane similem libellum sub *Johannis* nomine editum fuisse testatur Epiphanius Monachus & Presbyter in opusculo de vita Deiparæ apud Allatium de Simeonibus p. 106.

X. Inter libros, quos superiori seculo in Hispania inventos & A. C. 1682. Romanæ sedis judicio damnatos supra de pseudepigraphis Mariæ agentes diximus, fuerunt nonnulla Jacobo adscripta, ut *oratio & defensio Jacobi filii Samechi Zebedæi Apostoli ad omnes adversitates*, item *liber beatissimi Apostoli Jacobi filii Samechi Zebedæi de prædicatione Apostolorum*. Verum de his cæterisque scriptis tum inventis acta Sanctorum Maji T. 7. pag. 285. videantur, ubi scripta illa pro merito exploduntur. Et plumbeus sane fuerit, ut Simonius in notis ad Gabrielem Philadelphiensem pag. 208. judicat, qui libros illos in plumbeis tabulis exaratos genuinos esse credat.

XI. Addimus denique ad pseudepigrapha apostolica *traditiones Matthiæ*, ex quibus nonnulla excerpsit Clemens Alexandrinus libr. 2. & 7. Stromatum.

Con-

Concluſio Diſſertationis de pſeudepigraphis Chriſti, Mariæ & Apoſtolorum.

TAnta ſcriptorum copia Chriſto, ejusque Matri Deiparæ Virgini & imprimis Apoſtolis ſuppoſita fuit. Quid igitur mirum, quod etiam Apoſtolorum comitibus atque diſcipulis multa monumenta attributa deprehendimus, quæ illos autores minime habuerunt. Sane Gulielmus Wakæus, qui ante biennium genuina Virorum Apoſtolicorum monumenta in Anglicum ſermonem transtulit; præter Clementis epiſtolas ad Corinthios, Polycarpi epiſtolam ad Philippenſes, ſeptem Ignatii epiſtolas & Hermæ Paſtorem, nec non acta martyrii Ignatii & Polycarpi cætera omnia pro pſeudepigraphis agnovit. Quin etiam ſcripta illa, quæ Wakæus pro genuinis apoſtolicæ antiquitatis monumentis habuit, & in prolegomenis Anglicanæ ſuæ verſionis ſpuriis non accenſenda eſſe multis argumentis contendit, a nonllis in dubium vocantur, ne prima quidem Clementis ad Corinthios epiſtola excepta, etſi pro ea tot argumenta militent, ut niſi per eorum pondera extra omnem νοθείας ſuſpicionem ponatur, nullum aliud ſcriptum poſthac ab adulterinis diſcerni poſſe doctiſſimus Fechtius in theſibus ſuis Patriſticis nuper evulgatis judicaverit. Si autem ne illa quidem ſcripta, quæ a Wakæo in Anglicum ſermonem converſa diximus, ab omnibus extra dubitationis aleam ponuntur, quid dicemus de reliquis Ignatii & Polycarpi ſcriptis, de Clementis Romani recognitionibus, epiſtolis decretalibus, aliisque nomen ejus mentientibus ſcriptis? Quid de Dionyſii Areopagitæ operibus? Quid de Marcelli, qui Petri diſcipulus fuiſſe perhibetur, epiſtola ad Nereum & Achilleum, ejusdemque tractatu de conflictu Simonis Petri & Simonis Magi? Quid de vita Johannis per Prochorum ſcriptâ, de paſſione Timothei per Polycratem delineata, de duobus Lini libris paſſionem Petri & Pauli continentibus, de duabus Martialis Lemovicenſis epi-

ſtolis

stolis ejusdemque vita per Aurelianum scripta, de Nicodemi evangelio, de Abdiæ, qui ab Apostolis primus Babyloniæ Episcopus constitutus dicitur; historia certaminis apostolici, de passione Andreæ per Achajæ Presbyteros conscripta, de liturgia Marci, de Evodii epistola luminis titulo insignita, ex qua nonnulla Nicephorus protulit, de Jasonis in actis apostolicis memorati altercatione cum Papisco ab Origene allegata, cujus præfatio inter Cypriani opera legitur, de actis Titi per Zenam Pauli comitem compositis, aliisque hujusmodi monumentis? Quæ utique pseudepigrapha esse res ipsa loquitur. Neque dubium est, si Josephi Arimathæi ad Britannos epistolæ, quarum in suis Britannicorum Scriptorum centuriis Baleus mentionem fecit, Evangelium Barnabæ, quod censura sua Gelasius perstrinxit, Stephani apocalypsis itidem a Gelasio damnata, passio Barnabæ, quam a Marco Evangelista literis consignatam Sigebertus Gemblacensis in catalogo Sriptorum ecclesiasticorum tradidit, aliaque ejus farinæ scripta adhuc extarent, in illis non minus manifesta suppositionis indicia deprehensum iri. Verum de monumentis, quæ a Viris apostolicis scripta perhibentur, alibi me dicturum sub initium hujus dissertationis dixi, nec illis jam ulterius immorari lubet.

Disser-

DISSERTATIO II.

exhibens

HISTORIAM SCHISMATIS DONATISTARUM.

I.

ANno æræ Christianæ 303. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coss. d. 7. Cal. Mart. seu d. 23. Februarii, qvi ob Festum Terminaliorum terminandæ religionis Christianæ omen præ se ferre videbatur, gravissima adversus Christianos persecutio agitari cœpit, ut refert Lactantius in tract. de mortibus persecut. c. 12. qvæ tempestas dum longe lateqve grassaretur, etiam per totam Africam vagata est, ut testatur Optatus Milevit. l. 1. Hæc autem persecutio in Africa eo ipso, qvem modo dixi, anno, qvi vulgaris æræ fuit 303. cœpit, qvod acta purgationis Felicis Aptungitani testantur, & seqventi anno 304. ibidem continuata est, qvod colligi potest ex gestis Martyrum, qvæ Diocletiano IX. & Maximiano VIII. Coss. prid. Id. Febr. facta sunt, & apud Augustinum in brevic. collat. Carthag. d. 3. c. 17. memorantur.

Persecutio Diocl. & Maxim.

In Africa grassata

II. Cum autem in hac persecutione non solum hominibus religionem Christianam profitentibus, sed sacris etiam codicibus bellum indiceretur, qvi flammis abolendi ab Imperatorum ministris undiqve conqvirebantur, ut Eusebius libro 8. hist. eccl. c. 2. Arnobius l. 4. adv. gentes, aliiqve literis prodiderunt, non pauci ex Christianorum numero & in his etiam qvidam ex Episcoporum ordine metu tormentorum & mortis sacra volumina tradiderunt, qvos damno æternæ vitæ brevissimas incentæ lucis usuras comparasse Optatus Milevit. judicat. Atqve hi a traditione sacrorum codicum Traditorum nomine vulgo infamari cœperunt, qvod Augustinus qvadraginta & qvod

Conqvisiti sacri Codices flammis abolendi.

Traditores.

excurrit annis post Cypriani passionem contigisse scribit. At nec defuerunt, qvi sangvinem suum profundere qvam hostibus sacros codices tradere maluerunt, de qvibus acta Saturnini & sociorum item acta Felicis Tubyzacensis apud Baluzium tom. 2. miscellan. p. 56. & seqv. videri possunt.

Mensurii epistola ad Secundum

III. Erat illo tempore Carthaginensis ecclesiæ Episcopus Mensurius, qvi pia qvadam fraude usus sacris codicibus de basilica ablatis & clam servatis reproba qvædam hæreticorum scripta in loco sacro reposuit, qvibus inventis & ablatis persecutores acqvieverunt, ut ipse retulit in literis ad Secundum Tigistanum Numidiæ Primatem apud Augustinum in brevic. collat. Carthag. d. 3. c. 13. in qvibus etiam eorum temeritatem reprehendit, qvi se sponte persecutoribus obtulerant, & se divina volumina nullatenus traditituros professi fuerant. Cui respondens Secundus multos in Numidia gravissimis suppliciis excruciatos & occisos nulla vi ad sacrorum codicum traditionem impelli potuisse narrat, qvos cum Hierichuntina illa muliere comparat, qvæ duos exploratores in domo sua delitescentes prodere noluit. Non solum autem magnam aliorum constantiam prædicat, sed etiam de sua ipsius fortitudine gloriatur, & se ne ecbola qvidem nedum sacros codices persecutoribus tradidisse jactat, etsi eum traditionis suspicione minime caruisse acta Cirtensis concilii, qvæ postea recensebimus, testentur.

Secundi Tigistani responsio.

IV. Et hoc ipso tempore Cæcilianus diaconatu in ecclesia Carthaginensi sub Mensurio functus est, qvem in actis Saturnini Presbyteri, Felicis, Dativi, Ampelii & sociorum pessime audire non diffiteor. Refertur enim in istis actis Mensurium Episcopum Carthaginensem recenti scripturarum traditione pollutum sceleris sui amentiam pejo-

Calumnia in Cæcilianum Diaconum

pejori ferocia publicare cœpiſſe, & cum combuſtorum librorum veniam a martyribus implorare debuiſſet, delicta ſua majoribus flagitiis cumulaſſe, & adeo in martyres ſæviiſſe, ut qvovis tyranno ſævior & carnifice crudelior idoneum ſceleris ſui miniſtrum Cæcilianum Diaconum elegerit, qvi lora & flagra cum armatis ante carceris fores poſuerit, ut ab ingreſſu atqve aditu cunctos, qvi victum potumqve conſtitutis in carcere martyribus offerrent, gravi affectos injuria propulſaret. Mox additur, Cæcilianum eos, qvi ad alendos martyres veniebant verberibus excepiſſe, pocula ante carceris limen fregiſſe, cibos canibus lacerandos projeciſſe, ideoqve patres & matres martyrum ante carceris fores jacuiſſe, & ab extremo conſpectu liberorum excuſſos graves nocte dieqve vigilias ad oſtium carceris egiſſe, fletumqve horribilem & acerbam omnium qvi aderant lamentationem auditam fuiſſe, qvod Chriſtiani a martyrum complexu & pietatis officio divellerentur.

Carthaginenſem ejusqve Epiſcopum Menſurium.

V. Verum hæc narratio totusqve qvi hanc de Cæciliano narrationem excipit diſcurſus Donatiſtam Autorem ſapiunt. Unde & Henſchenius cum in actis ſanct. tom. 2. Febr. p. 513. acta Saturnini & ſociorum ederet, ultima iſta capita Donatiſtarum genium ſpirantia omiſit, poſteriorem Surii editionem imitatus. Verum defectum illum ſupplevit Albaſpinæus, qvi ſimul cum Optato Milevit. inter alia qvædam vetera monumenta ultimam iſtorum actorum Saturnini & ſociorum partem ſub hoc titulo vulgavit: *fragmentum ex hiſtoria paſſionis SS. Dativi, Saturnini, Felicis, Ampelii & aliorum Martyrum Africanorum ſub Anulino Proconſule a Donatiſta qvodam ſcriptum, ex qvo intelligitur, qvam impudentes ejus ſectæ calumniæ adverſus Menſurium & Cæcilianum fuerint.*

Acta Saturnini & ſociorum à Donatiſtis compoſita.

Baluzii de actis illis judicium.

Postea etiam Steph. Baluzius tomo 2. miscellaneorum p. 56. integra ista acta Saturnini & Sociorum publicavit, & in notis p. 465. observavit, non esse qvidem hæc ipsamet acta proconsularia a notariis excepta, sed tamen ab antiqvo Scriptore, qvi ab ævo Diocletiani non admodum remotus fuit, eoqve non indocto concinnata. Vetus autem illa calumnia de Cæciliani in martyres crudelitate etiam postea in collarione Carthaginensi repetita fuit. Donatistæ enim Cæcilianum ob hanc etiam causam in Carthaginensi concilio damnatum asserebant, qvod, cum Diaconus fuisset, victum martyribus in custodia constitutis afferri prohibuisset, ut Augustinus in brevic. d. 3. c. 14. testatur.

Cæciliani Archidiaconatus.

VI. Non solum autem Diaconus ecclesiæ Carthaginensis Cæcilianus fuit, sed etiam primus inter Diaconos evasit, unde ab Optato Milevitano non solum Diaconus sed etiam Archidiaconus appellatur, de qva dignitate apud Morinum part. 3. de sacris ordinat. exercit. 16. c. 3. Espencæum libr. 1. digress. c. 6. Ziegler. de Diac. c. 17. & alios plura videri poterunt. Cæterum cum Cæcilianus adhuc Diaconi munere fungeretur, Lucillæ fœminæ opulentæ & ad factiones pronæ indignationem adversus se concitavit, cum eam ob ritum aliqvem superstitiosum objurgasset, siqvidem illa, ut Optatus libr. 1. refert, ante eucharistiæ usum ossa alicujus martyris, si modo martyris, deosculari solebat. Qvod Lucillæ factum Græci qvidam Scriptores Donatistis tribuerunt. Nam Damascenus de hæresibus c. 95. Harmenopulus de sectis c. 17. Zonaras & Balsamon in scholiis ad can. 61. concilii Carthaginensis & Matthæus Blastares in Syntagmate alphabetico c. 2. Donatistarum hæresin in eo constituunt, qvod os qvoddam manu tenentes osculati id prius fuerint, qvam sacræ oblationis participes

Lucillæ superstitio a Cæciliano reprehensa.

Damasceni & aliorum error.

pes fierent. Verum assertio illa græcos istos scriptores schismatis Donatistarum minus peritos fuisse abunde comprobat, qvamobrem missis istis Scriptoribus ad Cæcilianum redeamus.

Nova persecutio in Africa.

VII. Is ergo officio suo intentus, ne disciplina ecclesiastica aliqvid detrimenti pateretur, de Lucilla apud Episcopum deferenda cogitabat, dum interim impotens sui fœmina ejus objurgatione graviter offensa vindictam meditaretur. Verum nova persecutonis tempestas in Carthaginensem ecclesiam subito irrumpens neutrius consilia tum temporis perfici permisit. In qva persecutione Mensurius Episcopus Carthaginensis ad Imperatoris comitatum accersitus est, qvod Felicem Diaconum, qvi propter famosam de Tyranno Imperatore tunc factam epistolam delatus fuerat, in domo sua occultasse diceretur. Anteqvam autem Carthagine Mensurius abiret, pretiosa ecclesiæ ornamenta Seniorum qvorundam fidei commendavit, & schedulam, qva & Seniorum nomina, & thesauros illis relictos consignaverat, fideli cuidam aniculæ ea conditione dedit, ut eam, si ipse non rediret, successori suo traderet. Et Mensurius qvidem causa dicta Carthaginem reverti jussus est, sed morte præventus eo pervenire non potuit, qvæ omnia Optatus Milevitanus libro 1. literis tradidit.

Mors Mensurii Episcopi Carthag.

Franc. Balduini de illa persecutione sententia.

VIII. Et Franciscus qvidem Balduinus per Imperatorem tyrannum, ad qvem Mensurius accitus fuit, Maxentium intelligit. Neqve negari potest, tunc cum Maxentius misso in Africâ Præfecto Volusiano & duce Zena Alexandrum prælio vicisset & superasset, multos in Africa, qvi Alexandri partibus favisse deprehendebantur, occisos aut bonis spoliatos fuisse, ut Zosimus l.2.

memoriæ prodidit. Verum cum mala illa, qvæ post Maxentii victoriam Afris illata sunt, Christianis pariter & gentilibus communia fuerint, Optatus autem ejusmodi tempestatem describat, qvæ Christianis libertatem ademit, & præterea Optatus tyrannum illum, sub cujus imperio persecutionis tempestas Africam invasit, a Maxentio, qvi indulgentiam in Africam misit, distingvere videatur, hinc Antonius Pagi in critica ad annales Baronii sec. 4. p. 21. existimat, sub Alexandro Christianos in Africa persecutionem passos esse, a qva per Maxentii indulgentiam liberati sunt.

Probabilior Antonii Pagi conjectura.

Electio novi Episcopi Carthaginensis.

IX. Missa igitur per Maxentium indulgentia & libertate reddita de electione novi Episcopi Carthaginensis in locum defuncti Mensurii agi cœpit, qvam dignitatem cum Botrus & Celesius, qvi in Germanensi Optati codice Celestius, & ab Albaspinæo observat. 1. Typographi, ut puto, vitio Silesius dicitur, ambirent, operam dabant, ut vicini tantum Antistites non vocatis Numidiæ Episcopis ad eligendum novum Episcopum convenirent. Verum consilium illud successu caruit. Nam totius populi suffragio Cæcilianus noster electus & a Felice Aptungitano ordinatus est. Qvo circa Botrus & Celesius invidiæ stimulis acti cum Lucilla adversus Cæcilianum conspirarunt, crevitqve hæc factio accessu Seniorum, qvibus auream & argenteam ecclesiæ suæ supellectilem Mensurius crediderat. Cum enim Cæcilianus jam Episcopus, re per aniculam cognita depositum reposceret, opimam hanc prædam suis faucibus eripi dolebant. His igitur odii adversus Cæcilianum causis concurrentibus schisma Donatistarum natum est, qvod, juxta Optatum hæc omnia libro primo

Electus Cæcilianus.

Odii adversus Cæcilianum causæ variæ.

Hinc natum schisma Donatistarum.

mo narrantem, confusæ mulieris iracundia peperit, ambitus nutrivit, avaritia roboravit: Contigerunt autem ista, ut idem Optatus testatur, qvo tempore Maxentius Christianis in Africa libertatem religionis indulsit, hoc est anno vel 311. qvo Maxentius Africæ imperium obtinuit, qvæ Valesii in diss. de schism. Donatist. c. 1. est sententia, vel anno seqventi 312. qvo Romæ de Carthagine triumphavit. Solebant enim Imperatores illis annis, qvibus triumphos agebant, reis veniam indulgere & libertatem restituere, ut probat Antonius Pagi in dissertatione hypatica & in critica ad ann. Baronii ad annum Christi 306. n. 7.

Qvo anno natum sit illud Schisma inqviritur.

X. Prædicto igitur anno 312. convenerunt in concilio Carthaginensi, cui præfuit Secundus Tigistanus Numidiæ Primas, Episcopi ferme 70. qvi numerus ab Augustino in brevic. collat. Carthag. exprimitur. Venientes autem Carthaginem illi Episcopi apud Lucillam, Botrum, Celesium & reliqvos Cæciliani adversarios, qvorum literis e Numidia convocati fuerant, diversati sunt, ut Optatus Milevitanus l. 1. testatur. Cumqve hi Numidiæ Episcopi Cæciliano jam infensi essent, qvia ad injuriam suam & provinciæ suæ contemtum spectare videbatur, qvod se absentibus omniumqve rerum ignaris fuisset ejus electio suscepta, haud multo labore opus erat, ut æstuantes eorum animi vehementius adversus Cæcilianum inflammarentur, imprimis postqvam Lucillæ folles accesserunt. Nummos intellige Lucillæ, siqvidem folles monetæ genus fuisse constat, de qvo Cangius in dissertat. de inferioris ævi numismatibus thes. 90. 91. & alii conferantur. Et qvadringentos qvidem folles corrumpendis Episcopis

Concilium Schismaticorum Carthaginense.

pis Lucilla impendit, ut in gestis apud Zenophilum Virum consularem prodidit Nundinarius Diaconus, qvem has Lucillæ nundinas patefecisse scribit Augustinus de unitate ecclesiæ c. 16.

Qvibus prætextibus Cæcilianus in hoc concilio damnatus fuerit, exponitur.

XI. Ne tamen Cæcilianus præter meritum damnatus videretur, qvæsiti varii prætextus. Nam primum ordinationem ejus a traditore factam causati sunt. Qvod cum Cæciliano renunciatum fuisset, respondisse fertur: *Si a traditoribus ordinatus sum, veniant ipsi & me ordinent.* Ex qvibus Cæciliani verbis cum Donatistæ post integrum fere seculum in collatione Carthaginensi nescio qvid exsculpere conarentur, qvid a Catholicis Augustini ore responsum fuerit, in ejusdem breviculo legi potest. Ideo autem Secundus Tigistanus ejusqve collegæ in concilio Carthaginensi Felicem Aptungitanum, qvi Cæcilianum ordinaverat, traditionis insimularunt, ut innocentibus per calumniam infamatis ipsi, qvi veri Traditores fuerant, sub mendacissimi rumoris nebula latitare possent, ut ab Optato Milevit. l. 1. & Augustino in epistola 162. observatum est. Objectum præterea Cæciliano fuit, qvod Diaconatus sui tempore crudelis in martyres fuisset, qvam calumniam jam supra attigimus, & qvod Episcoporum Numidiæ adventum non expectaverit, cum ipsorum judicio Primas a Primate ordinari debuisset, qvod tamen necessarium haud fuisse Augustinus in collatione Carthaginensi comprobavit. Tandem etiam ob contumaciam Cæcilianus damnatus est, qvod ad concilium Episcoporum 70. venire detrectasset. Verum Cæcilianus causas ejus rei prægnantes habuit, Populus qvippe Cæcilianum retinuit, ne se latronibus committeret, e qvorum numero Pur-

Purpurius Limatensis Cæciliano, si ad concilium veniret, non manus imponendas, sed caput qvassandum censuit, ut Optatus autor est. Qvamobrem Cæcilianus à populo monitus, & concilium hoc ab adversariis corruptum sentiens causæ qvoqve suæ bonitati confisus & apud alias ecclesias sicubi opus foret rationem reddere paratus, ad injustos judices venire noluit, ut Augustinus in 162. epistola notavit.

Purpurii Limatensis insolentia.

XII. Dicta ergo est adversus Cæcilianum absentem ejusqve ordinatores & collegas sententia a Secundo primum & postea a cæteris. Cujusmodi autem ista suffragia fuerint, colligere licet ex sententia Martiani, qva Cæciliano in schismate a Traditoribus ordinato non communicandum, sed eum instar palmitis infructuosi ab ecclesia projiciendum censuit, ut legitur in tract. contra Fulgentium Donatistam c. 26. Damnato autem Cæciliano electus est ecclesiæ Carthaginensis Episcopus Majorinus Lucillæ domesticus, qvi Lectoris munere hactenus functus fuerat, ut ex Optato liqvet, qvi hac Majorini electione altare contra altare erectum scribit, qvod etiam asseritur ab Augustino epistol. 162. & 171. nec non l. 4. contra Cresconium c. 7. ubi ait, qvod contra Cæcilianum manentem & populo suo præsidentem erecto altari contra altare per judicium horrendæ temeritatis festinatione acceleratum Majorini electio facta fuerit. Unde autem phrasis illa erecti altaris contra altare originem suam traxerit, disqvirit doctissimus Episcopus Oxoniensis in notis ad epistolas Cypriani p. 180.

Electus à Schismaticis Majorinus.

Altare contra altare erectum.

XIII. Eqvidem ante Majorini electionem a Donatistarum majoribus, ne schisma fieret, interventorem qvendam populo suæ communionis apud Carthagi-

Ante Majorini electionem interventorem a Schismaticis

constitutum & a catholicis occisum probari non potuit.

nem constitutum & hunc a catholicis in suo conventiculo occisum Fortunius Augustino exprobrabat. Verum Augustinus se id antea nunqvam audivisse & forte falsum esse respondebat ep. 163. Majorino vero electo, anteqvam ecclesias suas repeterent, Numidiæ Episcopi literas falsis rumoribus plenas præmiserunt, ut qvæ in Carthaginensi concilio decreta fuerant ab omnibus rata haberentur, qvas literas livore dictante conscriptas asserit Optatus l. 1. p. 22.

Num sententia concilii Carthaginensis in Cirtensi confirmata fuerit, inqviritur.

Leydeckeri sententia refutatur.

XIV. Hoc autem Carthaginensis Concilii contra Cæcilianum pro Majorino decretum in novo qvodam concilio confirmatum asserit celeberrimus Ultrajectinæ Academiæ Theologus Melchior Leydeckerus in historia schismatis Donatistici p. 470. Ubi secundum illud concilium in qvo Cæcilianum ab adversariis damnatum credit Cirtense & in parenthesi Zertense vocat. Ne autem hoc gratis dixisse videatur, se illius notitiam ex Augustino hausisse indicat, & qvidem ex ejus tractatu post collationem c. 14. Verum Cirtense concilium, cujus ibi Augustinus meminit, nisi me omnia fallunt, habitum fuit, anteqvam vel Cæcilianus vel Majorinus Carthaginensis ecclesiæ Episcopus electus fuisset. Qvod autem Augustinus Traditores in Cirtensi concilio congregatos cum Secundo contra Cæcilianum sententiam pronunciasse dicit, non sic intelligendum est, qvasi Cæcilianus in concilio aliqvo Cirtensi damnatus fuerit, sed Augustini sententia hæc est, qvod illi ipsi, qvi olim in Cirtensi concilio collecti fuerant, postea in Carthaginensi concilio adversus Cæcilianum sententiam tulerint. Ut autem Augustini sententia clarior evadat, historiam illius Cirtensis concilii breviter exponemus.

Historia concilii Cirtensis.

XV. Et

XV. Et tempus qvidem Cirtenſis concilii qvantum attinet, Auguſtinus l. 3. contra Creſconium c. 27. Diocletiano VIII. & Maximiano VII. Coſſ. h. e. A. C. 303. illud habitum fuiſſe refert, ad qvem annum etiam Baronius concilii hujus acta retulit. Verum in breviculo collat. Carthag. d. 3. c. 17. Auguſtinus concilii hujus epocham aliter deſignat. Nam ibi dicit concilium hoc congregatum fuiſſe anno qvi nonum Diocletiani & octavum Maximiani conſulatum proxime excipit h. e. A. C. 305. qvam ſententiam veriorem eſſe Henr. Valeſius in notis ad Euſebium p. 163. demonſtravit, unde prior Auguſtini locus ex poſteriori corrigendus eſt. Si menſem & diem hujus concilii inqviramus, Optatus Milevitanus & Auguſtinus non conveniunt. Ille enim diem 3. iduum Majarum, hic vero d. 3. nonas Martias poſuit. Et ſane alium menſem qvam Martium ponere non poſſumus, ſi verum eſt, qvod idem Auguſtinus aſſerit, nempe concilium Cirtenſe menſe decimo tertio poſt geſta martyrum qvæ prid. id. Februar. facta ſunt habitum fuiſſe. Qvando autem Optatus hoc concilium poſt perſecutionem congregatum dicit perperam Albaſpinæus in notis ad h. l. Optatum de perſecutione Maxentii interpretatur, cum dubium eſſe nemini poſſit, de Diocletiani & Maximiani perſecutione Optatum intelligi debere.

Tempus hujus concilii.

Albaſpinæi error.

XVI. Locus hujus Concilii fuit Cirta Numidiæ urbs qvam paulo poſt Conſtantinam dictam fuiſſe tam clarum eſt, ut Johannes Garnerius nihil cauſæ habuerit, cur invitus nec ſine qvadam reluctatione Cirtam & Conſtantinam unam eandemq; urbem eſſe affirmaret; Nam in diſſertatione de ſynodis contra Pelagium habitis p. 184.

Locus Concilii Cirtenſis.

Garnerius notatus.

qvatuor Henrici Gravii argumenta primum adducit obſervantis, qvod Fortunatus modo Cirtenſis modo Conſtantinenſis Epiſcopus appelletur, qvod Silvanus modo Cirtæ modo Conſtantinæ traditorem egiſſe dicatur, qvod Petilianus modo a Cirta modo a Conſtantina cognominetur, & qvod Felix, qvi Silvanum ad traditionem impulit, modo Cirtenſis modo Conſtantinenſis Reipubl. Curator audiat. Deinde his argumentis Garnerius qvintum adjungit, inde depromptum, qvod in collatione Carthaginenſi nulla Cirtenſis, ſed tantum Conſtantinenſis Epiſcopi & contra in notitia Epiſcoporum Numidiæ nulla Conſtantinenſis ſed tantum Cirtenſis Epiſcopi mentio occurrat. Et his argumentis tandem Garnerius ſe etſi reluctantem cogi dicit, ut Cirtam & Conſtantinam nomine tantum differre credat. Verum Henricus de Noris Aug. Ord. Theologus & in Piſana qvondam academia hiſtoriæ eccleſiaſticæ Profeſſor, nunc vero primarius Vaticanæ bibliothecæ Præfectus Vir in rebus Africanis non minus qvam in omni literaturæ genere verſatiſſimus iſtam Garnerii reluctationem non ſine cenſura dimiſit, & qvo tempore qvibusqve de cauſis urbs Cirta nomen Conſtantinæ adepta fuerit, ex Aurelii Victoris libello de Cæſaribus expoſuit in epiſtola ad Virum celeberrimi nominis Antonium Magliabecum de inſcriptione duarum epiſtolarum Synodalium, qvæ ſunt 90. & 92. inter epiſtolas Auguſtini. Factus autem eſt conventus concilii Cirtenſis, cum baſilicæ ſuæ Chriſtianis nondum redditæ fuiſſent, in domo qvadam privata, cujus poſſeſſor ab Optato Milev. Urbanus Cariſius, ab Auguſtino modo ſimpliciter Urbanus, modo Urbanus Donatus appellatur.

Noriſius laudatus.

XVII. Epi-

XVII. Episcoporum, qvi in ista Cirtensi domo convenerunt nomina ex Optato & Augustino collegit Schelstratenus in ecclesia Africana diss. 3. p. 126. Sunt autem numero undecim, qvibus si qvis duodecimum addere voluerit, cum Augustinus in breviculo collat. Carthag. d. 3. c. 17. undecim vel duodecim Episcopos ad Cirtense concilium convenisse dicat, Silvanum addere reliqvis poterit, cujus ordinandi gratia concilium hoc convenit. Occasionem enim Cirtensi concilio novi Cirtensis Episcopi electio & ordinatio præbuit. Electus autem fuit non Paulus, ut post Baroniū plurimi arbitrati sunt, sed Silvanus, ut refert Augustinus epist. 165. & contra literas Petiliani l. 2. c. 21. utrobiqve addens Silvanum hunc tempore persecutionis, cum adhuc Subdiaconus esset, traditorem fuisse, de qvo Silvani crimine gesta apud Munatium Felicem, qvæ inserta sunt actis purgationis Cæciliani, & ipsa acta purgationis Cæciliani videri poterunt: e qvibus etiam constat, qvod Silvanus invitis honoratioribus civibus electus, & a vili harenariorum plebecula in episcopalem thronum levatus fuerit.

Numerus Episcoporum concilii Cirtensis.

Occasio concilii Cirtensis.

Electio novi episcopi Cirtensis.

XVIII. Anteqvam autem electio novi Episcopi Cirtensis fieret, Secundus Tigistanus Numidiæ Primas hujus etiam concilii Præses in qvosdam hujus concilii assessores traditionis aliorumqve criminum suspectos inqvisivit, qvorum responsa apud Optatum l. 1. & Augustinum l. 3 contra Cresconium c. 27. videantur, ubi etiam refertur Purpurii Limatensis responsum & Secundi minoris monitum effecisse, ne qvisqvam ex his facinorosis exautoraretur, aut a Concilii consessu removeretur. Purpurius enim Limatensis de cæde filiorum sororis a Secundo qvæsitus ipsum qvoqve Secun-

Alia acta concilii Cirtensis.

 dum

dum accuſatione dignum arguit, cum a ſtationariis impune dimiſſus fuerit, qvod dubio procul factum non fuiſſet, niſi ſcripturas tradidiſſet. Ad qvam Purpurii exprobrationem cum Secundus qvid reſponderet non haberet, *omnes hæretici cœperunt murmurare*, ut in vulgatis Optati codicibus legitur, pro qvo Merricus Caſaubonus legi mavult, qvod omnes *hæret ei*, ſcilicet aqva, murmurare cœperint, qva lectione adhuc commodior videtur, qvæ in codice Sangermanenſi legitur, & in appendice ad appendicem tomi 9. operum Auguſtini novæ editionis his verbis exhibetur: *omnes erecti cœperunt murmurare*. Tum vero Secundus minor Patruum ſuum a ſeveriori inqviſitione abſterruit, & cauſam hanc divino judicio reſervandam perſvaſit, qvod conſilium etiam a reliqvis, qvi poſtremo loco ſententiam dixerunt, approbatum eſt. Tandem igitur etiam Secundus concilii Præſes omnibus ignoſcendum ſtatuit. Cujus concilii poſtea in collatione Carthaginenſi Donatiſtas puduit, unde acta hujus concilii ficta eſſe cauſati ſunt, obtendentes, contra eccleſiaſticam conſvetudinem diem & Conſulem in actis iſtis indicari, neqve tempore perſecutionis Epiſcopos in unum convenire potuiſſe. Qvibus rationibus qvid Catholici regeſſerint, ex Auguſtini breviculo cognoſci poteſt.

Locus Optati emendatus.

Donatiſtarum cavillationes adverſus acta concilii Cirtenſis.

XIX. Et ad hoc ipſum concilium Cirtenſe Auguſtinum in eo loco reſpicere, qvem pro ſua ſententia Leydeckerus allegavit, cuilibet patebit, qvi antecedentia Auguſtini verba legerit. Nusqvam igitur Auguſtinus dicit, qvod Secundus ejusqve collegæ, cum Cæcilianum in Carthaginenſi concilio damnaſſent, poſtea iterum in Cirtenſi aliqvo concilio decreta ſua adverſus Cæcilia-

Locus Auguſtini a Leydeckero allegatus explicatur.

num

num confirmaverint, ſed tantum indicat, qvam iniqve cum Cæciliano actum fuerit, cum illi ipſi, qvi in Cirtenſi concilio traditionis & aliorum criminum convicti fuerant, ſibiqve mutuo ignoverant, poſtea adverſus Cæcilianum in concilio Carthaginenſi tam ſeveri cenſores extiterunt, eumqve ſub prætextu, qvod a Traditore ordinatus fuiſſet, ab omni eccleſiæ communione removendum ſtatuerunt. Hæc igitur prima ſchiſmatis Donatiſtarum initia fuerunt, de cujus progreſſu nunc aliqvid dicemus.

XX. Poſt Carthaginenſe igitur concilium, in qvo Cæcilianum a Majorini parte damnatum diximus, Cæcilianus innocentia ſua tutus Carthaginenſis conciliabuli decretis inſuper habitis in epiſcopatu ſuo imperterritus permanſit, cum præſertim & plurimos Africæ & ſuæ inprimis provinciæ Epiſcopos perſpecta Numidarum injuſtitia ſibi adhærere agnoſceret, & omnes transmarinas eccleſias in ſua communione permanſuras conſideret. Ægre id ferebant Cæciliani adverſarii, præcipue cum viderent, Imperatorem Conſtantinum M. qvi victo Maxentio jam Africæ imperabat, in literis ad Anulinum Africæ Proconſulem Cæciliano & Clericis illi ſubjectis immunitatem ab omnibus publicis functionibus conceſſiſſe, ne a divino cultu abſtraherentur, ſed eundem absqve omni impedimento præſtare poſſent, qvæ Conſtantini epiſtola apud Euſebium libr. 10. c. 7. hiſt. eccleſ. legitur.

Conſtantini M. epiſtola ad Anulinum.

XXI. Qvamobrem ſchiſmatici paucis poſt diebus, qvam illas Conſtantini literas Cæciliano ejusqve Clericis Anulinus inſinuaſſet, faſciculum in aluta ſignatum ipſi obtulerunt, rogantes, ut ad Imperatorem dirigeretur,

Cæcilianus apud Conſtantinum a ſchiſmaticis per literas accuſatus.

rigeretur, qva de re Anulini ad Constantinum epistola legi potest apud Augustinum in epistola 68. ubi Augustinus subjungit, duos libros ab Anulino ad Constantinum transmissos, qvorum unus ita inscriptus fuit: *libellus ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte Majorini*, alter sine sigillo eidem alutæ cohærens subnotatũ habuit diem 17. Cal. Maj. Constantino III. Consule. Incidit autem tertius Constantini Consulatus in A. C. 313. Unde Baronius erravit, qvi Constantini ad Anulinum epistolam superius memoratam ad A. C. 312. retulit. Si qvis autem notationem diei & Consulis apud Augustinum in epistola 68. non ad Donatistarum libellum, sed ad Anulini epistolam pertinere, & verba de duobus libellis transmissis non Augustini sed Anulini esse dicat, qvod acta collationis Carthaginensis d. 3. c. 220. innuere videntur, perinde est. Neqve enim tantas moras in relatione sua Anulinus fecit, ut Constantini epistolam ad præcedentem annum referri oporteat.

XXII. Cæterum priori Donatistarum libello crimina Cæciliani continebantur, alter autem qvi sine sigillo eidem alutæ cohæsit, nihil aliud qvam libellus precum fuit, qvo in causa contra Cæcilianum judices sibi dari rogaverunt, qvarum precum argumentum refert Optatus libr. 1. p. 25. Unde non opus est, ut cum Baronio Tom. III. ad A. C. 313. dicamus Lucianum & cæteros ab Optato nominatos in Gallias ad Imperatorem navigasse. Qvod autem Optatus addit, Constantinum, anteqvam has Anulini literas cum Donatistarum fasciculo acciperet, rerum istarum adhuc ignarum fuisse, dubio carere non videtur. Nam Constantinum, anteqvam Anulini relationem & Donatistarum libel-

libellos accepisset, nonnihil de dissidiis ecclesiæ Africanæ audivisse, ex eo colligi potest, qvod Cæciliano in epistola ad eum scripta, qvam Eusebius libr. 10. c. 6. recitat, adversus eos, qvi ecclesiam Carthaginensem perturbare conabantur, auxilium promittat. Constantini M. epistola ad Cæcilianum.

XXIII. Patet autem ex inscriptione prioris Donatistarum libelli, eos, qvi se a Cæciliani communione separaverant, tum temporis partem Majorini appellatos fuisse. Qvamvis enim in epistola Augustini 48. juxta nonnullas Augustini editiones hoc modo inscriptus legatur: *libellus ecclesiæ catholicæ criminum Cæciliani traditus a parte majori*, ex aliis tamen Augustini locis & ex ipsa historia clarum est, pro *parte majori* legi debere *partem Majorini*. Neq; dubitat Valesius c. 4. de schismate Donatistarũ etiam apud Optatum in libello precum, qvi ab Episcopis partis Donati subscriptus dicitur, pro parte Donati partem Majorini reponendam esse, qvam conjecturam approbat Baluzius Tom. 2. Miscellan. p. 480. Postqvam autem Majorino in Carthaginensi episcopatu Donatus successit, pars Donati dici cœpit, qvæ prius pars Majorini dicta fuerat, ut Augustinus in epistola 68. testatur. Locus Augustini emendatus. Schismatici pars Majorini audire voluerunt. Postea pars Donati.

XXIV. Et Albaspinæus qvidem observ. 3. ad Optatum duos Donatos in episcopatu Carthaginensi Majorino successisse tradit, nempe primum Donatum Casensem seu a Casis Nigris, & deinde Donatum, qvi vulgo magnus cognominari solebat. Verum Donatum Casensem Episcopum Carthaginensem nunqvam fuisse, probavit Natalis Alexander dissert. 1. ad histor. eccles. seculi 4. Id tamen verissimum est, utrumqve illum Donatum in hoc schismate partes suas strenue egisse. Nam Donatus a Casis Nigris, qvi jam olim, cum Donatus a Casis Nigris.

Cæcilianus adhuc Diaconi munere fungeretur, juxta Augustinum in brevicul. collat. 3. c. 12. schisma fecerat, altare contra altare in Carthaginensi civitate primus erexit, ut Augustinus libr. 2. contra Cresconium c. 1. testatur, siqvidem non segnis fuit in Majorini electione contra Cæcilianum procuranda juxta Augustinum de hæres. c. 69. & transmarinos judices ab Imperatore postulavit, iterum teste Augustino libro 1. retract. c. 21. & Romam cum aliis ad causam contra Cæcilianum dicendam profectus est, ut ex breviculo collationis 3. c. 18. & 20. probari potest.

Alter Donatus Carthaginensis schismaticorum post Majorinum Episcopus.

XXV. Et Casensem hunc Donatum schismatis Donatistarum principem fuisse, Augustinus in libello de hæres. c. 69. se accepisse dicit, addens alterum Donatum Majorini successorem hanc hæresin eloqventia sua adeo roborasse, ut multi existiment, ab eo potius Donatistas cognominari. Et posterior hæc sententia non improbabilis videtur partim ob ea, qvæ de Majorini parte paulo ante dicta sunt, partim qvia de Donato Carthaginensi Donatistæ gloriari maxime solebant. De hujus enim magis qvam de Dei nomine gloriabantur juxta Augustinum de unit. eccl. c. 14. Et ut ipse Donatus ad se venientes interrogabat, qvid de parte sua ageretur: ita & ejus asseclæ in publicis judiciis interrogati sic apud acta locuti sunt, ut de Christo tacentes se de parte Donati esse dicerent, ut Optatus libro 3. prolixius exponit, ubi inter alia dicit, qvod Donatus ausus fuerit populum cum Deo dividere, ut, qvi illum secuti sunt, non christiani sed Donatistæ dicerentur. Et tamen Donatistarum cognomen respuebant, qvi de parte Donati erant. Dicebant enim, Donatum non esse autorem & institutorem ecclesiæ, qvæ antea non fuerit, sed Episcopum

Ab hoc Donato Donatistæ nomen suum sortiti.

Donatistarum cognomen Donatistis ingratum.

ſcopum eccleſiæ antiqvæ & a Chriſto deductæ. Verum Auguſtinus libr. 4. contra Creſconium c. 6. reſpondebat, etiam Maximianum, qvi a reliqvis Donatiſtis ſeceſſerat, & peculiare ſchiſma fecerat, hoc dicere, & tamen ejus aſſeclas a Donatiſtis Maximinianenſes vel Maximinianos dici. Qvod autem Creſconius Grammaticus contra regulas grammaticas eos impingere arguebat, qvi Donatiſtarum nomine utebantur, cum a Donato potius Donatiani, ſicut ab Ario Ariani & a Novato Novatiani dici debuiſſent, de eo Auguſtinus litigare non cupit, ſed qvaſi ferulam grammaticam timens in libris contra Creſconium ſe Donatianorum nomine uſurum ſpondet, hac tamen libertate ſibi reſervata, ut in aliis ſcriptis communem uſum potius qvam illas grammaticas argutias ſeqvatur, lib. 2. contra Creſconium c. 1. & 2. Conferantur qvæ de nomine Donatiſtarum diſputarunt catholici cum ſchiſmaticis in collatione Carthaginenſi cognit. 3. c. 31. & ſeqv. ubi inter alia refertur Alipium dixiſſe: damnent nomen Donati, & non amplius dicemus Donatiſtas, cui regeſſit Petilianus: damnent nomen Cæciliani, & non amplius dicemus Cæcilianiſtas. Qvam abſurdus autem ſit Bernhardus Luzenburgicus, cum in catalogo hæreticorum ſchiſma Donatiſtarum a Donato qvodam, adverſus qvem Cyprianus epiſtolas & tractatus ſcripſerit, nomen & originem cepiſſe ſtatuit, jam pridem Alphonſus a Caſtro obſervavit lib. 6. adverſus hæreſes, ubi notat, qvod & Cypriani ætas originem ſchiſmatis Donatiſtarum multis annis antevertat, & nulla ſcripta Donato cuidam oppoſita in Cypriani operibus legantur.

Creſconii argutiæ circa hoc nomen.

Bernhardi Luzenburgici parachroniſmus.

XXVI. Conſtantinus autem acceptis Donatiſtarum

Conſtantini M. epiſtola ad

Melchiadem Pont. Rom.

rum libellis vehementer ob hoc diſſidium commotus Romæ coram nonnullis Epiſcopis, qvibus id negotii commiſit, hanc cauſam dijudicari procuravit, eoqve nomine ad Melchiadem ſeu Miltiadem Epiſcopum Romanum ſcripſit, qvæ epiſtola apud Euſebium libr. 10. hiſtor. eccleſ. c. 5. legitur. Qvam epiſtolam cur Salmaſius de primatu Papæ c. 21. ſuppoſititiam eſſe judicet, cauſæ nihil habet, cum præſertim in apparatu p. 289. eam ut genuinam allegaſſet.

Salmaſius notatus.

De titulo epiſtolæ ad Melchiadem conjectura Baronii.

Neqve probanda Baronii conjectura, cum A. C. 313. pag. 96. edit. Rom. titulum hujus epiſtolæ mutandum ſuſpicatur. Cum enim epiſtola inſcripta ſit Miltiadi Epiſcopo Romano & Marco, legendum putat: *Epiſcopo Romano & Hierarchæ.* Qvam conjecturam etiam Cardinali Perronio placuiſſe aſſerit Albaſpinæus in notis ad Optatum pag. 26. qvi & ipſe nihil magis probabile ſibi occurriſſe ſcribit. Verum, ut Caſaubonus ad eundem Optati locum obſervavit, Perronium Baronianæ illius conjecturæ adeo puduit, ut in noviſſima ad Regem Angliæ apologia qvidvis potius excogitandum cenſuerit. Nam pro verbis καὶ Μάρκῳ legendum putavit: τιμιωτάτῳ. Mornæus in myſterio iniqvitatis p. 51. ſuſpicatur pro Marco ſcribendum: *Materno ſeu Marino.* Petiti conjecturam, qvi legendum cenſet: χαίρειν μάκρον longe nimis petitam cenſet Stephanus le Moyne in notis ad varia ſacra p. 18. ubi etiam Roqvani & aliorum Mœroclem Mediolanenſem Epiſcopum pro Marco ſubſtituentium ſententiam ſibi minus probari indicat, & in vulgata lectione nihil mutandum judicat, cum Euſebianam lectionem etiam Nicephorus confirmet, & autor Synodici a Pappo editi Synodum Romanam in cauſa Donatiſtarum a Miltiade & Marco procura-

Perronii.

Mornæi.

Petiti.

Larroqvani.

Le Moyne.

procuratam dicat. Nec dubitat, qvin Marcus, qvem in titulo ſuæ epiſtolæ cum Miltiade Conſtantinus conjungit, non alius fuerit, qvam qvi poſt Sylveſtrum Miltiadis ſucceſſorem Romanæ eccleſiæ Epiſcopus factus eſt. Neqve mirum eſſe dicit, qvod Conſtantinus ſimul ad Miltiadem & Marcum ſcripſerit, cum forte Marcus ille Miltiadis ſyncellus, vel etiam peregrini Miltiadis os & interpres, magnæqve in Presbyterio & Clero Romano autoritatis fuerit. Poſtea etiam Valeſium perſtringit, qvod in gratiam Epiſcopi Romani neqve græcum hujus epiſtolæ textum fideliter exhibuerit, nec ubiqve eum candide interpretatus fuerit. Qvamvis qvæ de græci textus corruptione dicta ſunt, Valeſium minus ferire videantur, qvippe qvi ipſe in notis pro πιμῶντι rectius apud Nicephorum τιμῶντι legi non diſſimulat.

XXVII. Anteqvam autem Conſtantinus ad Miltiadem & Marcum ſcriberet, in eadem cauſa ad Rheticium, Maternum, & Marinum ſcripſerat, ut ipſe in ſua ad Miltiadem epiſtola teſtatur. Qvamvis enim Imperator, ut Optatus libro I. refert, Luciano, Digno, Naſſutio Capitoni, Fidentio & cæteris Donatiſtis judices in Cæciliani cauſa ſibi dari poſtulantibus, reſponderit: *petitis a me in ſeculo judicium, cum ego ipſe Chriſti judicium expectem*, judices tamen dedit, in qvorum numero fuerunt, qvos modo memoravimus Rheticius Auguſtodunenſis, Maternus Agrippinenſis, & Marinus Arelatenſis Epiſcopus. Et Rheticium qvidem Hieronymus in catalogo Scriptorum eccleſiaſtic. inter alia tractatum contra Novatianos ſcripſiſſe refert. Unde mirandum haud eſt, a Rheticio, qvi jam ſcriptis ſuis Novatianos Donatiſtis haud abſimiles damnaverat, etiam Donatum

Inter judices, qvibus cauſam Donatiſtarum Romæ ventilandam Conſtantinus dedit, fuit Rheticius, Marinus & Maternus.

in Romano concilio damnatum. Ejusdem Rheticii alibi qvoqve meminit Hieronymus nempe in epiſtola ſexta ad Florentium, & in epiſtola 133. ad Marcellam, ubi memoria lapſus Rheticium in cauſa Montenſium ſeu Donatiſtarum ſub Sylveſtro Romam veniſſe ait, cum tamen id non ſub Sylveſtro ſed ſub Miltiade factum fuerit, ut ex Imperatoris ad Miltiadem epiſtola liqvet, qvod etiam Auguſtinus libro 1. contra Julianum c. 2. confirmat, qvo loco non exiguam Rheticii in concilio hoc Romano autoritatem fuiſſe teſtatur. Maternum autem & Marinum, qvos Conſtantinus in epiſtola ad Miltiadem cum Rheticio conjungit, alicubi in Italia vel Gallia Epiſcopos fuiſſe ſcribunt Magdeburgenſes centur. 4. c. 10. p. 1171. qvi illa dubitatione ſuperſedere potuiſſent, ſi ad Optati locum, qvem paulo poſt allegant, attendiſſent. Imo & ipſi Magdeburgenſes p. 22. 541. & 585. Maternum & Marinum non minus ac Rheticium non in Italia ſed in Gallia ſedes ſui Epiſcopatus habuiſſe animadverterunt.

Hieronymus memoria lapſus circa Rheticium.

Magdeburgenſium lapſus circa Marinum & Maternum.

XXIIX. Hos igitur nempe Rheticium, Maternum & Marinum ex Gallia Romam ire juſſit Imperator, ut Donatiſtarum deſideriis, qvi judices ex Gallia petiverant, qvodammodo ſatisfaceret. Ex Gallia autem judices deſideraſſe videntur Donatiſtæ non modo, qvia Imperator tum temporis in Gallia agebat, verum etiam, qvia Galliam Diocletiani perſecutio non attigerat, adeoqve nec traditores polluerant, unde Gallicos Epiſcopos Cæciliano, qvem a Traditoribus ordinatum accuſabant, minus æqvos fore ſperabant, ut colligi poteſt ex libello precum, qvem Conſtantino obtulerunt. Interim præter iſtos Gallos & Miltiadem Epiſcopum Romanum ejusqve

Cur ex Gallia Donatiſtis judices dati?

ejusqve Presbyterum Marcum concilio huic etiam qvindecim ex Italia Episcopi ab Optato libro 1. p. 26. nominati adfuerunt, nempe Merocles a Mediolano, Florianus a Cæsena, Zoticus a Qvintiano, Stemnius ab Arimino, Felix a Florentia Tuscorum, Gaudentius a Pisis, Constantius a Faventia, Proterius a Capua, Theophilus a Benevento, Savianus a Terracina, Secundus a Præneste, Felix a tribus tabernis, Maximus ab Ostia, Evandrus ab Ursino, & Donatianus a Foro Claudii. Qvod autem Calvinus libro 4. institut. c. 7. non ex Gallia modo & Italia, sed etiam ex Hispania Episcopos qvosdam ad hoc concilium convocatos asseruit, id Franciscus Balduinus in altera ad Optatum præfatione, qvæ Johanni Lucanio seu per anagramma Calvino inscribitur, probari posse negat. *Reliqvi concilii Romani Assessores.*

XXIX. Tempus hujus concilii designat Optatus cum Episcopos illos Constantino III. & Licinio III. Coss. h. e. A. C. 313. die 6. non. Octobr. feria sexta convenisse & ad ventilandam Cæciliani causam consedisse refert. Addit etiam locum, eumqve dicit fuisse domum Faustæ in Laterano, qvem locum deficiente Lateranorum gente sive per confiscationem sive qvovis alio casu a fisco occupatum, & tum temporis in Faustæ uxoris Constantini potestate fuisse, notat Ciampinus in tractatu de sacris ædificiis a Constantino M. extructis c. 2. p. 6. *Tempus concilii Romani.* *Locus.*

XXX. Ut autem negotium, cujus gratia concilium hoc indictum fuerat, felicius procederet, Cæcilianum cum decem clericis suis & totidem ex adversariis ejus huic concilio præsentes esse voluit Constantinus, ut ex ejus ad Melchiadem epistola patet, eamqve rem recte curandam Anulino Proconsuli injunxit, qvi *Partes in concilio Romano litigantes.*

se

se Imperatoris mandato paruisse retulit, ut videre licet ex collat. Carthag. cogn. 3. c. 318. cujus titulus & argumentum tantum superest, & ex Augustini breviculo d. 3. c. 12. ubi ex Anulini ad Imperatorem relatione refertur, denos ex utraqve parte ad agendam causam vocatos, eosqve se id facturos promisisse. Cum igitur ex utraqve parte deni convenissent, per triduum Caeciliani causa ventilata fuit, ut patet ex collat. Carthag. cogn. 3. c. 223. seu potius ex capitis illius titulo, qvi solus superest. Et primo qvidem die accusatores Caeciliani, qvi missi fuerant, negaverunt se habere, qvod in eum dicerent, & Donatus a Casis Nigris convictus est, qvod Caeciliano adhuc Diacono schisma Carthagine fecerit, & Caeciliani adversarii promiserunt, alio die se praesentaturos, qvos causae necessarios subtraxisse arguebantur, ut refert Augustinus in breviculo collat. Carthag. part. 3. c. 12. Reliqva hujus concilii acta ex Augustini epistola 162. colligi possunt, qvorum exitus hic fuit, qvod Caecilianus, cum hic concilio suam innocentiam satis approbasset, a Donatistarum calumniis absolutus fuit. Qvod judicium Miltiadis sententia his verbis clausum refert Optatus: *cum constiterit Caecilianum ab iis, qvi cum Donato venerant, juxta professionem suam non accusari, nec a Donato convictum esse in aliqva parte constiterit, sua communioni ecclesiasticae integro statu retinendum esse merito censeo.* Erravit enim Morellius, qvi in libro gallico de disciplina ecclesiastica Caecilianum a Miltiade & Collegis damnatum statuit, qvem errorem notavit Balduinus in notis ad Optatum p. 146.

Acta concilii Romani.

Caecilianus in concilio Romano absolutus.

Error Morellii.

Donatus a Casis Nigris in concilio

XXXI. Contra in hoc concilio damnatus Donatus, non qvidem Donatus Magnus, Carthaginensis post Majori-

Majorinum ex parte schismaticorum Episcopus, sed Donatus a Casis Nigris, ut testatur Augustinus in brevic. collat. Carthag. d. 3. c. 17. ubi ait: *Gesta apud Melchiadem habita recitata sunt, qvibus apparuit omnium qvi tunc consederant Episcoporum sententiis & ipsius Melchiadis Cæcilianum absolutum atq; purgatum, Donatum vero damnatum, qvi præsens fuerat in prima actione convictus, ille scilicet Donatus a Casis Nigris, qvem præsentem tunc fuisse constitit.* Causa damnationis fuit, qvod confessus fuisset, se rebaptizasse, & lapsis Episcopis contra ecclesiæ morem manum imposuisse, ut testatur Optatus libr. 1. c. 27. qva de manuum impositione cujusmodi fuerit Albaspinæus observ. 5. & seqv. prolixe disserit. In reliqvos autem partis Donati Episcopos mitior sententia prolata est, ut Augustinus in epistola 50. testatur. His enim communio ecclesiastica, si modo ad unitatem redire vellent, negata non fuit, & decretum, ut qvibuscunqve in locis duo essent Episcopi, unus de ecclesia catholica, alter de parte Majorini, is qvi prius ordinatus fuisset, confirmaretur, & alteri de alia ecclesia provideretur, ut idem Augustinus in epist. 162. refert, ubi hoc judicium a mansvetudine & pacis studio maximopere commendat. Et hæc qvidem gesta sunt, uti diximus, mense Octobri, qvo Constantinus constitutionem suam de Clericorum immunitate, qvam Cæciliano ejusqve clericis per Anulinum Africæ Proconsulem insinuatam diximus, cum Donatistarum factione qvodammodo interturbata videretur, nova lege confirmavit, qvæ legitur libr. 16. codicis Theodosiani leg. 1. tit. de Episcopis, ad qvam Godofredi notæ & commentarius videatur.

Romano damnatus.

mitior in reliqvos Donatistarum Episcopos sententia.

Donatiſtarum cavillationes adverſus concilium Romanum.

XXXII. Hoc autem Miltiadis pro Cæciliano contra Donatiſtas judicium, cum poſtea in collatione Carthaginenſi Donatiſtis a catholicis objiceretur, Melchiadem traditorem fuiſſe reſponderunt, idqve ex variis geſtis probare conati ſunt, qvos conatus irritos fuiſſe refert Auguſtinus in collat. Carthag. 3. diei c. 18. Cæterum etſi Miltiadis ſententia judicium Romani illius concilii clauſum fuiſſe dicat Optatus, indeqve Pontificii nonnulli de Pontificis Romani autoritate gloriandi anſam captent, gloriatio tamen illa diuturna eſſe non poteſt. Nam Donatiſtæ in Romani concilii ſententia non acqvieverunt, ſed ab eodem appellarunt, & ut hæc controverſia in Arelatenſi concilio denuo ventilaretur effecerunt. Unde Balduinus in ſuo Conſtantino ſive tractatu de Conſtantini M. legibus eccleſiaſticis & civilibus p. 59. ſcribit, Conſtantinum a Donatiſtis appellatum alios judices dediſſe, & non dubitaſſe eos in hac re ſupra Epiſcopi Romani ſedem velut efferre.

Appellatio Donatiſtarum a ſententia Concilii Romani.

Appellatio Donatiſtarum negata a Sirmondo & Valeſio,

XXXIII. Eqvidem Sirmondus in notis poſthumis ad concilium Arelatenſe, qvas Labbeus tom. 1. concil. p. 1565. publicavit, Donatiſtas a concilio Romano appellaſſe negat, qvam ſententiam prolixius probare contendit Valeſius in diſſert. de ſchiſmate Donatiſtarum c. 7. & 8. Verum Schelſtratenus in antiqvit. illuſtr. part. 2. diſſ. 1. c. 7. artic. 3. p. 239. & ſeqv. & Antonius Pagi in critic. ad annal. Baron. A.C. 313. n. 7. cum Baronio omnino Donatiſtas a concilio Romano appellaſſe arbitrantur. Pro qva ſententia facit Optatus, qvi libr. 1. ſcribit, qvod Donatus crediderit ab Epiſcopis concilii Romani appellandum eſſe, & Conſtantinus ad hanc appellationem

ab aliis aſſerta

Utriusqve partis argumenta.

nem responderit: *O rabida furoris audacia! sicut in caussis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.*

XXXIV. Respondet qvidem Valesius, ea qvæ Optatus post Synodum Romanam gesta dicit, post Synodum Arelatensem contigisse, idqve probare contendit ex epistola Imperatoris Constantini ad Episcopos, qvæ subjecta est actis concilii Arelatensis. In ea enim eadem verba repetuntur: *O rabida furoris audacia.* Sed Schelstratenus regerit, nihil obesse, qvo minus Constantinus verbis illis & post Romanum & post Arelatense concilium, a qvo iterum Donatistæ appellarunt, usus fuerit. Pagi autem respondet, qvod illa Imperatoris epistola non ad Episcopos, qvi Arelatensi concilio interfuerant, sed ad Romani concilii Episcopos scripta fuerit. In qva sententia dubio procul etiam Binius fuit, qvi hanc Imperatoris epistolam Romano concilio subjecit, etsi postea Sirmondus eam ad Arelatense concilium spectare censuerit, ideoqve in suis Gallicanis conciliis iterum ediderit. Qva in re ne erraret regius conciliorum collector, epistolam hanc semel Romano iterumqve Arelatensi concilio subjecit.

XXXV. Porro Valesius Optato Augustinum opponit, qvi variis in locis Donatistas qvidem de concilio Romano qvestos fuisse, & contra ejus judicium murmurasse scribat, appellationis autem nusqvam meminerit. Sed respondent Schelstratenus & Pagi, Augustinum, dum in epistola 162. Donatistas ab Arelatensi concilio rursus provocasse asserit, simul innuere, qvod jam ante a Romano concilio provocaverint. Addunt & alium locum ex Augustini Psalmo contra partem Do-

nati, ubi appellationis a Romano concilio factæ expresſe meminit. Negari tamen non poteſt, Rheticium, Marinum, Maternum, & qvosdam alios, qvi in concilio Romano ſententiam tulerant, etiam Arelatenſi concilio interfuiſſe, cum alias in judiciis appellationum ordinarie judex, a qvo appellatur, de appellatione non cognoſcat, qvo argumento hoc judicium ab appellatione diverſum fuiſſe probat Petrus de Marca libr. 4. de concord. ſacerd. & imper. c. 17. th. 2. Qvicqvid autem de appellatione Donatiſtarum ſtatuatur, certum eſt, ſive appellationis ſive ſupplicationis nomine Donatiſtarum de concilio Romano qverela veniat, cauſam Cæciliani in concilio Romano judicatam & deciſam juſſu Imperatoris in concilio Arelatenſi fuiſſe denuo peractam, qvod contra Pontificios urget Leydeckerus in hiſtor. Afric. tom. 2. pag. 283. & ſeqv.

Cauſa Donatiſtarum denuo in concilio Arelatenſi agitata.

XXXVI. Cum enim Donatiſtæ cauſarentur, qvod cauſa eorum non omnis fuiſſet audita, ſed potius Epiſcopi in concilio Romano congregati qvodam loco ſe clauſiſſent, & pro lubitu judicaſſent, Conſtantinus Cæciliano ejusqve adverſariis, ut intra diem Cal. Aug. Arelati ſe ſiſterent, per Ælianum Africæ Proconſulem præcepit.

Conſtantini, qvi hoc Concilium induxit, epiſtola ad Ælianum.

Extat hæc Conſtantini epiſtola ad Ælianum Proconſulem in tomis conciliorum, & in qvibusdam Optati editionibus poſt geſta purgationis Felicis & Cæciliani, & vulgo inſcribitur Ablavio vel Ælafio ſeu Elafio, qvem Sirmondus in antiqvis Galliæ conciliis a ſe editis Africæ Vicarium appellat, non aliam ob cauſam, ut ipſe in notis profitetur, qvam qvod vicariæ poteſtati congruere videbantur, qvæ Imperator Elafio in hac epiſtola injunxit.

vitioſe Ablavio vel Elafio inſcripta

XXXVII.

XXXVII. Verum cum Arelatense concilium eo anno habitum fuerit, qvo Volusianus & Annianus consulatum gesserunt h. e. A. C. 314. eodemqve anno Africæ Vicarius fuerit Verinus seu Verus, ut apud Augustinum sæpius appellatur, non improbabilis est conjectura Labbei Tom. 1. concil. pag. 1421. & 1432 suspicantis, scriptam esse hanc Constantini epistolam ad Ælianum Proconsulem. Nec est, qvod miremur, Constantinum Proconsuli potius qvam Vicario hæc mandata dedisse, cum Verus seu Verinus Africæ Vicarius tum temporis incommoda valetudine usus fuerit, ut Constantini ad Probianum epistola testatur. Et Æliani nomen ab imperitis librariis haud difficulter in Ælafii & postea in Ablavii nomen mutari potuit, ut notavit Baluzius tom. 2. miscell pag. 477.

XXXVIII. Cum autem Constantinus in illa epistola Æliano imperet, ut Episcopis ex Africa ad concilium Arelatense evocatis evectionem publicam & literas tractorias concedat, patet unde deprompta fuerit Constantini constitutio a Cujacio ad l. 1. C. de tractoriis allegata, qvam nullibi se legisse profitetur Balduinus, qvi hanc Constantini epistolam nondum viderat in not. ad Optat. p. 145. ubi suspicatur, constitutionem illam a Cujacio allegatam ad Anulinum missam esse, & ad Romanum concilium spectasse, cum ad Arelatense potius concilium pertineat & ad Ælianum, qvi corrupte Elafius scribitur, directa fuerit. Qvales autem fuerint literæ tractoriæ, videatur apud Godofredum in commentario ad legem codicis Theodosiani de tractoriis & stativis, Priorium in tractatu de literis canonicis, cui appendicem de literis tractoriis adjecit, ut alios taceamus. Et

Episcopis ad Arelatense concilium evocatis literæ tractoriæ concessæ.

modi literæ non Africanis solum sed reliqvis etiam Episcopis datæ sunt, qvos Imperator ad hoc concilium e diversis provinciis vocavit, ut patet ex Constantini epistola ad Chrestum Syracusanum Episcopum, qvem ad hoc iter a Latroniano Siciliæ Correctore publicum vehiculum accipere voluit.

Præses concilii Arelatensis Marinus.

XXXIX. Præses concilii Arelatensis fuit Marinus urbis, in qva concilium illud habitum fuit, nobilissimæ, Arelatis inqvam, in Gallia Narbonensi sitæ, de qva Sammarthani in Gallia christiana Tom. I. p. 28. videantur, Episcopus, qvod non diffitentur Valesius de schismate Donatistarum c. 9. Mendoza libr. 1. de confirmatione concilii Eliberini c. 2. & alii. Nugatur autem Schelstratenus cum in antiqvit. illustr. p. 249. probare contendit, Sylvestrum, qvi jam Melchiadi seu Miltiadi in episcopatu Romano successerat, per legatos suos, qvos ad hoc concilium misit, eidem præsedisse, vel saltem præsidendi dignitatem cum Marino communem habuisse, vel etiam Marino vicariam præsidendi potestatem delegasse, qvam postremam assertionem inde probat, qvia in canone 18. concilii Arelatensis 2. dicitur, in Arelatensi urbe ex omnibus mundi partibus præcipue Gallicanis sub Marini tempore celebratum concilium fuisse. Verum qvalis qvæso est hæc conseqventia; Marini tempore ex omnibus mundi partibus concilium in urbe Arelatensi habitum fuit, ergo Sylvester Marino vicariam præsidendi potestatem delegavit. Imo potius Marinum hujus concilii præsidem fuisse, canon ille indicat, qvippe qvo decernitur, ad Arelatensis Episcopi arbitrium congregandam esse Synodum.

non Sylvester Romanus Pontifex.

Schelstrateni sententia refutatur.

XL. Qvod autem in canone illo dicitur, Episcopos ex

ex omnibus mundi partibus seu ex pluribus provinciis ad concilium hoc vocatos fuisse, id etiam in epistola Constantini ad Chrestum confirmatur. Et Augustinus qvidem lib. 1. contra Parmenianum c. 5. ducentos Episcopos huic concilio adfuisse testa[illegible] videtur. Verum Valesius verba Augustini de Romano concilio interpretatur, & pro 200. scribendos putat 20, cum Romano concilio paucos Episcopos interfuisse constet. Benedictini autem ex fide codicis MSC. Vaticani numerum plane omittunt, in eo Valesio adstipulantes, qvod Augustinus ibi non de Arelatensi, sed de Romano concilio loqvatur.

Numerus Episcoporum, qvi Arelatensi concilio interfuerunt.

Augustini locus correctus.

XLI. Qvod si Adonem Viennensem in chronico & Cumanianum Hibernum in epistola ad Segienum, qvæ in sylloge hibernicarum epistolarum ab Usserio editarum undecima est, audiamus, dicendum erit, sexcentos Episcopos concilio Arelatensi interfuisse. Certe magnum Episcoporum numerum ad hoc concilium confluxisse ex eo colligi potest, qvod apud Augustinum hoc concilium toties plenarium appellatur, qvoties Augustinus controversiam de hæreticorum baptismo plenarii concilii sententia terminatam esse dicit, ut prolixe probat Johannes Launojus in dissertatione de notione plenarii apud Augustinum concilii, & in dissertationis illius contra Johannem Nicolaum defensione, nec non in tractatu gallico, qvi inscribitur: *remarqves sur la dissertation* &c. & in alio gallico, cujus titulus: *examen sur la præface* &c. qvi duo tractatus Davidi cuidam sunt oppositi. Et hanc Launoji sententiam inexpugnabilem judicavit Petrus de Marca in literis ad eum scriptis, qvi etiam anteqvam Launoji tractatum legisset libr. 4. de concord. Sacerd. & Imper. c. 17.

Arelatense concilium Augustino plenarium audit, qvod a Launojo probatum.

Arela-

tense concilium per plenarium ab Augustino intelligi indicaverat. Utriqve præivit Albaspinæus obs. 10. in Optatum, & ante Albaspinæum Sirmondus in præfatione, qvam tomo 1. antiqvorum Galliæ conciliorum præmisit.

XLII. Certe Arelatense concilium provinciale non fuit, ut a plerisqve conciliorum collectoribus & epitomatoribus perperam inscribitur, sed ex variarum provinciarum Episcopis collectum. Et qvamvis certa fide affirmari non possit, sexcentos Episcopos huic concilio interfuisse, qvod Ado Viennensis & Cummianus asseruerunt, vix dubitari tamen potest, plures huic concilio interfuisse Episcopos, qvam vel in epistola synodica, vel in subscriptione leguntur, cum præsertim in synodica epistola nomina qvædam legantur, qvæ in subscriptione desiderantur, & vicissim in subscriptione nomina qvædam occurrant, qvæ in fronte epistolæ synodicæ non reperiuntur, ut observat Launojus part. 5. epistolarum epist. 1. ad Carolum Magistrum p. 366.

Launoji sententia a Nicolao & aliis impugnata defenditur.

XLIII. Cum autem Nicolaus & alii objiciant, concilium de qvo Augustinus loqvitur, non tantum plenarium, sed etiam plenarium orbis terrarum, plenarium universæ ecclesiæ & cunctarum gentium concilium appellari, idqve Arelatensi minus convenire, cum in eo ex oriente nemo adfuerit, & magna qvoqve occidentis pars abfuerit, Launojus inter alia regerit, per hanc objectionem Tridentinæ Synodi autoritatem convelli, qvæ pro universali habetur, etsi in ea neqve qvisqvam ex oriente, neqve totus occidens præsens fuerit. Imprimis vero urget, familiarem esse Augustino hanc synecdochen, qva universale pro magna parte accipit,

ut

ut cum morem baptiſmum hæreticorum non iterandi univerſalem conſvetudinem appellat, etſi Africanæ & qvædam Aſiaticæ eccleſiæ morem illum non tenuerint. Et hujusmodi phraſes Auguſtini non minus tolerandas eſſe dicit, qvam cum Conſtantinus M. in epiſtola ad Chreſtum ſe ex innumerabilibus locis Epiſcopos ad Arelatenſe concilium convocaſſe ſcribit, aut cum Patres concilii Arelatenſis 2. can. 18. de Arelatenſi primo dicunt, qvod ex omnibus mundi partibus collectum fuerit.

XLIV. Facit præterea pro Launojo, qvod Epiſcopi in Arelatenſi concilio congregati, cum poſt diſcuſſam Cæciliani cauſam canones qvosdam pro diſciplina eccleſiaſtica conderent, peculiarem de hæreticorum baptiſmo canonem conſtituerint numero octavum, qvi ſic incipit: *de Afris, qvi propria ſua lege utuntur &c.* Sic enim legendum eſt, non, ut in corpore canonico item apud Bellarminum libr. 2. de bapt. c. 3. & in nonnullis conciliorum editionibus corrupte legitur: *de Arianis, qvi propria ſua lege utuntur*, ſiqvidem A. C. 314. qvo Arelatenſe concilium habitum, Ariani nondum prodierant. Et ad hunc Arelatenſis concilii canonem reſpicere Auguſtinum, qvoties cauſam de hæreticorum baptiſmo plenarii concilii ſententia definitam indicat, vero non abſimile videtur, qvia non aliud concilium indicari poteſt, de qvo plenarium Auguſtini concilium commodius explicari poſſit.

XLV. Certe Capuanum concilium per plenarium illud concilium intelligi commode non poteſt, etſi in concilio 3. Carthaginenſi canon. 38. plenarium dicatur, qvia plenarium concilium, de qvo Auguſtinus loqvitur, ante ejus nativitatem, ut ipſe lib. 2. de bapt. c. 9. teſtatur, **Plenarium Auguſtini concilium non eſt Capuanum.**

testatur, celebratum est. Eandem ob causam Alexandrinum sub Liberio concilium per Augustini plenarium intelligi non potest, qvamvis Franciscus Hallerius in tractatu de sacris electionibus & ordinationibus Augustinum de Alexandrino illo concilio intelligi posse existimaverit. Idem dicendum de Constantinopolitano primo, qvod inter œcumenica secundum est. Nam & illud Augustino pridem nato habitum, & præterea canon 7. hujus concilii a multis pro genuino non agnoscitur, ut Beveregius ad canonem illum annotavit p. 100.

Non Alexandrinum.

Non Constantinopolitanũ.

XLVI. At qvid de Nicæno concilio dicemus, qvod inter œcumenica primum est, & ad qvod Augustinum respexisse arbitrantur Lovanienses Theologi in Antverpiensi Augustini editione, Bellarminus libro 1. de Sacramentis cap. 26. Natalis Alexander seculi tertii dissertatione 24. & plures alii? Obstat horum sententiæ, qvod Patres Nicæni, etsi canone 19. de Paulianistarum baptismo aliqvid decreverint, de reliqvis tamen hæreticis nihil determinarunt, qvod ex Basilio M. aliisqve Patribus Launojus confirmavit. Accedit, qvod Augustinus plenarium suum concilium libro 2. de baptismo c. 9. transmarinum appellat, qvod epitheton ex Augustini stylo Arelatensi potius qvam Nicæno competit. Regerit qvidem Natalis Alexander p. 827. etiam Bithyniam, in qva Nicænum concilium habitum fuit, ab Augustino libr. 2. contra Crescon. c. 37. transmarinam appellari, qvam objectionem ex Nicolao desumpsit. Potuisset vero etiam responsionem Launoji addere ex dissertationis de plenario concilio confirmatione & defensione contra Nicolajum c. 3. Atqve hinc etiam colligi potest, qvid statuendum sit de sententia Christiani Lupi,

Non Nicænum.

Lupi, qvi in scholiis ad can. 19. concilii Nicæni judicat, notionem plenarii apud Augustinum concilii principaliter ad Nicænum concilium spectare, ita tamen ut Arelatense primum, Constantinopolitanum primum, Capuanum aliæqve synodi, qvæ baptismum hæreticorum aliqvatenus admiserunt, non excludi debeant.

XLVII. Nec obstat sententiæ Launoji, qvod Augustinus passim Cæciliani causam plurimis ecclesiis incognitam fuisse dicat, qvod dicturus fuisse non videtur, si Arelatense concilium, in qvo Cæciliani causa discussa fuit, pro plenario concilio habuisset, qvam objectionem post alios repetit Pagi in critic. ad annal. Baronii A.C. 314. sect. 15. Responderi enim potest, qvod Augustinus, cum plurimis ecclesiis Cæciliani causam incognitam fuisse dicit, imprimis de orientalibus ecclesiis loqvatur, ut apparet ex tractatu post collationem c. 4. item ex libr. 4. contra Crescon. c. 25. Qvid autem obstat, qvo minus orientalibus ecclesiis ignota fuerit causa, qvæ aliis occidentalium provinciarum Episcopis tractata fuerat? Neqve silentio prætermittendum est, qvod ipse Augustinus in epistola 162. ad Glorium & Eleusium, cum primum de plenario concilio egisset, paulo post plenarium hoc concilium de Arelatensi interpretari videatur, qvod argumentum Launojus urget in differt. de notione plenarii concil. c. 1. p. 14. & c. 3. p. 33. & in confirmatione hujus dissertationis contra Nicolajum c. 2. Verum cum verba qvædam ab Augustino interposita diversum sensum admittant, ideoqve argumentum illud obscurum reddant, in eo non morabimur, illud tantum observantes, Æneam Sylvium, Nicol. Cusanum, Johannem Almainum, Johannem Majorem & alios ex illis

Æneæ Sylvii & aliorum observatio ex verbis Augustini.

 Augusti-

Augustini verbis conclusisse, qvod non solius Papæ, sed etiam Papæ & particularis concilii sententia a generali concilio rescindi possit, qva de re Launojus in confirmatione dissert. de plenar. concil. p. 107. & seqv. videri poterit. Cæterum Monachi Benedictini Tom. 9. Oper. August. p. 103. aut Arelatense aut Nicænum concilium per plenarium intelligi dicunt, & pro Arelatensi nova qvædam loca a Launojo prætermissa adducunt.

Canones concilii Arelatensis.

XLIIX. Canones concilii Arelatensis præter Severinum Binium & Gabr. Albaspinæum illustravit Sirmondus tom. 1. conciliorum Galliæ & in notis posthumis, qvæ leguntur ad calcem tom. 1. conciliorum a Labbeo editorum p. 1565. Et qvia huic concilio etiam qvidam ex Britannia Episcopi interfuerunt, concilii hujus canones etiam Britannicis conciliis inseruit Spelmannus T. 1. p. 39. ubi Binii & Balei circa tempus hujus concilii errores notat, e qvibus Baleus centur. 1. Scriptor. Britanniæ p. 39. memorat, Restitutum Londinensem Archiepiscopum A. C. 350. ad Arelatense in Gallia concilium abiisse, ibiqve liberis Diaconorum conjugiis etiam post susceptos ordines consensisse. Qvod a Baleo centur. 10. aliis verbis repetitur, & ex Baleo etiam a Magdeburgensibus p. 1294. refertur. Sed unde Baleus illa hauserit incertum. Binium autem qvantum attinet, etsi in conciliis ab eo editis Arelatense concilium A. C. 326. celebratum dicatur, ipse tamen in notis mendosum hunc esse numerum cognovit. Corrigendi vero etiam Centuriatores, qvi centur. 4. p. 705. canonem 18. concilii Arelatensis ita exprimunt, qvasi Patres illius concilii dixissent, sub S. Martini tempore universale concilium in Gallia habitum fuisse. Nam pro Martino Marinus legi debet. Iidem Centuriatores p. 704. Synodum

Balei error.

Centuriatorum Magdeburgensium error.

Arela-

Arelatensem II. habitam dicunt sub Constantino & Sylvestro Volusiano & Anniano Consulibus. Verum hæc temporis nota non secundæ sed primæ Arelatensi Synodo congruit. Neqve Volusianus & Annianus Consules fuerunt A. C. 326. ut Magdeburgenses ex conciliorum editione scribunt, sed A. C. 314. Perperam qvoqve Magdeburgenses p. 700. concilium illud Arelatense, qvod Constantinus ad componendum dissidium inter Cæcilianum & alios Africæ Episcopos indixit, ab Arelatensi I. cujus canones 23. vel 22. extant, distingvunt. Nam ex epistola Synodica constat, unum idemqve concilium Arelatense fuisse, qvod Cæciliani causam ad examen revocavit, & canones qvosdam sanxit, e qvorum numero qvosdam occasione contentionis inter Cæcilianum & alios Episcopos agitatæ conditos fuisse, testari potest canon 13. de Traditoribus, & illis qvi a Traditoribus ordinati sunt.

Alius eorundem error.

iterum alius.

XLIX. Præsensne huic concilio Constantinus interfuerit, si qværas affirmat Baronius cum id apud Eusebium libr. 1. de vita Constantini c. 44. si illud cum seqventi capite conferatur, asseri videatur, qvæ sententia ex eo confirmari potest, qvod Constantinus eo anno, qvo Arelatense concilium habitum fuit, per aliqvot menses in urbe Arelatensi commoratus fuerit, ut leges qvædam in hac urbe hoc anno ab illo conditæ testantur. Contra Valesius in dissert. de schism. Donatist. c. 9. Imperatorem huic concilio interfuisse negat, cum Augustinus, qvi toties de hoc concilio egit, præsentis Imperatoris nusqvam meminerit, & ex Constantini epistola post concilium Arelatense scripta, eum concilio non interfuisse manifeste colligi possit. Accedit, qvod Donatistæ ab Arelatensi concilio ad Imperatoris judicium provocaverint, qvod Valesio judice ausuri

Constantini Imp. in concilio Arelatensi præsentia incerta.

non fuissent, si Imperator ipse huic concilio præsens adfuisset. Verum utriusqve partis argumenta infirma esse, nihilqve certi circa hanc qvæstionem affirmari posse, Antonius Pagi in critic. ad annal. Baron. A. C. 314. Sect. 22. observavit.

Felicis Aptungitani causa.

L. Eodem anno 314. in Africa causa Felicis Aptungitani, qvi Cæcilianum ordinaverat, & a Donatistis traditionis accusatus fuerat, ab Æliano Proconsule inqvisitioni subjecta fuit, ut Donatistis non omnem eorum causam in concilio Romano auditam fuisse murmurantibus & Imperatorem de Felice tædiosissime interpellantibus omnis imposterum conqverendi occasio præcideretur. Mandaverat Imperator negotium illud Vero seu Verino vicariam præfecturam in Africa tum gerenti, qvo per gravissimum morbum impedito, qvo minus Imperatoris mandatum exeqvi posset, Proconsul Ælianus eas partes in se suscepit, sive ob repentinum Verini morbum id propria sponte fecerit, ut Baluzius in notis ad miscellanea tom. 2. p. 472. suspicatur, sive Principis mandato, qvod Optati & Augustini verbis convenientius judicat Valesius de schism. Donat. c. 11.

Judex, coram qvo illa causa acta est.

Tempus hujus actionis.

LI. Acta est illa Felicis causa coram Æliano 15. cal. Martias, ut testatur Augustinus post collat. c. 33. Cum autem gesta purgationis Felicis causam hanc d. 13. seu ut Baluziana editio legit XIIII. Cal. Sept. actam innuere videantur, qvo die epistolæ qvædam Cæciliani Duumviri ad causæ hujus cognitionem spectantes præsente Cæciliano recitatæ referuntur, Augustinum ex illis gestis corrigendum existimat Albaspinæus observat. 11. ad Optatum. Si enim jam mense Februario adeoqve aliqvot

Sententia Albaspinæi.

qvot menſibus ante concilium Arelatenſe Felix Aptungitanus Æliani Proconſulis ſententia abſolutus fuiſſet, vix Arelatenſi concilio opus fuiſſe cenſet. Qvamobrem ſuſpicatur Auguſtinum æſtu diſputationis abreptum in tempore illius judicii erraſſe. Contra geſta purgationis Felicis ex Auguſtino corrigit Baronius, cujus ſententiam Baluzius in notis ad miſcell. p. 477. tueri voluit, cum probabile non videatur mendoſum eſſe numerum in loco Auguſtini, qvippe qvi expreſſe addit, cauſam Felicis qvarto menſe poſt Melchiadis judicium, qvod menſe Octobri anni proxime præteriti factum fuerat, cognitam fuiſſe. Valeſius autem in diſſert. de ſchiſm. Donatiſt. neqve geſta Felicis ex Auguſtino, neqve Auguſtinum ex geſtis Felicis emendandum ſtatuit, cum Auguſtinus de inchoata, geſta autem Felicis de finita cauſa intelligi poſſint. Et illud qvidem Valeſio lubens Baluzius concedit, qvod inter unius diei ſpatium tot geſtorum documenta perlegi, totqve perſonæ interrogari non potuerint. At qvod per integrum ſemeſtre ſpatium hæc cauſa duraverit, perſvadere ſibi non poteſt, cum Auguſtinus in epiſtola 162. cognitionem illam diligentiſſimum examen vocet, & Optatus libr. 1. doceat, Conſtantinum in Africam ſcripſiſſe, ut remotis neceſſitatibus publicis de vita Felicis Aptungitani publice qværeretur.

Baronii.

Valeſii.

Baluzii.

LII. Verum de menſe, qvo Felicis Aptungitani cauſa cognita fuit, non multum litigabimus. Actionem ipſam qvod attinet, inducti ſunt referente Optato libr. 1. c. 29. Claudius Saturianus, qvi tempore perſecutionis Curator reipublicæ in civitate Felicis fuerat, & Callidius Gratianus, qvi tum, qvando cauſa agitabatur, Curator

Acta hujus judicii.

tor erat, & Alfius Cæcilianus, qvi Magiſtratus ſeu Duumvir municipii Aptungenſium fuit, & Superſtationarius, & Ingentius ſcriba publicus, qvibus poſtea Optatus etiam Solonem officialem publicum adjungit. Et Saturianus qvidem in epiſtola Conſtantini ad Probianum Saturninus, Callidius autem Gratianus Calibius junior appellatur, in qva epiſtola etiam mentio fit Superii centurionis, qvi corrupte apud Optatum Superſtationarius appellatur, cum Superius Stationarius appellari debuiſſet. Cum vero neqve geſta municipalia, neqve Curatores civitatis Aptungenſium, neqve alii in judicium hoc adducti, & de Felice, an ſacros codices tradidiſſet, interrogati Felicem hujus criminis arguerent, Ælianus Proconſul Felicem a crimine traditionis integrum pronunciavit, ut teſtantur geſta purgationis Felicis, qvæ etſi non integra ſed mutila in nonnullis editionibus Optati & in tomis conciliorum, ut & in appendice T. IX. Operum Auguſtini editionis poſtremæ Pariſienſis, nec non in Baronii annalibus, & Baluzii miſcellaneis tomo 2. legi poſſunt; cum qvibus conferri poſſunt Optatus loc. cit. & Auguſtinus lib. 3. contra Creſconium c. 70. ubi ex hac Æliani ſententia Creſconium refutat, qvi Felicem in proconſulari judicio a Vincentio qvodam de traditione convictum mentitus fuerat.

Optatus corrigendus.

Felix Proconſulis ſententia abſolutus.

LIII. Idem Auguſtinus in epiſtola 162. Felicem diligenti & terribili inqviſitione innocentiſſimum probatum aſſerit, qvia Ingentius Scriba & Decurio Ziqvenſium eqvuleo ſuſpenſus ob metum imminentium tormentorum, qvæ prætenſa Decurionis dignitate evitavit, epiſtolam Alfii Cæciliani a ſe corruptam confeſſus, & ab

Ingentius eqvuleo ſuſpenſus.

ab Æliano usqve dum Imperatoris voluntatem cognosceret, carceri inclusus est, qva de re præter gesta purgationis Felicis & Optatum, qvi Ingentium scribam publicum sub metu imminentium tormentornm pependisse dicit, legi potest Constantini epistola ad Probianum & Augustini epist. 152. item libri 3. contra Crescon. c. 70. & libri post collat. c. 32.

LIV. Variæ autem erant Donatistarum, adversus Felicis absolutionem ab Æliano factam cavillationes. Dicebant enim, Episcopum non debuisse proconsulari judicio damnari, ad qvod Augustinus in epist. 162. respondet, qvod non Felix Aptungitanus sed Imperator, qvem Donatistæ arbitrum & judicem postulaverant, hoc judicium fieri jusserit. Severitatem qvoqve hujus judicii invidiosam catholicis reddere Donatistæ conabantur, murmurantes qvendam in Felicis causa eqvuleo suspensum, ut ungulis vexaretur. Verum respondet Augustinus, Felicem contradicere non potuisse, ne tantâ severitate qværeretur, cum ejus causam inveniendam cognitor agitaret. Alia qvædam ut hujus judicii autoritatem elevarent, protulerunt Donatistæ in collatione Carthaginensi causantes, causam hanc Felicis coram Proconsule finitam non fuisse, cum Ingentius ad comitatum Imperatoris missus fuerit, gratia judicis Felicem absolutum fuisse, suppositas fuisse personas, nec recte Felicem absentem absolutum fuisse. Ad qvas Donatistarum objectiones qvid Catholici in collatione Carthaginensi regesserint, ex breviculo diei 3. c. 23. & 24. videri potest. Donatistarum cavillationes adversus Felicis absolutionem.

LV. Cum autem Augustinus in libris probationum & testimoniorum contra Donatistas, item in libro contra nescio qvem Donatistam, & in libro de unico Augustini retractatio.

baptiſmo contra Petilianum aſſeruerit, Cæcilianum ab Imperatore ante abſolutum fuiſſe, qvam Felix fuiſſet proconſulari judicio abſolutus, errorem hunc libr. 2. retract. c. 27. 28. & 34. retractandum cenſuit, & Felicem prius qvam Cæcilianum abſolutum aſſeruit, qvod non de abſolutione Cæciliani in concilio Romano facta intelligi debet, qvæ utiqve Felicis abſolutionem anteceſſit, ſed de illa Cæciliani abſolutione, qvæ in concilio Arelatenſi contigit, & imprimis de tertia, qvæ ab ipſo Conſtantino Imperatore facta eſt.

Conſtantini epiſtola ad Probianum.

LVI. Seqventi anno 315. ſcripta eſt Conſtantini epiſtola ad Probianum Æliani ſucceſſorem, qva juſſit, ut Ingentius ab Æliano carceri incluſus ad comitatum ſuum mitteretur. Qvæ Conſtantini epiſtola apud Auguſtinum in epiſtola 68. & libr. 3. contra Creſcon. c. 70. legitur, a Baluzio qvoqve poſt geſta Felicis in miſcellan. tom. 2. p. 89. edita. Et ad hunc annum etiam referenda epiſtola, qvam Conſtantinus ad Epiſcopos de parte Donati ſcripſit, ipſis ſignificans ſemetipſum eorum cauſam præſente Cæciliano, qvem juxta literarum ſuarum mandatum propediem affuturum ſperabat, cogniturum eſſe, pollicitus ſimul, ſi vel unius criminis Cæcilianum convincere valerent, tantundem id apud ſe futurum, ac ſi omnia, qvæ ipſi intendebant, crimina probaſſent, qvæ epiſtola in editionibus qvibusdam Optati & conciliorum tomis legitur.

Ejusdem epiſtola ad Epiſcopos de parte Donati.

Donatiſtarum a concilio Arelatenſi appellatio ad Imperatorem.

LVII. Donatiſtæ enim tot judiciis victi nondum qvieſcere poterant, & qvamvis poſt Arelatenſe concilium multi damnata diabolica diſſenſione cum Cæciliano in concordiam redierint, ut Auguſtinus in epiſt. 68. teſtatur, alii tamen tam pertinaces & litigioſi fuerunt

runt, ut ab Arelatensi judicio, ut Augustinus epist. cit. refert, ad ipsum Imperatorem appellarent, importunis suis interpellationibus tandem impetrantes, ut Imperator partes Romam sibi occurrere juberet. Verum Cæcilianus statuto tempore non advenit, cujus absentiæ causam cum Augustino in epist. 162. nescire, qvam falsam comminisci volumus, qvalis eorum est, qvi Cæciliani adventum ideo retardatum putant, qvod indignum ratus fuerit, Episcopum eundemqve Africæ Primatem post duplex Episcoporum judicium hominis laici necdum baptizati judicio subjici, qvæ conjectura Baronio T. 3. annal. p. 153. edit. Romanæ displicere non videtur. Neqve dubium est, Donatistas qvoqve falsas istius absentiæ causas per calumniam Imperatori suggessisse, qvasi Cæcilianus vel causæ suæ diffideret, vel Imperatoris mandata contemneret. At Imperator nihilominus re dilata Mediolanum petens Donatistas comitatum suum seqvi, atqve ibi Cæciliani adventum expectare jussit. Donatistæ autem ægre ferentes qvod Imperator Cæcilianum absentem non illico damnasset, indeqve nihil boni ominantes fuga se subtrahere cœperunt. Qvod ubi Constantinus comperit, eos qvi nondum fuga dilapsi fuerant, ab officialibus suis custodiri & Mediolanum duci mandavit, ut Augustinus in epist. 162. testatur.

Cæciliani absentia ejusqve causa.

Donatistarum fuga.

LVIII. Interim qvi in Africam aufugerant duce Menalo, qvem ad concilium Cirtense vocatum, ne a suis civibus idolis thurificasse proderetur, oculorum dolorem simulasse Optatus libr. 1. memorat, magnos tumultus excitarunt, ut constat ex epistola Constantini ad Celsum Africæ Vicarium, qvi Imperatorem deturbis

Turbæ in Africa Duce Menalo.

Constantini epistola ad Celsum.

bis illis certiorem fecerat. Legitur illa epiſtola, qvam Benedictini in appendice ad tom. 9. Auguſtini p. 25. ad annum 315. vel 316. referendam exiſtimant, in appendice Optati, Labbei conciliis, Baronii annalibus & alibi. Addi vero ſolet huic epiſtolæ & alia ad Celſum epiſtola a Petronio Anniano & Juliano Præfectis prætorio ſcripta, qva indicant, Donatiſtis Africam repetentibus Imperatoris juſſu angarialem cum annonaria competentia uſqve ad Arelatenſem portum conceſſam, per angarialem nihil aliud qvam epiſtolam tractoriam intelligentes. Scripta autem videtur hæc epiſtola, qvam etiam una cum Conſtantini epiſtola ad Ælafium & epiſtola concilii Arelatenſis ad Sylveſtrum inter qvorundam veterum Theologorum Galliæ ſcripta Pithœus edidit, illo tempore, qvo Conſtantinus cauſam Donatiſtarum & Cæciliani ab amicis ſuis ad hoc negotium delectis in Africa componi decreverat, eumqve in finem Donatiſtas in Africam reverti juſſerat, etſi poſtea conſilium ſuum iterum mutaverit, ut ipſe in epiſtola ad Epiſcopos de parte Donati teſtatur.

Petronii, Anniani & Juliani ad Celſum epiſtola.

Cæciliani ad Imperatorem Mediolani verſantem adventus.

LIX. Cæterum cum Conſtantini literæ ad Celſum, qvibus ſe in Africam venturum & in turbarum Autores graviter animadverſurum indicaverat, paulo aſperiores viderentur, Cæcilianus non cunctandum ſibi ratus in Italiam trajecit, & ad Imperatorem, ad qvem pridem evocatus fuerat, Mediolani adhuc verſantem accurrit, qvo facto Cæcilianum pariter ejusqve adverſarios audivit, & tandem utriusqve partis allegationibus diſcuſſis pro Cæciliano ſententiam dixit, eumqve innocentem declaravit, qva de re Auguſtinus epiſt. 68. & 162. & libr. 3. contra Creſcon. c. 71. videatur. Et hoc Conſtantini judicium remotis arbitris factum eſt, ut ipſe

Con-

Constantinus retulit in epistola ad Eumalium Africæ Vicarium apud Augustinum in brevic. coll. 3. c.19. Data autem fuit illa epistola Sabino & Rufino Coss. h. e. anno æræ Christianæ 316. 4. id. Novembris, ut refert Augustinus in tract. post collationem c.33. ubi in nonnullis Augustini editionibus perperam Romalius pro Eumalio ponitur, qvemadmodum & l. 3. contra Cresconium c. 71. *alius Vicarius* pro Eumalio Vicario librariorum vitio scribitur. Remotis autem arbitris Constantinus hoc judicium peregit, ne christianorum dissidia paganis innotescerent, ut Valesius in dissert. de schism. Donatistarum observat.

Constantini M. epistola ad Eumalium.

LX. Mediolanense hoc Imperatoris in Cæciliani & Donatistarum causa judicium Jacobus Godofredus in chronologia codicis Theodosiani factum esse putat Constantino IV. & Licinio IV. Coss. h. e. A. C. 315. siqvidem hoc anno Imperatorem Romæ & Mediolani, seqventi vero A. 316. ad qvem pleriqve hoc Imperatoris judicium referunt, in Gallia versatum leges codicis Theodosiani docent. Nihilominus tamen Godofredi sententiæ communem præferendam censet Antonius Pagi ad A. C. 316. n. 16. qvi etiam in hac qvæstione Henricum Norisium in historia Donatistarum versatissimum consuluit, & responsum tulit, Constantinum non modo Romæ hoc anno fuisse, sed & decennalia sua ibi celebrasse, indeqve Mediolanum se contulisse, & ibi judicium adversus Donatistas tulisse.

Godofredi sententia de tempore, qvo Imperator Cæciliani causam dijudicavit.

LXI. Donatistæ autem qvoties autoritate hujus judicii per Constantinum facti premebantur, varia effugia qværebant. Modo enim Imperatorem nescio qva gratia corruptum dicebant, modo Osii Corduben-

Donatistarum cavillationes adversus Mediolanense Imperatoris judicium.

 sis

sis Episcopi impulsu sententiam contra se latam causabantur, ut videre est apud Augustinum libr. 1. adversus epist. Parmen. c. 6. & in l. 3. contra Cresconium c. 61. Qvin etiam Cæcilianum Imperatoris sententia absolutum negabant, & se in ipso judicio superiores fuisse fingebant, ut refert Augustinus in epist. 50. & in libro post collat. scripto c. 16. idqve in collatione Carthaginensi ex Optato Milevitano probare conabantur, scribente, qvod Cæcilianus Imperatoris jussu Brixiæ detentus fuerit. Verum cum ista verba nullam Cæciliani condemnationem continerent, & ex collatione antecedentium, & conseqventium manifestum fieret, Optatum Donatistis, qvi eum pro sua causa allegaverant, plane adversari, risum auditores tenere non poterant, qvi etsi a Notariis exceptus non fuisset, perire tamen Donatistæ ejus memoriam non siverunt, dum se derisos qvererentur, & qverela hac efficerent, ut de ipsorum irrisione ex actis publicis constaret. Conferatur Augustinus brevic. collat. 3. c. 20. post collat. c. 31. & epistola 152.

LXII. Cæcilianus igitur post Romanum & Arelatense concilium etiam in Mediolanensi ipsius Imperatoris judicio a criminibus, qvæ ipsi Donatistæ objecerant, absolutus est. Constantinus enim Magnus juxta Augustinum epist. 162. Cæcilianum innocentissimum & Donatistas improbissimos judicavit. Unde Pappus in epit. hist. eccl. p. 97. Donatum post causam ter apud diversos judices actam falsitatis reum deprehensum fuisse scribit. Intelligit autem, ut ex antecedentibus verbis liqvet, Donatum Numidam, de qvo asserit, qvod in Carthaginensi episcopatu Cæcilianum

Pappus, Danæus, & alii notantur.

lianum sibi prælatum doluerit, ideoqve sese ab ecclesiæ communione secreverit, & Cæcilianum abjuratæ fidei christianæ accusaverit. Qvod etiam a Danæo in notis ad Augustinum de hæresibus c. 69. & aliis assertum video, etsi id minus accurate assertum videatur. Botrus enim & Cælesius Cæcilianum in episcopatu Carthaginensi sibi prælatum dolentes, cum Lucilla & Senioribus qvibusdam ob alias causas Cæciliano infensis conspirarunt, tandemqve effecerunt, ut Majorino adversus Cæcilianum electo schisma Donatistarum conflaretur, in qva partes suas strenue egisse Donatum Numidam a Casis Nigris certum est, qvod autem Episcopatum Carthaginensem affectaverit, veterum nemo dixit, qvem si tanto studio ambivisset, se potius qvam Majorinum adversus Cæcilianum Carthaginensis ecclesiæ Episcopum fieri curasset.

LXIII. Cæterum Optatus, ut in orbitam redeamus, cum Cæcilianum Brixiæ detentum scribit, qvem locum Donatistæ juxta Augustinum lib. 3. contra Cresconi. c. 71. de Cæciliani exilio interpretabantur, hæc verba præmittit: *eodem tempore Donatus petit, ut ei reverti ad Carthaginem contingeret.* Qvæ verba in Germanensi codice ita leguntur, qvasi eo tempore Donatus petiverit Africam repetendi facultatem eo pacto, ut nec ad Carthaginem accederet. Sic enim verba illius codicis habent: *ut ei reverti licuisset, & nec ad Carthaginem accederet,* ut videri potest apud Benedictinos in appendice ad Tom. IX. Augustini, qvibus p. 17. improbabile videtur, Donatum Casensem jam damnatum repetendi Carthaginem, ubi turbas fecerat, licentiam petivisse, qvod tamen adeo improbabile non videtur. Addit deinde Optatus explicatur.

Opta-

Optatus: *tunc duo Episcopi Eunomius & Olympius in Africam missi sunt, ut remotis duobus unum ordinarent.* Verum in Germanensi codice verba illa: *ut remotis duobus unum ordinarent* omissa deprehenduntur. Venisse enim videntur Eunomius & Olympius Carthaginem, non ut utrumqve episcopum Carthaginensem removerent, sed ut Cæcilianum in sede sua stabilirent, & damnatum a Catholicis Donatum denunciarent. *Venerunt*, inqvit Optatus, *Carthaginem, fuerunt per dies qvadraginta, ut pronunciarent, ubi esset catholica. Hoc seditiosa pars fieri passa non est. De studio partium strepitus quotidiani sunt habiti, novissima sententia eorum Episcoporum Eunomii & Olympii talis legitur: ut dicerent illam esse catholicam, quæ esset in toto terrarum orbe diffusa, & sententiam decem & novem Episcoporum jamdudum datam dissolvi non posse. Sic communicaverunt Clero Cæciliani & reversi sunt.* Num vero hæc post Arelatense concilium & Constantini judicium contigerint, ut Balduinus censuit, an statim post concilium Romanum, qvod cum Optato melius congruere Baronius & Mericus Casaubonus statuerunt, in medio nunc relinqvimus, illud tantum observantes, Constantinum in hoc negotio jure suo usum esse, nec potestatis suæ limites alieni juris usurpatione excessisse, qva de re Leydeckerus in histor. Afric. T. 2. p. 290. & ex ipsis Pontificiis Natalis Alexander dissert. 5. seculi 4. videatur.

Eunomii & Olympii Legatio in Africam.

LXIV. Post Constantini judicium nondum qviescentibus Donatistis, cum Catholicis in Africa multas molestias crearent, Imperator peculiari epistola, qvæ in Optati appendice legitur, episcopos & plebem Africæ ad patientiam hortatus est, & cum Donatistæ in urbe Cirte seu Constantina basilicam, qvam Constantinus

Constantini epistola ad Episcopos & plebem Africanam.

nus extrui jusserat, catholicis eripuissent, & præterea effecissent, ut Clerici ad Decurionatum aliasqve hujusmodi functiones traherentur, in alia epistola ad Episcopos Numidiæ, qvæ itidem in Optati appendice legitur, catholicis pro nova basilica extruenda locum & sumtus concessit, & decretum de Clericis ad ejusmodi munia non vocandis a se renovatum indicavit. Qvam epistolam ad Episcopos Numidiæ Benedictini in append. ad Tom. IX. August. p. 27. ad annum 317. vel 318. referendam arbitrantur. Epistola ad Episcopos Numidiæ.

LXV. Turbas autem illas Constantinæ exortas Silvanum excitasse, qvem civitatis hujus Episcopum Traditores in concilio Cirtensi fecerant, haud immerito suspicatur Valesius in dissert. de schism. Donat. c. 15. qvi simul addit, Silvanum paulo post debitas istarum turbarum pœnas persolvisse, qvod contigit, cum eum coram Zenophilo Consulari Numidiæ Nundinarius Diaconus injusta degradatione exacerbatus sacrorum voluminum traditorem & cum aliis Episcopis Lucillæ pecunia corruptum prodidit & probavit, cujus rei gesta in appendice Optati, conciliorum tomis & Baluzii miscellaneis extant, allegata etiam ab Augustino. libr. 3. contra Crescon. c. 28. & 29. item epist. 162. & 165. Facta autem dicitur illa in Silvanum inqvisitio Constantino Max. Aug. & Constantino jun. nobil. Cæs. Coss. h. e. A. C. 320. idib. Decembr. Unde Baronius erravit, qvi ista apud Zenophilum gesta ad A. C. 306. retulit, refutatus eo nomine a Valesio c. 3. & 16. qvi observat Baronium in hunc errorem inductum, qvod apud Augustinum corrupte legeretur *Constantio Max. Aug. & Constantino junior. &c.* qvæ nomina de Constantio Chloro & Inqvisitio in Silvanum. Baronii error.

Constantino Magno interpretatus est. Corruptam autem esse illam lectionem & A. 306. hæc apud Zenophilum acta fieri minime potuisse pluribus argumentis Valesius probavit, qvæ hic repetere supersedemus. Silvanus vero, cum prædictorum criminum convictus fuisset, ab Imperatore exilio multatus fuit, etsi alias illius exilii causas Cresconius finxerit, qvas refellit Augustinus libr. 3. c. 30.

Silvanus ad exilium damnatus.

LXVI. Nec Silvanus modo in exilium missus est, sed & alios Donatistarum duces ac principes merita relegarunt sua, ut Optatus libr. 2. p. 47. testatur. Idem Constantinus cum Donatistas lenitate sua abusos animadvertisset, loca publica, ubi congregabantur, fisco vendicari, & basilicas ipsis severissima lege auferri jussit, ut refert Augustinus epist. 68. & lib. 2. adv. lit. Petil. c. 92. Qvin & qvosdam ad campum i. e. ad supplicium duci jussit, qvod Hosio suggerente factum dicit Parmenianus apud August. lib. 1. contra Parmen. c. 8. Unde sæpissime Augustinus Donatistas cum Danielis adversariis comparat, qvi a leonibus, qvibus Danielem devorandum sibi persvadebant, ipsi devorati sunt.

Aliorum Donatistarum exilia.

Aliæ Donatistarum pœnæ.

LXVII. Verum ista Imperatoris in Donatistas severitas diuturna non fuit. Cum enim oblato libello, cujus mentio in collat. Carthag. cogn. 3. c. 544. & seqv. qvorum tituli tantum supersunt, & in brevic. collat. d. 3. c. 21. injicitur, libertatem religionis suæ & exilii relaxationem postulassent, Constantinus eorum desideriis obtemperavit, scripsitqve eo nomine ad Vicarium Africæ, ut patet ex collat. Carthag. cogn. 3. c. 549. & 550. qvi Vicarius apud Augustinum in tract. post collat. c. 33. Valerius vel juxta alios codices Valerianus, & in epi-

Exilia Donatistarum relaxata.

Constantini epistola

epiſtola 152. rectius Verinus dicitur & juxta Baluzium in not. ad tom. 2. miſcell. p. 474. non diverſus eſt ab eo, cui Felicis Aptungitani cauſam Imperator qvondam demandaverat.

ad Vicarium Africæ.

LXVIII. Ignominioſam autem Donatiſtis hanc indulgentiam fuiſſe Auguſtinus in tract. poſt collat. c. 31. aſſerit, qvia Imperator in epiſtola ad Vicarium Africæ Donatiſtas furori ſuo relinqvendos & divinæ ultioni ſervandos dixerat. Conferatur etiam breviculus collat. 3. c. 22. Et tempus qvidem relaxati exilii notavit Auguſtinus, cum in tract. poſt collat. c. 33. eam factam eſſe ſcribit Criſpo & Conſtantino iterum Conſul. h. e. A. C. 321. 3. Non Maj. anno 4. & menſe fere ſexto poſt literas ad Eumalium de Cæciliani abſolutione datas. Sed qvo primum anno Donatiſtæ in exilium miſſi fuerint, determinari non poteſt, etſi Antonius Pagi ex Auguſtini loco modo allegato colligat, eodem anno qvo Cæcilianus Mediolani a Conſtantino abſolutus eſt, etiam Donatiſtas ejectos in exilium fuiſſe, cujus conſeqventiæ neceſſitas nulla mihi apparet, ſiqvidem Auguſtinus non durationem exilii, ſed tempus, qvod inter Cæciliani abſolutionem & libertatem Donatiſtis redditam interceſſit, determinare voluit.

Qvando finitum fuerit Donatiſtarum exilium & qvamdiu duraverit.

LXIX. Et hac Conſtantini lenitate efferati Donatiſtæ maximos in Africa tumultus excitarunt, ad qvos Euſebius libr. 1. de vita Conſtantini c. 45. reſpicere videtur, cum ait, Conſtantinum eos, qvi ad ſanam mentem revocari non poterant, Deo puniendos reliqviſſe, & nihil aſperius adverſus eos deſignaſſe, & hanc ob cauſam nonnullos, qvi in Africa ſeditionem commoverunt, eo improbitatis prorupiſſe, ut nefanda qvædam

Turbæ Donatiſtarum ab exilio reverſorum.

facinora tentarent. Neqve minus ad Donatiſtarum turbas reſpicit Conſtantinus in literis ad Alexandrum & Arium apud Euſebium libr. 2. de vita Conſtantini c. 66. Scribit enim ob qvosdam, qvi temeraria levitate religionem in varias ſectas diſcindere auſi fuerint, intolerabilem qvandam inſaniam totam Africam corripuiſſe; Conſtantinum autem qvo minus de pace Africanis eccleſiis reddenda ſerio cogitaret, non ſolum bellum cum Licinio, ſed etiam novæ turbæ ab Ario motæ retardarunt, qvibus componendis A. C. 325. habendum Nicææ in Bithynia generale concilium indixit.

Cæcilianus Nicæno concilio interfuit.

LXX. Et huic Nicæno concilio Cæcilianum Carthaginenſem Epiſcopum interfuiſſe, præter ſubſcriptiones illius concilii teſtantur Gelaſius Cyzicenus libr. 2. de conc. Nicæn. c. 27. Codex canonum eccleſiæ Africanæ p. 333. (edit. 2.) concilium Conſtantinopolitanum generale V. collat. 5. Hincmarus Remenſis in tractatu contra Hincmarum Laudunenſem capitul. 21. T. II. Operum Hincmari p. 463. Atqve hinc in archivis eccleſiæ Carthaginenſis non deerant acta concilii Nicæni, qvæ Cæcilianus in Africam redux ſecum attulerat, e qvibus poſtea Epiſcopi Romani, cum ſub prætextu canonis alicujus Nicæni jus appellandi ad Romanam ſedem ſibi arrogarent, fraudis argui poterant, imprimis cum etiam exemplaria ab Attico Cplitano & Cyrillo Alexandrino transmiſſa conferrentur, qva de re nunc non eſt differendi locus. Donatiſtas autem qvantum ſpectat, eorum nemo concilio Nicæno interfuit. Unde de Nicæni concilii communione non æqve gloriati ſunt, ac de concilio Sardicenſi, qvod ad Donatum literas dediſſe jactabant, qvam gloriationem ab Auguſtino in diſputatio-

Donatiſtæ a Nicæno concilio abſfuerunt.

De Sardicenſis concilii communione

tatione cum Fortunio retusam legimus. Cum enim Fortunius producto volumine probare niteretur, Episcopos in concilio Sardicensi congregatos, ad Afros ex parte Donati literas dedisse, respondebat Augustinus, Donati qvidem nomen inter cæteros Episcopos, ad qvos Sardicensis concilii epistola directa est, audiri, incertum tamen esse, qvis Donatus ille fuerit; regerebat etiam concilium illud Sardicense Arianorum fuisse, qvod inde colligebat, qvia in statutis illius concilii Athanasium Alexandrinum & Julium Romanum Episcopum improbatos ostendebat, qva de re Augustini epistola 163. legi poterit, qvi etiam de Sardicensi illo concilio cum Cresconio libr. 3. c. 34. & libr. 4. c. 44. disputat.

gloriati Donatistæ.

LXXI. Qvanta autem incrementa post relaxatum exilium ceperint Donatistæ, ex eo colligi potest, qvod concilium ex 270. Episcopis collectum Carthagine habere potuerint. Refert enim Tichonius & ex eo Augustinus in epistola 48. ad Vincentium, qvod a 270. Episcopis partis Donati concilium Carthagine celebratum fuerit, in qvo per 75. dies postpositis omnibus præteritis limata est sententia, & decretum, ut Traditoribus, si rebaptizari nollent, pro integris communicaretur. Addit Augustinus ex eodem Tichonio, qvod Deuterius Macrinensis Episcopus e communione Donatistarum secundum statuta illius concilii cum Traditoribus unitatem fecerit, & huic ipsi Deuterio post hoc factum jugiter communicaverit Donatus, *nec solum huic Deuterio*, addit Augustinus, *sed etiam universis Maurorum Episcopis, qvos dicit* (Tichonius) *usqve ad persecutionem per Macarium factam Traditoribus sine baptismo communicasse.* Cujus con-

Carthaginēse Donatistarum concilium.

Acta & decreta illius concilii.

Tempus hujus concilii. concilii nullum alibi reperire est vestigium, ut Benedictini ad hunc locum observant, addentes, qvod non ante annum 330. celebratum videatur. Et certe improbabilis videtur assertio Baronii, qvi hoc concilium Donatistarum an. 308. celebratum opinatur, cum illo tempore Donatistarum schisma nondum exortum fuerit, ut Valesf. c. 3. de schism. Donatist. notavit. Neqve etiam, si ponamus jam anno 308. schisma Donatistarum conflatum fuisse, tantus Episcoporum schismaticorum numerus sub initium illius schismatis esse potuisset, unde etiam Balduinus, qvi in tempore hujus concilii Baronio præivit, suspicatur, mendosum esse hunc numerum in Augustino, & pro ducentis septuaginta forte tantum septuaginta legi debere. Verum cum numerus 270. Episcoporum bis apud Augustinum repetatur, eum non temere imminuendum esse monet Schelstratenus in eccles. Afric. diss. 3. c. 2. p. 128.

LXXII. Si qvis objiciat, Augustinum asserere, qvod hoc schismaticorum concilium 40. annis ante Macarianam expeditionem habitum fuerit, qvæ circa annum 348. contigit, unde seqvitur, concilium illud Carthaginense non serius qvam anno 308 haberi potuisse, respondet Valesius, ex Augustini verbis id probari non posse, cum Augustinus tantum dicat, Donatum Deuterio per qvadraginta annos, & Maurorum Episcopos usqve ad Macarianam persecutionem Traditoribus absqve baptismo communicasse. Qvin etiam suspicatur, verba Augustini ita legenda esse: *nec solum Deuterio, sed etiam universis Maurorum Episcopis qvos dicit per qvadraginta annos usqve ad persecutionem à Macario factam Traditoribus sine baptismo communicasse;* Qva lectione posita Augustinus vel potius Tichonius asseruit, Mauros a primis

mis initiis schismatis Donatistarum usqve ad Macariana tempora per qvadraginta circiter annos Traditoribus sine iteratione baptismi communicasse. Si autem vulgata Augustini lectio retineatur, & qvadraginta anni ad Donati cum Deuterio & Mauris communionem referantur, asserendum est, Donatum Majorini successorem, a qvo præcipue Donatistæ appellati sunt, per annos 40. Carthaginis Episcopum fuisse. Illum enim Donatum hic Augustinus intelligere videtur, qvo etiam Præside hoc concilium habitum fuisse, a vero non alienum est.

LXXIII. Et hic ipse Donatus Carthaginensis schismaticorum post Majorinum Episcopus, si Optatum libr. 3. p. 67. audiamus, apud Ezechielem c. 28. per principem Tyri intelligitur, qva interpretatione genuinum Prophetæ sensum non tam expresit, qvam instituto suo accommodavit. Cæterum ille Donatus inter primos numerandus est, qvorum opera schisma Donatistarum roboratum & confirmatum fuit, cujus rei gratia etiam scripta qvædam edidit. Nam ut Hieronymus in catalogo script. eccles. c. 93. memorat, non solum librum de Spiritu S. Ariano dogmati congruentem, sed etiam multa ad suam hæresin pertinentia opuscula vulgavit, qvæ tamen pridem perierunt.

Donatus juxta Optatum ab Ezechiele prædictus.

Donati scripta

LXXIV. Successit hic Donatus Majorino circa A. C. 329. cum hoc anno in Hieronymi chronico collocetur his verbis: *Donatus agnoscitur, a qvo per Africam Donatiani.* A qvo calculo non multum abest Prosper in chronico integro, qvod Labbeus in bibliotheca nova MSCtorum edidit. Refert enim p. 40. Donatum ad consulatum Januarii & Justi, qvi A. C. 328. Consules fuerunt.

Qvo anno Majorino successerit.

runt. Fuit autem ille annus Constantini Imperatoris 23. Unde in Hieronymi chronico annus 22. Constantini rectius cum anno Christi 327. qvam cum anno 329. connecteretur. Verum num præcise illo anno Donatus Majorino successerit, determinari non potest. Nam & ante Episcopatum agnosci potuit, qvamvis Donatianorum nomen ante ejus episcopatum nondum agnitum videatur, cum prius a Majorino pars Majorini dicerentur, qva de re jam supra thesi 23. 24. & 25. aliqvid dictum est, ubi & de tumore hominis discipulorum adulationibus palpato nonnulla attulimus.

Fastus Donati.

LXXV. Tanta scilicet superbia Donatus inflatus fuit, ut divinos honores affectaret, & homines per suum nomen jurare pateretur, & de sociorum oblationibus nihil accipere dignaretur, sed solus secreto nescio qvid ageret, & postea cæteris se perfunctorie misceret, si vera sunt, qvæ Optatus libro 3. p. 67. de eo refert, ubi superbiam ejus prolixe exagitat. Et qvamvis forte affectibus suis aliqvid indulgens, ac ut oraculum Ezechielis de Tyri principe eo melius ad Donatum Carthaginis Episcopum applicare possit, Optatus modum in exaggeranda ejus superbia excedat, dubium tamen non est, magnam in Donato superbiam fuisse, qvæ tanto magis crevit, qvanto magis se a sectatoribus suis coli & æstimari sensit. Sane Titianus Advocatus apud Augustin. libr. 3. contra Crescon. c. 56. Donatum commendat ut virum venerabilem, qvi ecclesiæ catholicæ sanctitatem ab errore perfidiæ asseruerit, & in cujus nomen & cultum mundi pœne totius observantia nutrita coaluerit.

Donati visiones.

Majoris autem autoritatis sibi conciliandæ gratia Donatus suis persvadebat, oranti sibi Deum e cœlis respondisse,

diſſe, ut refert Auguſtinus tract. 13. in Johannem, qvi etiam in libro de unitate eccleſiæ miracula & divinas apparitiones a Donato jactatas perſtringit.

LXXVI. Donati hujus ſectatores a qvibusdam Montenſes appellari ſcribit Hieronymus in chronic. ad A. C. 356. eo qvod eccleſiam Romæ primum in monte habere cœperint. Donatus enim ut Romæ qvoqve partem ſuam haberet, Victorem Garbienſem ex Africa in Italiam miſit, qvi paucis erraticis Romæ verſantibus Epiſcopi loco præeſſet. Cui Victori poſtea Bonifacius, Encolpius, Macrobius, Lucianus & Claudianus ſucceſſere, qvi cum exiguo ſuo grege, qvem Romæ collegerunt, juxta Optatum libr. 2. extra urbem in ſpelunca gradibus, ſeu, ut Germanenſis Optati codex legit, cratibus ſepta conventicula ſua habuerunt, indeqve Montenſes appellati ſunt. Conferatur etiam Auguſtinus de hæreſ. cap. 69. Autor Prædeſtinati lib. 1. ſect. 69. Pſeudo-Hieronymus in indicul. hæreſ. pag. 24. Gennadius in catal. Script. eccleſiaſt. cap. 5. & Codex Theodoſianus leg. 43. tit. de hæret. Unde qvodammodo colligi poteſt Epiphanium Novatianos cum Donatiſtis confudiſſe, cum in Ancorato c. 13. Novatianos Romæ Montenſes dictos aſſerit; niſi forte etiam Novatiani Montenſes appellati ſunt, qvia Feliciſſimus Novati ſatelles conventicula ſua in monte habuit, ut ex epiſtola 41. Cypriani conſtat. Colligi vero etiam ex dictis poteſt, erraſſe Eraſmum, cum in notis ad Hieronymi dialogum adverſus Luciferianos per Montenſium nomen ad Montanum alludi ſuſpicatus eſt, & Victorium cum in indice operum Hieronymi Montenſes, qvorum Hieronymus meminit, Montani ſectatores fuiſſe aſſeruit. Nam Hieronymum per Montenſes non Montani

Montenſium nomen cur Donatiſtis datum.

Montenſes etiam Novatiani cognominati.

Eraſmi error, & Victorii.

asseclas sed Donatistas intelligere, ex eo manifestum est, qvod Reticium Romam ad Montensium causam missum fuisse dicit. Et hos Montenses Philastrius c 82. de hæres. Montanistas appellat, qvos non a Montano Hæresiarcha sed a locis montanis appellatos scribit.

Donatistæ Campitæ dicti

LXXVII. Conjungit Hieronymus cum Montensibus in dialogo contra Luciferianos Campitas seu Campates, unde Donatistas isto qvoqve cognomento signatos fuisse liqvet. A qvibus diversi fuerunt Campenses, qvos Hieronymus in epist. 57. cum Tharsensibus hæreticis conjungit. Qvin etiam Rupitas Donatistas cognominatos intelligimus ex Augustini tract. de unit. eccl. c. 3. qvi etiam in epistola 165. eosdem Cuzupitas appellat, pro qva voce Corrupitas legi malit Baronius ad A. C. 321. In indiculo hæresium, qvi sub Hieronymi nomine prodiit, p. 23. Gotispitæ appellantur, apud Isidorum libr. 8 origin. c. 5. Cotopitæ, apud Gratianum part. 2. decret. caus. 24. qv. 3. Scototopici. Cotelerius autem in T. 1. eccles. græc. monument. p. 789. vel græcæ originis voce a tenebrosis locis Scototopitas, vel latinæ originis vocabulo Casorupitas appellatos conjicit, qvod casas in rupibus haberent, vel rupibus casarum loco uterentur. In duobus codicibus Vaticanis Augustini Cutrunpitas, in plerisqve autem MSC. Cutzupitas & in Corbejensi Isidori codice Contopitas legi observant Benedictini T. II. Operum Augustini p. 121. ubi certi aliqvid, qvod de hoc nomine afferant, non inveniunt.

Rupitæ.

Cuzupitæ.

Variæ hujus nominis lectiones.

Cotelerii conjectura.

Episcopus a Donatistis in Hispaniam missus

LXXVIII. Non solum autem Romam sed in Hispaniam qvoqve Donatistæ ex Africa Episcopum miserunt, qvi unius mulieris domui præfuit, si fides adhibenda

benda Augustino libr. 2. contra liter. Petil. c. 108. & de unitate eccles. c. 3. Et hanc Hispanam mulierem Lucillam fuisse suspicatur Balduinus in not. ad Optatum, a qvo dissentit Leydeckerus ad Augustin. de unit. eccles. c. 3. cum Lucilla non in Hispania sed Carthagine habitaverit, & eo tempore, qvo in Hispaniam Donatistæ Episcopum suæ partis mittebant, jam mortua fuisse videatur. Qvin alium qvoqve ad ignotum qvendam extra Africam locum Donatistæ Episcopum miserunt, ut asseclas suos a deserendo schismate prohiberet. Id enim colligi potest ex Augustini libr. 3. contra Crescon. c. 63. ubi ait: *partem Donati audes præponere, dicens, qvod & præter Africam nescio qvos habetis, qvibus tamen non apparentibus ex Africa vos mittere Episcopos non negatis, unum, aut duos, aut ut multum tres &c.* Et in ignotum extra Africæ locum.

LXXIX. Verum in exteris regionibus tantam insaniendi licentiam non habuerunt Donatistæ, qvantam sibi in Africa sumserunt, ubi Circumcellionum vel Circellionum auxilio usi sunt, sic dictorum, qvod victus sui causa circum cellas rusticanas vagarentur, ut Augustinus hoc nomen interpretatur in Ps. 132. & libr. 1. contra Gaudentium c. 28. qvi etiam in libello de hæres. c. 69. hoc hominum genus agreste & famosissimæ audaciæ appellat. Specimina qvædam hujus audaciæ recenset Optatus libr. 3. c. 71. ubi a Circumcellionibus sæpe Dominos vehiculis suis excussos & ante mancipia sua currere coactos, & creditores, ut debitorum suorum chirographa expungerent compulsos memorat. De ecclesiis incensis, domibus direptis & expoliatis, aliisqve Circumcellionum facinoribus, qvibus non dico ecclesiastica sed humana pax & qvies turbata fuit, Augusti- Circumcelliones. unde dicti. Impia eorum facta.

 nus

nus epist. 122. & 256. item l. 3. contr. Gresc. c. 43. in tract. post collat. c. 17. & plurimis in locis passim qveritur.

Eorum arma.

LXXX. Et ad exercenda hæc publica latrocinia fustibus primum utebantur, qvos Israelem appellabant, ut Augustinus in Ps. abcdario contra partem Donati & in enarratione Ps. 10. testatur. Qvo armorum genere juxta prædictum Ps. abcdarium nonnullos ita qvassabant, ut post longos cruciatus morerentur, alios autem qvibus melius favebant uno ictu trucidabant. Temporis vero successu non solum fustes tornare consveverunt, sed ferrum etiam vibrare & fundas circumagere didicerunt, fustibusqve secures, lanceas & gladios addiderunt, & horrendis cujusq; generis telis se armarunt, ut docet Augustinus l. 2. contra Petil. c. 88. & 96. libr. 1. contra Parmen. c. 7. libr. 3. contra Crescon. c. 43. Sæpe etiam calcem in adversariorum oculos vibrarunt, & cum eos, qvibus hoc fecerant, cito oculorum salutem reparasse didicissent, acetum calci miscuerunt, ut refert Augustinus lib. 3. contra Crescon. c. 42. qvi etiam calcis aceto mixtæ meminit in epist. 68. ubi hanc excæcandi artem incredibilem sceleris excogitationem appellat, & in brevic. collat. 3. c. 11. ubi refert Donatistis objectum fuisse, qvod ne Diabolus qvidem, cum Jobi corpus affligendi potestatem accepisset, in ejus oculos tam crudelis fuerit, ad qvam exprobrationem Donatistæ nihil aliud respondebant, qvam Catholicos Diaboli defensores esse.

Circumcellionum libidines.

Accessit & hoc ad Circumcellionum flagitia, qvod, etsi juxta Possidium de vita Augustini c. 10. tanqvam in professione continentiæ ambularent, fœminas tamen gregibus suis admixtas habuerint, innuptas qvidem sed non incorruptas, cum

qvi-

qvibus vinolenta convivia agere, pernoctare, aliaqve continentiæ professioni minus congrua perpetrare solebant, ut Autor est Augustinus libr. 2. contra Parmen. c. 3. & 9. & l. 3. c. 3. libr. 2. contra Petil. c. 88. Haud igitur mirandum, qvod Donatistas communionis & commercii cum Circumcellionibus nonnunqvam puduerit, ut se hoc hominum genus ignorare, vel saltem illud ad se non pertinere fingerent, qvibus respondet Augustinus libro 1. contra Parmen. c. 7.

LXXXI. Qvid autem facinora Circumcellionum meruissent, ipsi prodiderunt, dum ultro sibi mortem consciverunt, crudelissimi scilicet in mortibus alienis, vilissimi in suis, ut loqvitur Augustinus lib. 2. contra Gaudentium c. 20. Conferatur etiam Optatus libr. 3. p. 72. & Philastrius de hæres. c. 84. ubi qvosdam ex Circumcellionibus, seu ut ipse loqvitur, Circuitoribus, velut biothanatos mori scribit, de qva voce Baronius ad A. C. 138. de la Cerda ad Tertullianum p. 428. Cangius in glossario mediæ latin. p. 558. & med. græcit. p. 201. & alii videantur. Imprimis vero per præcipitia, aqvas & ignes semet ipsos necare consveverant, ut refert Augustinus de hæres. c. 69. qvod diabolo instigante factum idem Augustinus epist. 50. & libr. 2. contra Gaudentium c. 19. & 28. ex eo probat, qvia Diabolus Christo, ut se de templi fastigio præcipitem daret, persvadere conatus est, & porcos, in qvos Christo permittente ingressus fuerat, aqvis submersit, & dæmoniacum qvendam modo in aqvas modo in ignes conjecit. Et desperatam hanc Circumcellionum insaniam etiam fœminæ qvædam imitatæ sunt, e qvarum præcipitiis ea- Eorum αὐτοχειρίαι.

rum ſtupra patuiſſe Auguſtinus libr. 2. contra Gaudentium c. 27. memoriæ prodidit.

Circumcelliones interdum ſe aliis occidendos obtulerunt.

LXXXII. Nonnulli vero ex perditiſſimo illo hominum genere non ipſi qvidem vitam ſibi adimebant, ſed aliis tamen occidendos ſe offerebant, mortem illis, ni id facerent, minati. Et Pagani qvidem, qvi humanas vovere cædes in Deorum ſuorum ſolennitatibus ſolebant, non inviti hoc Circumcellionibus carnificis officium præſtabant, qva de re Auguſtini epiſtola 50. & liber. 2. contra Gaudentium cap. 20. conſuli poterit. Chriſtiani vero, qvotqvot aliqvo veræ religionis ſenſu imbuti erant, ejusmodi facinus abhorrebant, e qvorum numero fuit, qvi Circumcelliones, cum ſe prius ligari permiſiſſent, non occidit, qvod illi poſtulaverant, & ipſe ſe facturum ſimulaverat, ſed virgis cæſos prætereuntium ludibrio reliqvit, ut refert Theodoretus libr. 4. de hæret. fabul. c. 6. ubi etiam memorat eos, qvi falſa martyrii perſvaſione voluntariæ morti ſe devoverunt, idqve animi propoſitum amicis ſuis ſignificarunt, omni honorum atqve officiorum genere ab aliis exceptos fuiſſe, & lautiſſimis qvibusqve cibis laute ſaginatos, ut illæ diaboli victimæ pingviores redderentur. Nec minus poſt mortem colebantur. Habebantur enim ut martyres, qvi vitam ut latrones egerant, & ad eorum ſepulchra ſocii ſociæqve vino ſe ſepeliebant, ut narrat Auguſtinus in tract. de unit. eccleſ. c. 16.

Lepida Theodoreti narratio.

Circumcelliones pſeudomartyres.

à Taurino Comite coerciti.

LXXXIII. Et hanc Circumcellionum colluviem a Taurino Comite pauliſper coercitam, multosqve occiſos & obtruncatos fuiſſe autor eſt Optatus libr. 3. p. 71. qvi addit, ipſos Donatiſtarum Epiſcopos ad declinandam, qvæ ſibi fiebat, invidiam Taurini auxilium

lium imploraſſe,& ad eum ſcripſiſſe. Cum enim Maxido & Faſir ab inſanientibus ſanctorum duces appellarentur, nulliqve in poſſesſionibus ſuis ſecurum eſſe liceret, opus videbatur, ut nefarii iſti homines a Taurino diſciplinam acciperent, qvorum detruncata corpora per dealbatas aras aut menſas ſua adhuc ætate numerari potuiſſe Optatus ibidem memorat.

LXXXIV. Idem Optatus eodem libro p. 80. verba Ezechielis XIII, 13. ad Donatiſtas applicans in dealbatum Donatiſtarum parietem primum tempeſtatem, deinde pluviam, & deniqve lapides irruiſſe ſcribit. Qvid autem per tempeſtatem, per pluviam, & per lapides intelligat, Optatus ipſe p. 74. explicare videtur, ubi ait, Donatiſtas per ordinem qverelam deponere, qvod ſub Leontio & Urſatio qvam plurimi injuriati, ſub Paulo & Macario aliqvi necati, & a ſeqventibus eorum neſcio qvi proſcripti fuerint. Sic enim verba iſta diſtingvenda eſſe Optati interpretes fere conſentiunt. Aliter tamen triplex illa plaga, qvam Optatus verbis ex Ezechiele deſumptis delineat, exponitur in codice MSC. Optati Germanenſi, ex qvo nonnulla excerpunt Monachi Benedictini in appendice ad T. IX. Operum Auguſt. In illo enim expreſſe additur, tempeſtatem fuiſſe ſub Urſatio, pluviam ſub Gregorio & lapides pluviam ſecutos ſub operariis unitatis, hoc eſt, ſub Paulo & Macario.

Locus Ezechielis ab Optato de Donatiſtis explicatus.

LXXXV. Et qvia Urſatius a Creſconio apud Auguſtinum libr. 3. contra Creſcon. c. 30. cum Zenophilo conjungitur, hinc Benedictini primam Donatiſtarum calamitatem, qvam cum tempeſtate Optatus comparat, A. C. 320. contigiſſe putant, qvo coram Zenophilo

philo inqviſitio de Silvano facta eſt. Gregorium autem, qvem Optato teſte (pag. 66.) Donatus Carthaginenſis in literis ad eum ſcriptis maculam Senatus & Præfectorum dedecus appellare veritus non eſt, Præfecti munus geſſiſſe ſub finem imperii Conſtantini A. C. 336. & 337. ex codice Theodoſiano conſtat, ut iidem Benedictini obſervarunt, qvi etiam ſuſpicantur, nomina Leontii, Urſatii, & Taurini a Donatiſtis confecta eſſe, ut Præfectis illis & Ducibus Imperatoriis, qvos ſibi graves experiebantur, invidiam facerent, qvaſi crudelitate ſua tauros, leones, & urſos adæqvarent. Verum qvia Creſconius apud Auguſtinum l. c. Urſatium cum Zenophilo conjungit, & Donatiſtæ apud Optatum Leontium & Urſatium cum Paulo & Macario conjungunt, Petilianus qvoqve apud Auguſtinum libr. 2. c. 92. Urſatium & Macarium perſecutionis ſuæ pænas dediſſe ſcribit, non video cur non etiam Zenophilo, Paulo, & Macario beſtiarum nomina affingere voluerint, ſi Leontii, Urſatii & Taurini nomina finxerunt.

Benedictinorum conjectura de nominibus Leontii, Urſatii, & Taurini. Ea rejicitur.

Macarii.

LXXXVI. Sane in actis paſſionis Marculi Donatiſtæ Paulus & Macarius cum duabus beſtiis in Africam miſſis conferuntur, & imprimis Macarius Donatiſtis adeo exoſus fuit, ut de nemine magis qveſti fuerint, & tamen ejus nomen adeo non ſuppreſſerunt, ut Catholicos, a qvibus Donatiſtæ appellabantur, qvaſi paria illis relaturi Macarianos cognominarent. Ad qvam cognominationem reſpondet Auguſtinus libr. 2. contra Petil. c. 39. Donatiſtas inſtar Caiphæ neſcientes vaticinari, cum Catholici omnino ſint de parte Macarii, qvatenus μακάριος beatum denotat. Unde etiam Petilianum ex verbis Pſ. 1. probare conantem, qvod mali in eccleſia

Catholici a Donatiſtis Macariani dicti.

clesia tolerandi non sint, hortatur, ut psalmum hunc græce legat, & sic eum ex prima statim voce deprehensurum scribit, qvod non sit probrosum esse in parte Macarii. Cæterum qvantum ad Macarium Donatistis invisum attinet, eum Augustinus epist. 161. in plerisqve ecclesiis catholicam fidem amplexis ne nomine qvidem notum esse observat, indeqve concludit, qvod perperam ab isto Macario Catholici Macariani cognominentur.

LXXXVII. Fuit autem hic Macarius, una cum Paulo Constantis Imperatoris legatus, circa Ann. 347. in Africam missus, non ut nescio qvam imaginem altari imponerent, qvod falsus in Africa rumor tulit ab Optato l. 3. p. 82. refutatus, sed ut eleemosynas pauperibus erogarent, & ecclesias Africanas Donatistarum schismate turbatas ad unitatem reducerent. Qvibus Donatus Carthaginensis Episcopus resistens nihil Imperatori cum ecclesia esse dicebat, qvi & literis in provincias missis munera a Macario & Paulo allata accipi prohibebat. Nec minus his Imperatoris legatis alius Donatus nempe Bagajensis Episcopus se opponebat armatis adversus eos Circumcellionibus, qvos Agonisticos appellabat. Cum autem Paulus & Macarius ad securitatem suam a Sylvestro Comite armatum militem postularent, & qvidam ex Sylvestri militibus a Donatistis injuria afficerentur, cæteris id vindicantibus ad cædes ventum est, qvarum culpam Donatistæ in catholicos rejicere solebant, imprimis Donati Bagajensis & Marculi, qvi a Macarianis militibus occisi ferebantur, nomina flabello invidiæ ventilantes, qvæ omnia ab Optato Milevitano libr. 3. referuntur.

Macarii & Pauli in Africam legatio.

Qvomodo a Donato accepti.

et a Donato Bagajensi.

Donatus Bagajensis & Marculus occisi.

a Donatistis inter martyres relati.

LXXXVIII. Tanti autem Donatum hunc Bagajensem & Marculum faciebant Donatistæ, ut eos cum Prophetis, Sapientibus & Scribis compararent, qvos Christus a Judæis flagellandos & occidendos prædixit. Unde Augustinus lib. 2. contra liter. Petil. c. 13. *ostendite*, inqvit, *si potestis, qvem Prophetam, qvem Sapientem, qvem Scribam occiderimus, & crucifixerimus, & flagellaverimus in synagogis nostris. Attendite qvanto labore impenso nullo modo probastis, qvod Donatus & Marculus Prophetæ fuerint* &c. Non solum autem negabat Augustinus Donatum illum & Marculum cum Prophetis a Christo missis comparandos esse, sed etiam incertum esse dicebat, num Donatus & Marculus potestatis alicujus jussu occisi fuerint, an forte more Circumcellionibus non inusitato semetipsos præcipitaverint. Nam in eodem libro c. 20. Donatistas ita alloqvitur: *illi autem, de qvibus maximam invidiam facere soletis Marculus & Donatus, ut moderatius dixerim, incertum est, utrum se ipsi præcipitaverint, sicut vestra doctrina non cessat qvotidianis exemplis, an vero potestatis alicujus jussu præcipitati sint*. Qvod in tract. XI. in Johannem his verbis repetit: *proferunt nobis* (Donatistæ) *nescio qvos in persecutione suos martyres, ecce Marculus de petra præcipitatus est, ecce Donatus Bagajensis in puteum missus est. Qvando potestates Romanæ talia supplicia decreverunt, ut præcipitarentur homines? qvid autem respondent nostri? qvod gestum sit nescio, &c.* Etsi autem qvid circa Donati & Marculi mortem gestum fuerit se nescire catholici profiterentur, credibilius tamen illis videbatur, qvod Marculus & Donatus sibimetipsis mortem consciverint, ut ex eodem Augustini loco patet, qvi etiam l. 3. contra Crescon. c. 49. Donatistis exprobrat, qvod volun-

voluntarias suorum mortes in Catholicos mentiendo transferant, idqve Marculi exemplo probat, cujus voluntarium præcipitium se audivisse dicit, & hoc longe credibilius esse asserit, qvam aliqvam potestatem Romanam hoc supplicium Romanis legibus insolitum ipsi intulisse.

LXXXIX. At Donatistæ Marculum suum inter Martyres referre minime dubitabant, unde in collatione Carthaginensi cognit. 1. c. 187. Dativus Episcopus Novapetrensis Deum in die judicii Marculi sangvinem exacturum asserebat. Qvin & acta passionis Marculi a Donatista qvodam literis consignata sunt, qvæ publici juris fecit Mabillonius in analectis suis T. IV. p. 105. & seqv. Et in his actis passio hujus Marculi Traditorum, qvo nomine per calumniam orthodoxi perstringuntur, scelere consummata dicitur, & prolixe recensetur, qvomodo cum Marculus mundanis literis relictis a calumniis tribunalium & forensibus negotiis ad ecclesiam & sacerdotii dignitatem pervenisset, subito de Constantis Regis tyrannica domo Macarianæ persecutionis rumor increbuerit, duabus bestiis ad Africam missis Macario & Paulo, qvi populum christianum ad faciendam cum Traditoribus unionem nudatis militum gladiis & draconum signis & tubarum vocibus cogere ausi fuerint. Narratur porro qvod Macarius, cum hoc sangvinis negotium in reliqvis provinciis per subtilitatem diu attentasset, in Numidia aperta barbaræ & inauditæ crudelitatis indicia publicaverit, & decem Sacerdotes ad se missos columnis adstringi, & nudata eorum membra acerbis funium ictibus cædi jusserit, e qvorum numero Marculus, cum eum milites duris nexibus vin- Acta passionis Marculi.

cire conarentur; ultro columnæ vinculis brachiorum & digitorum nodis tam arcte sese instrinxerit, ut nulla vi inde divelli & separari posset. Longum nimis foret cætera omnia referre, qvæ Marculus fortiter vel egisse vel sustinuisse in actis istis memoratur. Summa autem huc redit, qvod Marculus post crudelissimam fustigationem, qvæ non sine miraculo nullas in ejus corpore notas reliqvisse dicitur, ad castellum novæ petræ ductus, ibiqve de alta rupe præcipitatus placide occubuerit, Angelis animam in cœlum transportantibus, corpus autem blandientibus auris molliter in terra illæsum deponentibus.

Donatista Marculus in qvædam martyrologia irrepsit.

XC. His autem actis deceptus Rabanus Maurus, cum ea a Donatista qvodam scripta non animadvertisset, Marculum vere sanctum & pro orthodoxa doctrina passum fuisse opinatus, eum VII. Cal. Dec. suo martyrologio inscripsit his verbis: *in Nicomedia passio B. Marculi Sacerdotis & Martyris, qvi temporibus Constantis Regis tyrannici per Macharianum & Paulum persecutores maximos martyrium pro Christi nomine pertulit. Nam cum variis tormentis afflictus esset, tamen a professione rectæ fidei nullo modo arceri potuit, ad extremum vero per prædictum Macharianum in altissimam rupem adductus inde præcipitatus est, sed tamen Christo protegente corpus ejus integrum inter asperrimos scopulos atq; acutissimos servatum est, anima vero egressa de corporis ergastulo ad vitam migravit æternam.*

XCI. Ejusdem Marculi d. VI. Cal. Decemb. mentio fit in vulgato Bedæ martyrologio, ubi itidem Marculus temporibus Constantis tyranni in Nicomedia persecutiones maximas perpessus, & ad extremum ab alta rupe præcipitatus dicitur. Recte autem suspicantur

tur eruditi in prædictis martyrologiis pro Nicomedia Numidiam substitui debere. Cætera enim omnia ad Marculum Donatistam in Numidia passum optime qvadrant, qvanqvam in Romano martyrologio, ne qvis amplius de Marculo Donatista cogitet, non solum Numidia in Nicomediam, sed etiam Marculus in Marcellum, Constans in Constantium, & Macariani in Arianos mutati fuerint. Qvod autem apud Rabanum & in vulgato Bedæ martyrologio Marculus Nicomediæ passus & contra in martyrologio Romano Marcellus a rupe præcipitatus dicitur, Mabillonius in adnotationibus ad passionem Marculi inde natum suspicatur, qvod Marcellus qvidam Nicomediensis martyr cum Marculo Donatista confusus fuerit. Neqve dubito, qvin etiam Donatus, qvi apud Usuardum, Adonem, & Bedam Cal. Martii sub Ursatio & Marcellino Carthagine passus dicitur, ad Donatistas spectet, etsi ab Henschenio & Papebrochio inter Sanctos Tom. I. Mart. p. 30. relatus fuerit.

XCII. Post expeditionem Pauli & Macarii Principes Donatistarum proscripti & relegati sunt, in qvorum numero etiam Donatum Carthaginensem fuisse non improbabile videtur, etsi ejus exilium ab Hieronymo in chronico ad A. C. 356. relatum fuerit. Proscriptis autem præcipuis Donatistarum capitibus ecclesiæ Africanæ aliqvandiu pacem habuerunt, qvam Gratus Carthaginensis post Cæcilianum & Cæciliani successorem Rufum Episcopus grato animo agnovit, ut testantur acta concilii Carthaginensis, qvod A. C. 348. Carthagine congregavit. Nam sub initium illius concilii, in præsentia Episcoporum, qvorum nomina ex parte in

Donatus Carthaginensis in exilium missus.

Carthaginēse Catholicorū concilium sub Grati episcopatu.

actis recensentur, gratias Deo omnipotenti ejusqve Filio egit, qvod ecclesiam respexerit, & reducta per Paulum & Macarium unitate malo schismati finem dederit. Extant decreta & canones illius concilii in tomis conciliorum & in Labbeana qvidem editione Tom. II. semel p. 713. & iterum p. 1821. ubi Concilium illud exhibetur juxta exemplar, qvod ex Vaticanis codicibus Lucas Holstenius emendavit. Utramqve editionem conjunxit Schelstratenus in tractatu de ecclesia Africana p. 129. & seqv. ubi & scholia qvædam addidit, in qvibus post Baronium & alios recte observat, in præfatione hujus concilii pro Constantini nomine Constantis nomen reponendum esse. Et primus qvidem hujus concilii canon baptismum non iterandum esse decernit. Secundus eos, qvi per voluntaria præcipitia aut similes αὐτοχειρίας modos martyrium affectarunt, martyrii honore indignos pronunciat. Qvos canones Donatistis oppositos fuisse ex schismatis hujus historia manifestum est. Reliqvi vero hujus concilii canones circa varias disciplinæ ecclesiasticæ partes & imprimis Clericorum mores versantur.

Augustini locus emendatur.

XCIII. Constante mortuo, qvod A. C. 350. contigit, videri possit Donatistas Constantio ejus fratri supplicasse, & qvod petierant, non difficulter impetrasse. Sic enim legitur apud Augustinum libr. 2. contra Petil. c. 92. *tenetur petitio qvam majores vestri dederunt Constantio, qvam impetraverunt, &c.* Verum cum Donatistas aliqvid a Constantio vel petiisse vel impetrasse nullis documentis constet, & insuper Augustinus in epist. 166. non solum Constantium severissimam legem contra Donatistas dedisse, sed filios etiam Constantini talia præcepis-

cepisse scribat, Lovanienses prædicta Augustini verba non infeliciter, ut puto, emendant, sic legendum censentes: *tenetur petitio, qvam majores vestri dederunt, constitutio qvam impetrarunt.* Agitur autem ibi de petitione, qvam Juliano Donatistæ obtulerunt, & de constitutione qvam votis suis respondentem impetrarunt.

XCIV. Cum enim Julianus rerum potitus esset, qvod A. C. 361. factum est, Donatistæ se ab exilio revocari & suas sibi basilicas reddi supplices postularunt, libello suo supplici non sine fœda adulatione hoc Imperatoris elogium inserentes, qvod apud eum solum justitia haberet locum, qva de re videri potest Augustinus epist. 48. & 166. & libr. 2. contra Petil. c. 92. & 97. ubi a Pontio, Cassiano, Rogatiano aliisqve Episcopis & Clericis hunc supplicem libellum subscriptum fuisse notat. Julianus autem haud ignarus religionem christianam intestinis discordiis haud mediocriter labefactari & convelli posse, Donatistarum precibus haud difficulter annuit, qvi ab exilio redeuntes, qvanto furore in catholicos grassati fuerint, prolixe recensetur ab Optato lib. 2. p. 47. & seqv. ubi cædes, stupra aliaqve nefanda Donatistarum basilicas suas repetentium facta recensentur, & inter alia refertur, qvod Felix Diabensis, Januarius Flamen Pistensis & alii ad castellum Lemellense concurrentes, cum basilicam clausam viderent, culmina adscendi, nudari tecta, tegulas jactari jusserint, & cum Diaconi catholici altare tegerent, plurimos cruentari, duos occidi fecerint. De qvo facinore etsi Primosus catholicus illius urbis Episcopus apud Donatistas in concilio Thevestino congregatos qvestus fuerit, Donatistæ tamen ejus qverelas dissimulanter audiverunt.

Donatistæ Juliano supplices.

Ab exilio revocantur.

Donatistarum ab exilio redeuntium furor.

XCV.

XCV. Refert idem Optatus, qvod Urbanus Formensis & Felix Idicrensis qvasi duæ faculæ livoribus incensæ ad Thipasam Cæsariensis Mauritaniæ civitatem cucurrerint, & catholicam freqventiam sedibus suis tanto furore expulerint, ut viri lacerati, matronæ tractæ, infantes necati, partus abacti fuerint: ut cætera sive Urbani Formensis & Felicis Idicrensis sive aliorum in reditu ab exilio patrata & memorata ab Optato flagitia taceamus. Usqve adeo autem Donatistarum res sub Juliani imperio, etsi minus diuturnum fuerit, invaluerunt, ut neqve seqventium Imperatorum plurimis edictis adversus eos latis, nec Episcoporum catholicorum indefessis certaminibus debellari plane potuerint, qvæ anteqvam recenseamus intestina eorum bella, qvibus haud mediocriter eorum vires fractæ & imminutæ sunt enarrabimus. Ut enim Donatus Christum divisit; sic ipse qvoqve a suis per varias concisiones divisus est, ut notavit Augustinus de agon. Christ. c. 29.

Intestina Donatistarum dissidia. Qva in re Tichonius a Donatistis aliis dissenserit.

XCVI. Et primum qvidem Tichonius, etsi Donatistarum sectæ addictus esset, tamen cum ecclesiam Dei toto orbe diffusam agnosceret, contra alios Donatistas demonstravit, hominis alicujus etsi sceleratissimi impietatem efficere non posse, ut promissiones Dei de ecclesia per totum terrarum orbem diffundenda evacuentur. Cum autem alii Donatistæ hac assertione causæ suæ jugulum peti animadverterent, Parmenianus, qvi Donato Magno in episcopatu Carthaginensi successit, epistolam ad Tichonium scripsit, qva eum a sententia sua revocare conatus est, postea vero eum ex concilio Donatistarum damnatum perhibuit. Conferatur Augu-

Augustinus libr. 1. contra epist. Parmen. & epist. 48. ubi etiam Tichonii de Donatistis hemistichium adducit: *qvod volumus sanctum est*. Meminit qvoqve Tichonii Gennadius in catal. Scriptor. eccles. c. 18. ubi ejus in divinis pariter & secularibus literis nec non in ecclesiasticis negotiis peritiam commendat, & scripta ejus recenset, e qvibus hodie supersunt regulæ pro investiganda scripturarum intelligentia, in monumentis orthodoxographis & bibliothecis Patrum editæ & ab Augustino l. 3. de doctrina christian. c. 30. ad examen revocatæ, præter qvas etiam juxta nonnullos extat Tichonii in Apocalypsin commentarius sub Augustini nomine inter ejus opera editus. Tichonii scripta.

XCVII. Verum alii haud immerito statuunt commentarium illum tam non esse Tichonii, qvam non Augustini. Refert enim Primasius in prologo sui ad apocalypsin commentarii Tichonium suo in apocalypsin commentario multa sanæ doctrinæ contraria inseruisse, ita ut de causa qvæ Catholicos inter & Donatistas vertebatur secundum pravitatem cordis sui loca nocendi captaverit, catholicæqve ecclesiæ noxia expositione mendaciter illuserit. Verum talia huic, qvæ inter Augustini opera habetur, apocalypseos expositioni inspersa non leguntur, ut alia argumenta taceamus, qvæ hunc in Apocalypsin commentarium Tichonio abjudicandum persvadent. Periisse igitur potius videtur aut adhuc in tenebris delitescere Tichonii in apocalypsin commentarius, qvemadmodum etiam Tichonii libri 3. de bello intestino & expositiones diversarum causarum, e qvibus omnibus juxta Gennadium Donatianæ partis fuisse cognoscitur, perierunt. Hic Commentarius in apocalypsin inter Augustini opera nec Augustinū autorem habet nec Tichonium.

igitur Tichonius, etsi Donatista fuerit & juxta Augustinum libr. 3. de doctrina christiana c. 30. absurdissimi cordis illic inveniatur, ubi eos non omni ex parte relinqvere voluit, in nonnullis tamen eodem Augustino teste contra Donatistas invictissime scripsit. Contra Parmenianus Tichonium, ne talia scriberet, deterruit, hoc imprimis argumento eum premens, qvod cum ecclesiam toto orbe diffusam agnosceret, & neminem in ejus unitate alienis peccatis maculari crederet, perperam se a Traditorum contagio removeret. Conferantur præterea de Tichonio Augustinus libr. 2. retractat. c. 18. Cassiodorus de institut. divin. liter. c. 9. ubi se Tichonii in Apocalypsin commentarium ab admistis venenatis dogmatibus expurgasse dicit, Beda in prologo ad apocalypsin, ubi tam de Tichonii regulis qvam de ejus in apocalypsin commentario differit, eumqve apocalypsin vivaciter intellexisse judicat, id modo reprehendens, qvod Donatistas defendat, eorumqve persecutiones defleat, & martyria eorum in apocalypsi prædicta contendat.

Rogatiani.

XCVIII. Brevissimum frustum a Donati parte præcisum judice Augustino erant Rogatiani vel Rogatistæ aut Rogatenses a Rogato Cartennensi in Mauritania Episcopo ita dicti, qvos celebriores reddidit persecutio qvam a reliqvis Donatistis passi sunt, cum illi Firmi tyranni, qvi A. C. 372. contra Romanos rebellavit, auxilio uterentur, unde Rogatiani reliqvos Donatistas Firmianos appellabant, cujus persecutionis meminit Augustinus epist. 164. libr. 1. contra Parmenianum capite 7. & libr. 2. contra Petilianum capite 83. Imprimis autem de Rogatianis agit in epist. 48. ad Vincentium, Rogati illius, a qvo secta illa originem accepit suc-

Alios Donatistas Firmianos appellarunt.

fucceſſorem, in qva refert, Rogatiſtas reliqvis Donatiſtis mitiores videri, ſed forte ob exiguum numerum non voluntatem ſed vires nocendi illis deeſſe, & eosdem arguit, qvod dicerent, nemini peccata dimitti, niſi invenerit latentem in Mauritania Vincentium, & qvod ſe qvaſi in cœlo poſitos ſomniarent, & apud ſe ſolos Chriſtum aliqvando in terris fidem inventurum asſererent. Meminit præterea Auguſtinus Rogatiſtarum in tract. de unit. eccleſ. c. 3. & 13. qvo loco Donatiſtis jactantibus, ſe paucos illos eſſe, qvos Chriſtus per anguſtam portam intrare dicit, Rogatiſtas adhuc pauciores eſſe reſpondet.

Svavia Rogatianorum ſomnia.

XCIX. Aliam Donatiſtarum ſectam conſtituerunt Urbanenſes in qvadam Numidiæ particula exorti, qvorum mentio apud Auguſtinum libr. 4. contra Creſcon. c. 60. Rurſus aliam Donatiſtarum ſectam Claudianenſes conſtituerunt, ſic dicti, ut Labbeo Tom. II. concil. p. 1153. videtur, a Claudiano, qvi inter Romanos Montenſium Donatiſtarum Epiſcopos ab Optato Milevitano nominatur. Et hæc ſententia qvodammodo confirmari poteſt ex epiſtola Synodica concilii Romani A. C. 378. celebrati. Nam in illa epiſtola ad Gratianum & Valentinianum Imp. ſcripta refertur, in Africa ſacrilegos rebaptizatores expelli juſſos Claudianum ordinaſſe, & ad perturbandam urbem Romam qvaſi Epiſcopum deſtinaſſe, & hunc qvoqve ab Imperatoribus Roma expelli juſſum contemptis judiciis reſidere, & freqventer pauperiores pretio ſolicitare, & redemptos rebaptizare non vereri.

Urbanenſis Donatiſtarum ſecta.

Claudianenſis

Concilium Romanum.

C. Sed maximum omnium inter Donatiſtas ſchiſma fuit, qvod Primianiſtas inter & Maximianiſtas agitari

Primianiſtarum & Maximianiſtarum ſecta.

tari cœpit. Cum enim Parmenianus Donati Carthaginensis successor diem suum obiisset, ejus in locum electus est Primianus. Verum anno seqventi Maximianus contra Primianum, a qvo immerito ut sibi videbatur damnatus & exautoratus fuerat, insurrexit, & alios qvoqve, ut contra eum insurgerent, excitavit. Qva in causa, ut Augustinus libr. 4. contra Cresconium testatur, duo concilia a Maximiano contra Primianum habita fuerunt. Et primum qvidem ex duobus istis conciliis Carthaginense fuit, a 43. Episcopis factum, ex qvo concilio Maximianus ejusqve complices ad Primianum semel iterum atqve tertio legatos miserunt, ut si ipse ad eos venire nollet, ipsos ad se venire permitteret. Cum vero utrumq; recusaret, ei in seqventi & solenniori concilio respondendi & se purgandi locum reliqverunt.

Carthaginēse Maximianistarum concilium.

Cabarsusitanum eorundem concilium.

CI. Indictum ergo est A. C. 393. alterum a Maximianistis concilium nempe Cabarsusitanum, in qvo centum & amplius Episcopi convenerunt, qvi numerus ab Augustino ponitur in tract. post collat. c. 22. Cum vero etiam ad hoc concilium venire detrectaret Primianus, eum sine ulla sententiæ suspensione damnandum censuerunt. Conferatur epistola hujus concilii synodica, qvæ legitur apud Augustinum in conc. 2. ad Ps. 36. Eqvidem cum Augustinus hanc epistolam ex concilio apud Cavernas Susis celebrato datam esse scribat, & tantum 53. Episcopi illi subscripserint, Baronius ad A. C. 394. suspicatur, epistolam hanc synodicam ad prius Maximianistarum concilium pertinere, ideoqve priorem Augustini locum, qvo Carthaginensi concilio 43. Episcopos interfuisse scribit, emendandum esse, cum in hac

hac epiſtola 53. Epiſcopi nominentur. Et ne Auguſtinus ſibi contradicere videatur, qvi concilium hoc apud Cavernas Suſis habitum dicit, qvod alibi Carthagine celebratum dixerat, hinc concludit, Cavernas Suſis locum Carthagini propinqvum fuiſſe. Qvam Baronii ſententiam & alii plures ſeqvuntur, ut Schelſtratenus in eccleſ. Afric. p. 167. & 168. & Witſius in Diſſertatione de ſchiſm. Donatiſt. qvæ inter ejus miſcellanea prodiit p. 770.

CII. Verum probabilius eſt, concilium, qvod apud Cavernas Suſis celebratum Auguſtinus dixit, non aliud eſſe, qvam qvod alibi Cabarſuſitanum appellavit Nam libr. 4. contra Creſcon. c. 6. & 7. dicit, Maximianiſtas in priori concilio ſeu Carthaginenſi Primianum nondum damnare auſos fuiſſe. In ſynodica vero epiſtola, qvæ in conc. 2. ad Pſ. 36. legitur plena damnationis ſententia continetur. Vix ergo eſt, ut dubitemus, epiſtolam illam ſynodicam e Cabarſuſitano concilio ſcriptam fuiſſe. Qvod autem tantum Epiſcopi 53. ſubſcripti repeπriuntur, cum alibi Auguſtinus plures qvam centum Epiſcopos huic concilio interfuiſſe dicat, ex eo colligi poteſt, non omnium ſubſcriptiones apud Auguſtinum recitari, qvod etiam teſtantur nomina Anaſtaſii & qvorundam aliorum, qvi in principio hujus epiſtolæ nec tamen in fine nominati ſunt. Conferantur Benedictini in notis ad Auguſtini conc. 2. in Pſ. 36. Qvorum obſervationi addi poteſt, qvod in MSC. antiqvis, qvæ Baluzius contulit, hoc concilium non apud Cavernas Suſis, ſed Cabarſuſi habitum dicatur, ut in nova collect. concil. p. 95. retulit.

CIII. Cæterum in locum damnati Primiani ab hac

Donatistarum factione electus est ad Carthaginensem Episcopatum Maximianus, ut testatur Augustinus de hæres. c. 69. At Primianus hoc Maximianistarum in se judicio insuper habito in civitate Numidiæ, qvæ Bagai dicitur d. 8. Cal. Maj. trecentos & decem Episcopos congregavit. Qvod concilium Maximianum & duodecim Episcopos, qvi eum ordinaverant, & Clericos qvi ejus ordinationi interfuerant, damnavit, & cæteros qvoqve ejus asseclas, nisi intra diem octavum Calend. Januar. Maximiani partes relinqverent, eidem damnationis sententiæ subjecit. Conferatur de hoc concilio Augustinus in libro de gestis cum Emerito, qvi sententiam hujus concilii dictavit, it. libr. 2. contra Parmen. c. 3. libr. 3. c. 6. lib. 1. contra Petil. c. 10. contra Cresc. lib. 3. c. 17. 19. 21. 22. 52. 53. 54. 56. lib. 4. contra Crescon. c. 2. 3. 4. 6. 10. 11. 13. 31. 32. 38. contra Gaudent. libr. 1. c. 39. libr. 2. c. 7. tract. post collat. c. 19. enarrat. Ps. 54. epist. 256. Ex qvibus Augustini locis sententiam concilii Bagajensis collegit Baluzius in nova collectione concil. p. 97.

Bagajense Primianistarum concilium.

CIV. Nec hac sententia contenti Primianistæ apud Proconsules procurarunt, ut Maximianistæ ecclesiis suis ejicerentur, qvod testatur Augustinus libr. 1. contr. Gaudent. c. 39. vel juxta alias editiones libr. 2. c. 30. Qvorsum etiam pertinet Titiani Advocati actio contra Felicianum Masticanum & Prætextatum Assuritanum Episcopum, qvi inter 12. Maximiani ordinatores fuerant, coram Herode Proconsule, ex qva nonnulla excerpit Augustinus libr. 3. contra Crescon. c. 56. Neqve hic omittenda actio contra Salvium Membresitanum, qvi itidem inter Maximiani ordinatores fuerat, & post actionem coram Serano Proconsule miserabili pompa trium-

Primianistæ Maximianistas persecuti.

triumphatus est. Nam Abitinenses ad ejus collum mortuos canes alligarunt, eumqve ad turpes suas voces & cantilenas, qvantum ipsis libuit saltare coegerunt, qva de re videri poterit Augustinus libr. 3. contr. Parmen. c. ult. libr. 4. contra Crescon. cap. 4. 48. 49. & epistola 256. Miserabile Salvii spectaculum.

CV. Abusi autem sunt Primianistæ in hac Maximianistarum persecutione legibus, qvas Imperatores pro catholica ecclesia contra Donatistas aliosqve hæreticos tulerant. Qvi dolus per Magistratuum inscitiam vel conniventiam ipsis non male successit, ut Augustinus in enarratione Ps. 57. qveritur. Et hæc Maximianistarum persecutio, qvam a Primianistis passi sunt, effecit, ut Felicianus Musticanus & Prætextatus Assuritanus desertis Maximiani partibus cum Primiano in gratiam redirent, qvos sine ullo honoris sui detrimento & salvo qvoqve qvem schismatis sui tempore dederant baptismo a Primianistis susceptos Augustinus vel centies inculcat.

CVI. Sic igitur Donatistis inter se pugnantibus vires eorum non mediocriter imminutæ sunt, qvas etiam Catholici Doctores sermonibus suis pariter & scriptis infringere sategerunt. Idqve non solum sermonibus publicis sed scriptis etiam factum est, qvemadmodum & Donatistæ scriptis editis schisma suum stabilire non cessarunt. Nam ut de Donati, Tichonii, & qvorundam anonymorum Donatistarum scriptis, qvæ superius suis locis memorata sunt, nihil repetamus, fuit inter Donatistarum Episcopos Macrobius, cujus mentionem Optatus Milevit. in libris suis fecit. Is vero librum ad confessores & virgines composuit, qvi a Gennadio Massili- Donatistarum scripta. Donati. Tichonii. Macrobii.

filienſi c. 5. de Scriptor. eccleſiaſt. memoratur. Idem vero etiam epiſtolam ad plebem Carthaginenſem ſcripſit de paſſione Maximiani & Iſaaci Donatiſtarum, cujus fragmentum extat apud Mabillonium T. IV. analect. veterum p. 119. & ſeq. in qvo fragmento refertur, Iſaacum & Maximianum poſt multa tormenta ad exilium damnatos, Iſaaco vero ante ſententiæ executionem in carcere poſt viſionem qvandam mortuo, mortuum pariter Iſaacum & vivum adhuc Maximianum maris fluctibus immerſos, ſed a mari ad ſepulturam fratribus ſuis redditos fuiſſe. Qvæ a Macrobio non ſine magno verborum ambitu ita narrantur, ut in Catholicorum, qvos Traditores appellat, crudelitatem non leviter invehatur.

CVII. Idem Gennadius a qvo Macrobium inter Scriptores eccleſiaſticos relatum diximus, Vitellii etiam Afri meminit, qvem c. 4. Donatianum ſchiſma defendiſſe ait, & de eo ſcripſiſſe, qvod mundus Dei ſervos odio proſeqvatur, in qvo tractatu Catholicos ſub perſecutorum nomine perſtrinxit. Scripſit idem Vitellius adverſus gentes & adverſus orthodoxos, qvos tanqvam Scripturarum Divinarum traditores inſectatus eſt, ut idem Gennadius teſtatur, qvi addit eum ſub Conſtante Conſtantini M. Filio claruiſſe.

Vitellii.

CVIII. De Parmeniani Carthaginenſis Donatiſtarum Epiſcopi epiſtola ad Tichonium ſupra theſ. 96. diximus. Scripſit vero Parmenianus præter hanc epiſtolam ab Auguſtino refutatam, alium qvoqve tractatum, cujus confutationem Optatus Milevitanus in ſe ſuſcepit. Et tantæ qvidem inter ſuos autoritatis fuit Parmenianus, ut ab ipſo Donatiſtæ Parmeniani qvoqve co-

Parmeniani.

cognominarentur, ut refert antiqvus Autor sub Prædestinati nomine a Sirmondo editus hæres. 69.

CIX. Neqve hic prætermittendus Petilianus, qvem Donatistæ, cum adhuc catechumenus esset, ex catholica ecclesia abreptum mortiferi honoris vinculo ligaverunt, ut Augustini verbis utar ex libro 2. contra Petil. c. 104. qui etiam libr. 3. contra Petil. c. 16. indicat, Petilianum qvondam Advocatum fuisse & Paracleti sibi nomen imposuisse, qvasi Spiritus S. cognominalis fuerit. Huic, inqvam, Petiliano inter Scriptores Donatistas locus suus relinqvendus est. Cum enim a Donatistis Cirtensis seu Constantinensis Episcopus factus fuisset, & qvibusvis modis de hac secta bene mereri animum suum induxisset, epistolam ad Presbyteros sui schismatis composuit, qvam etiam postea ex parte adversus Augustinum vindicare conatus est, ceu inferius audiemus, ut ejusdem Petiliani de unico baptismo librum taceamus. Cæterum cum Cresconius Grammaticus ea legisset, qvæ Augustinus primo contra Petilianum libro scripserat, Augustini confutationem aggressus est, cui Gaudentius, Centurius, & alii qvidam Donatistæ, qvi scriptis sectam suam confirmandam duxerunt, adjungi possent.

Petiliani. Cresconii. Gaudentii. Centurii.

CX. Sed ad orthodoxos properamus, qvi adversus Donatistas calamum strinxerunt, inter qvos primo loco memorandus venit Optatus Milevitanus, a qvo sex libros contra Parmenianum scriptos Hieronymus in catalogo Scriptorum ecclesiasticorum asserit. Et totidem libros ipse Optatus a se scriptos innuit, nec plures in prima editione Optati comparuerunt. Cum autem nunc septem Optati Milevitani libros habeamus,

Scripta Catholicorum contra Donatistas. Optati Milevitani.

dicendum erit, ſeptimum illum librum vel poſt ſex priores ab Optato ſeorſim, vel ab alio editum fuiſſe. Et de hoc Optati Milevitani in Numidia Epiſcopi opere ſive ſex ſive ſeptem libris conſtante præter Balduinum, Albaſpinæum, Caſaubonum, Priorium & alios, qvorum notæ in Optatum proſtant, bene meruit doctiſſimus Gronovius, qvi in monobiblo obſervatorum in Scriptores eccleſiaſticos cap. 13. loca nonnulla Optati non infeliciter emendat & illuſtrat. Nam ut unicum exemplum afferamus libr. 1. Optati in hiſtoria concilii Cirtenſis legitur: *jam omnes hæretici cœperunt murmurare.* Gronovius autem legendum conjicit: *jam omnes erecti cœperunt murmurare*, qvæ lectio cum Sangermanenſi codice, cujus ſupra in concilii Cirtenſis hiſtoria mentionem fecimus, plane convenit, & ſeqventibus Optati verbis optime reſpondet referentis, Secundum dixiſſe: *ſedete omnes*, tuncq; omnes ſediſſe.

Gronovius laudatur.

CXI. Imprimis vero ſcriptis Donatiſtas Aurelius Auguſtinus impugnavit, qvorum aliqva ſuperſunt, alia perierunt. Perierunt liber contra epiſtolam Donati Carthaginenſis, libri duo contra partem Donati, liber contra id, qvod attulit Centurius, probationum & teſtimoniorum contra Donatiſtas liber, liber contra incerti nominis Donatiſtam, brevis admonitio Donatiſtarum de Maximianiſtis, item alius liber prolixior de Maximianiſtis contra Donatiſtas, & liber ad Emeritum Epiſcopum poſt collationem, qvorum omnium Auguſtinus in retractationibus ſuis libr. 1. c. 21. & libr. 2. c. 5. 19. 27. 28 29. 35. & 46. meminit.

Auguſtini ſcripta contra Donatiſtas. Horum aliqva perierunt.

CXII. Perierunt qvoqve nonnulla in Poſſidii indiculo memorata Auguſtini contra Donatiſtas ſcripta, ut tra-

tractatus tres de traditione in persecutionibus & falso baptismate, commonitorium ad Primianum, & qvædam alia, qvibus epistolam ad Mercatorem a Sagittario in introductione ad historiam ecclesiast. p. 940. perperam addi censeo. Nam neqve periit epistola ad Mercatorem, qvam Benedictini T. II. Operum Augustini integram ediderunt, neqve illa contra Donatistas sed contra Pelagianos scripta est, unde etiam a Possidio in indiculo operum Augustini inter scripta Augustini antipelagiana memoratur, ut taceam ipsum Augustinum in libr. de octo qvæstionibus ad Dulcitium qv. 3. ubi verba qvædam ex sua ad Mercatorem epistola allegat, expresse dicere, qvod illam epistolam a Mercatore de qvibusdam Pelagianorum qvæstionibus consultus scripserit.

Sagittarius notatur.

CXIII. Etsi vero non pauca Augustini contra Donatistas scripta temporum injuria interciderint, supersunt tamen præter psalmum alphabeticum contra partem Donati libri tres contra Parmeniani epistolam ad Tichonium, libri tres contra literas Petiliani, qvorum primo partem epistolæ Petiliani, cum integram nactus nondum fuisset, & secundo integram Petiliani epistolam insertis & responsione sua interfectis ipsis Petiliani verbis confutavit, tertio autem, qvæ Petilianus ad primum librum regesserat, discussit, liber de unico baptismo, liber de unitate ecclesiæ, libri 4. contra Cresconium, libri 7. de baptismo contra Donatistas, breviculus collationis inter Donatistas & catholicos Carthagine habitæ, liber ad Donatistas post collationem, libri tres, vel juxta aliarum editionum accuratiorem distributionem, libri duo contra Gaudentium, qvorum primo duas Gaudentii epistolas ad Dulcitium ita refutat, ut ipsis

Augustini scripta contra Donatistas supersunt.

Gaudentii verbis prius positis suam responsionem mox apponat, altero autem libro qvæ Gaudentius contra hanc Augustini lucubrationem exceperat, refellat; liber de gestis cum Emerito, & sermo de iisdem gestis, nec non liber contra Fulgentium Donatistam. Et hæc qvidem Augustini scripta tomo septimo operum Augustini hactenus inserta in novissima Parisiensi editione nonum ejus operum tomum constituunt. Occasionem autem & argumenta horum tractatuum, & qvid in eorum nonnullis emendari cupiat, in suis retractationibus Augustinus exponit. Nam de Psalmo abcdario, qvem in gratiam vulgi composuit, agit libr. 1. retract. cap. 20. de tribus libris contra Parmenianum lib. 2. cap. 17. de septem libris qvos de baptismo scripsit c. 18. de libris contra literas Petiliani c. 25. de libris contra Cresconium c. 26. de libro qvem de unico baptismo scripsit c. 34. de breviculo collationis Carthaginensis c. 39. de tractatu post collationem c. 40. de gestis cum Emerito c. 51. & de libris contra Gaudentium c. 59.

Augustini liber de unitate ecclesiæ sitne genuinus?

CXIV. Nullam tamen mentionem fecit in suis retractationibus tractatus sui de unitate ecclesiæ, & tractatus contra Fulgentium. Et priorem qvidem tractatum qvantum attinet, vocatur ille in concilio generali 5. collatione 5. *Augustini epistola ad catholicos*. Inscribitur etiam in qvibusdam codicibus: *epistola ad catholicos de secta Donatistarum* vel: in epistolam Petiliani ad Catholicos de secta Donatistarum. Cum autem hic tractatus in epistolæ modum scriptus sit, hinc eum ab Augustino in retractationibus omissum Lovanienses suspicantur. Qvamvis enim etiam liber primus contra Petiliani literas epistolæ in modum scriptus sit, ejus tamen rationem Augustinus in suis retractationibus ob reliqvos duos libros

bros

bros contra literas Petiliani habere potuit. Sunt tamen Benedictinis in novissima Augustini editione præter Augustini in retractationibus suis silentium aliæ qvædam rationes, ob qvas hunc librum νοθείας suspectum faciunt. Nam illam salutationis formulam, a qva hic tractatus incipit, Augustino novam & insolitam observant. Deinde locutiones, figuras & transitiones inelegantes & improprias in hoc tractatu animadvertunt. Præterea in hoc tractatu nonnulla occurrere notant, qvæ cum aliis Augustini scriptis minus conveniunt, & multa qvoqve Scripturæ loca non juxta solennem Augustino versionem allegari. Qvas rationes aliis ponderandas nunc relinqvimus.

CXV. De tractatu autem contra Fulgentium non dubitandum est, qvin alium qvam Augustinum Autorem habeat. Nam non solum Augustinus in retractationibus de illo tractatu silet, sed Augustini etiam ingenium & eloqventia in eo desideratur, ut ineptam partitionem multaqve ab Augustino aliena in hoc tractatu occurrentia taceamus. Liber contra Fulgentium spurius.

CXVI. Non solum autem Augustinus in istis scriptis, qvæ Benedictini T. IX. complexi sunt, contra Donatistas egit, sed etiam in reliqvis tomis passim Donatistas impugnavit. Qvæ loca Benedictini in præfatione ad T. IX. collegerunt, ex qva indicem epistolarum Augustini contra Donatistas scriptarum hic exhibere lubet. Spectant igitur ad Donatistarum causam ex epistolis Augustini, qvas Tomus II. complectitur epistola XXIII. edit. novæ ad Maximinum, qvæ est in aliis editionibus 203. XXXIII. vel 147. ad Proculejanum, XXXIV. vel 168. ad Eusebium, XXXV. vel 169. ad eundem, XLIII. vel 162. ad Glorium & Eleusinum, Epistolæ Augustini ad Donatistarum causam spectantes.

XLIV. vel 163. ad eosdem, XLIX. vel 161 ad Honoratum, LI. vel 172. ad Crispinum, LII. vel 170. ad Severinum, LIII. vel 166. ad Generosum, LVI. vel 237. ad Celerem, LVII. vel 210. ad eundem, LVIII. vel 134. ad Pammachium, LXI. vel 223. ad Theodorum, LXVI. vel 173. ad Crispinum, LXX. vel 207. ad Naucellionem, LXXVI. vel 171. ad Donatistas, LXXXVI. vel 60. ad Cæcilianum, LXXXVII. vel 164. ad Emeritum, LXXXVIII. vel 68. ad Januarium, LXXXIX. vel 167. ad Festum, XCIII. vel 48. ad Vincentium, XCVII. vel 129. ad Olympium, C. vel 127. ad Donatum Proconsulem Africæ, CV. vel 166. ad Donatistas, CVI. vel 265. ad Macrobium, CVII. vel 266. ad Augustinum a Maximo & Theodoro scripta, CVIII. vel 255. ad Macrobium, CXI. vel 122. ad Victorianum, CXII. vel 128. ad Donatum, CXXVIII. Aurelii, Sylvani & aliorum ad Marcellinum, CXXIX. eorundem ad eundem, CXXXIV. vel 160. ad Apringium, CXXXIX. vel 159. ad Marcellinum, CXLI. vel 152. ex concilio Zertensi ad Donatistas scripta, CXLII. vel 258. ad Saturninum & Eufratem, CXLIV. vel 130. ad Cirtenses, CLXXIII. vel 204. ad Donatum Presbyterum, CLXXXV. vel 50. ad Bonifacium Comitem, CCIV. vel 61. ad Dulcitium.

Alia Augustini loca ad Donatistas spectantia.

CXVII. Passim qvoqve Augustinus Donatistarum causam tractat in tractatibus ad evangelium Johannis & primam epistolam Iohannis, nec non in enarratione psalmorum, ut patet ex enarrationibus & concionibus in Psalm. 10, 25, 30, 32, 33, 35, 36, 39, 54, 57, 85, 95, 98, 101, 119, 124, 132, 145, 147 & 149. item in enchiridio, in libello de hæresibus, in tractatibus qvos inscripsit de fide & bonis operibus, de agone christiano, de patientia, &

de

de utilitate jejunii. Imprimis vero etiam in sermonibus suis passim Donatistas exagitat, qvorsum faciunt ex T. V. editionis novæ Parisiensis sermo 10. de judicio Salomonis, 46. de pastoribus, 47. de ovibus, 71. de blasphemia in Spiritum Sanctum, 90. de caritate, 99. de remissione peccatorum, 129. ad verba Johannis: *scrutamini scripturas*, 137. de pastore & mercenario, 138. de bono pastore, 164. de verbis Apostoli: *unusqvisqve suum onus portabit*, 183. de verbis Johannis: *omnis Spiritus qui confitetur Jesum &c.* 189. de apparitione Christi resurgentis Apostolis facta, 249. de duabus piscationibus, 252. de eodem argumento, 266. ad verba Psaltæ: *emendabit me justus*, 292. de natali Johannis Baptistæ, 357. de laude pacis, 358 de pace & caritate, 359. de lite & concordia cum Donatistis, 360. de Donatista ad ecclesiam reverso & qvidam alii partim genuini partim pseudepigraphi, qvalis est à Vignierio in supplemento operum Augustini editus de Rusticiano Subdiacono a Donatistis baptizato.

CXVIII. Ex his autem Optati Milevitani & Augustini scriptis haud difficulter cognoscere licet, qvales controversiæ orthodoxos inter & Donatistas agitatæ fuerint, cum jam ex schismaticis hæretici facti essent, qvi olim ex traditoribus schismatici facti fuerant. Nimirum Donatistæ docebant, ecclesiam propter communionem cum Cæciliano qvasi contagione qvadam extinctam de toto terrarum orbe periisse, & in sola Africa penes Donati partem remansisse. Confer. Augustinus hæres. 69. de agone christiano c. 29. enarrat. in Ps. 85. epistola 165. Atqve hinc suam ecclesiam sine macula & ruga esse gloriabantur, cæteras autem ita pollutas esse credebant, ut post reditum suum sub Juliano, cum basi-

Donatistarum errores.

De ecclesia qvid docuerint.

Insana Donatistarum stultitia.

basilicas suas iterum occuparent, parietes qvasi ab orthodoxis commaculatos exorcisarent & abluerent, altaria frangerent vel abraderent, fractos calices conflarent, aliaqve ecclesiæ ornamenta & vasa lavarent, qvam insaniam perstringit Optatus libr. 2. p. 52. & libr. 6. p. 111. 113. 114. 118. 119. ubi inter alia miratur, qvod dum altaria frangerent, non etiam terram ab istis altaribus pollutam altius effoderint, nisi forte metuerint, ne ad inferos descenderent. Huc refer, qvæ de pavimentis salsatis refert Augustinus epist. 256. Forte, si possibile fuisset, stolidi homines cælum qvoqve qvasi catholicorum aspectu contaminatum rasissent, & ipsos aqvarum fontes, qvibus catholici usi fuerant, abluissent.

CXIX. Homines autem catholicæ ecclesiæ addictos cum tollere non possent, tanqvam immundos aversabantur, indignum rati, ut in unum convenirent filii martyrum & progenies traditorum, ut refert Augustinus post collat. c. 1. Nolebant etiam catholicos salutare nec ave illis dicere, juxta Optatum libr. 4. p. 91. Et cum in collatione Carthaginensi colloqvium cum orthodoxis vitare non possent, sedere tamen cum illis detrectabant, ne contra Ps. 26. cum impiis sederent, qvasi non in eodem Psalmo scriptum esset: cum iniqva agentibus non introibo, ut refert Augustinus in brevicul. collat. 3. Respuebant & fratrum nomen, qvo eos catholici dignabantur, qva de re videatur Optatus lib. 1. p. 4. & l. 4. p. 87. & 88. Augustinus epistola 203. ad Maximin. libr. 3. contra Gaudent. c. 16. tract. post collat. c. 35. conc. 2. in Ps. 32. item in sermone, qvem ante collationem de pace habuit, qvi est inter 40. a Sirmondo editos 35. Nec vivos modo detestabantur catholicos, sed & mortuos,

tuos, ideoqve in cœmeteriis suis nullum illis locum relinqvebant teste Optato l. 6. p. 120.

CXX. Ac ne gratis catholicorum communionem abhorrere viderentur, allegare solebant dicta Rom. I,32. 1. Tim. V,22. Es. LII,11. Exod. XIX,12. 1. Cor. V,6,11,13. 2. Cor. VI,14. Eph. V,11. Jerem. XXIII,28. Ps. I,1. Es. V,20. Prov. XVII,15. aliaqve his similia. Qvorsum etiam referebant exemplum Prophetæ, cui divinitus mandatum fuerat, ne in Bethel panem manducaret vel aqvam biberet 1. Reg. XIII,9. Ecclesiam autem in sola Africa penes Donati partem remansisse probaturi abutebantur verbis Cant. I,7. qvasi ibi cælestis Sponsus qværitus ubi cubaret, responderit in meridie, hoc est, ut ipsi interpretabantur in Africa. Ne autem Donatistæ ecclesiam Africæ alligantes nomine ecclesiæ catholicæ confunderentur, ecclesiam catholicam non ex universitate gentium, sed ex observatione omnium præceptorum & ex plenitudine sacramentorum æstimandam esse dicebant, ut testatur Augustinus epist. 48. & brevic. collat. 3. Allegare qvoqve pro sua defensione solebant dictum Christi: *primi erunt novissimi, & novissimi primi* Matth. XX,16. item illa dicta Scripturæ, in qvibus de paucitate bonorum & fidelium agitur, Matth. VII,14. Luc. XVIII,8. item exempla qvædam, qvibus causam suam illustrari posse sibi persvadebant, tantum scilicet inter se & catholicos discriminis esse somniantes, qvantum fuit inter familiam Noæ & mundum antediluvianum, inter Lothum & Sodomitas, inter duas tribus, qvæ solæ post Salomonis imperium regno Davidis adhæserunt, & decem reliqvas qvæ a Davidis posteris defecerunt, inter 12. A-

Argumenta Donatistarum.

 po-

postolos, qvi cum Christo manserunt, & inter 72. discipulos, qvos a Christo abiisse dicebant.

Catholicorum contraria sententia.

CXXI. Contra catholici non solum ad argumenta Donatistarum respondebant, sed etiam contra Donatistas urgebant dicta, qvæ ecclesiam catholicam per totum orbem diffusam indicant, qvalia sunt Gen. XII, 3. Psal. II, 8. Psal. XXII, 28. Psal. LXXII, 8. Es. XI, 9. Luc. XXIV, 47. Act. I, 8. &c. & ex Proverb. XIV, 28. coarctationem ecclesiæ ad Christi ignominiam cedere dicebant, eosqve non in exiguum lapidem, sed in montem impingere arguebant, qvi ecclesiam toto orbe conspicuam non viderent. Mirabantur qvis tam vehemens africus pestilentiam ex Cæciliani conficti non convicti traditoris contagione natam tam late spargere potuerit, ut omnes ecclesiæ etiam, qvibus Cæciliani nomen ignotum fuit, extinctæ fuerint. Tantum abesse dicebant, ut boni propter malos deseri debeant, ut malos potius propter bonos tolerari oporteat. Freqventer adducebant parabolam de Zizaniis inter triticum crescentibus, nec ante extremum diem extirpandis, asserentes, non circumcellionibus, sed Angelis Zizaniorum a tritico separationem demandatam legi. Opponebant etiam Donatistis simile de piscatoribus, & propter malos pisces bonis permixtos ecclesiæ retia minime rumpenda esse demonstrabant. Ecclesiæ lilium spinis suis non carere ex Cant. II, 2. probabant. Addebant exemplum piorum inter malos gementium, nec ob malos ab ecclesia recedentium Ezech. IX, 4. item Prophetarum & in Novo Testamento Simeonis, Hannæ, & similium, qvi factis, non locis, animis non templis, moribus non altaribus se ab impiorum colluvie separarunt, item Cypriani Carthaginensis

sis Episcopi, qvi in sui temporis ecclesia malos fuisse passim testatur, neqve tamen justos malorum societate perire credidit, neqve se ab illis qvoad externum cultum separavit, unde catholici inferebant, ex Donatistarum hypothesi, qva justos malorum communione extingvi statuebant, seqvi, qvod ante Donatistas exortos nulla plane ecclesia fuerit. Qvin etiam Donatistis exprobrabant, qvod, cum suam ecclesiam sine ruga & macula esse jactarent, plurimos tamen impios & sceleratos in ecclesia sua tolerarent. Qvamobrem cum Donatistæ se ab ecclesia separarent, & tamen suam ab ecclesia separationem nulla ratione legitima excusare possent, catholici ad eos applicabant verba Salomonis: *malus filius seipsum justum dicit, exitum autem suum non abluit*, ut habentur in veteri vulgata Prov. XXX, 12.

CXXII. Qvemadmodum autem Donatistæ in sua tantum parte ecclesiam esse somniabant: ita baptismo extra suam ecclesiam administrato homines pollui potius qvam mundari credebant, & in ecclesia catholica baptizatos non Christum sed Judam traditorem induere dicebant, ut testatur Augustinus libr. 2. contra Petil. c. 43. Atqve hinc eos, qvi ab ecclesia catholica deficientes suæ communioni se adjungebant, non aliter suscipiebant, ac si hactenus pagani fuissent. Exsufflabant enim eos, ut docet Augustinus libr. 2. contra Crescon. c. 5. & ipsos qvoqve Episcopos catechumenos faciebant juxta tractatum de unit. eccles. c. 11. Conferatur etiam Augustinus in enarratione Ps. 39. & 145. item Optatus libr. 3. p. 81. Atqve hinc etiam in ecclesia catholica jam baptizatos novo baptismo tingendos, seu potius juxta Augustini judicium extingvendos censebant.

Donatistarum error de baptismo.

bant. Conferatur Optatus libr. 2. p. 45. ubi nonnullos ex Arabia & Antiochia venientes a Donatiſtis rebaptizatos narrat, Auguſtinus epiſt. 168. ubi juvenis qvidam ob ſcelera in catholica eccleſia perpetrata ad Donatiſtas fugiens ab iis rebaptizatus memoratur, epiſt. 169. ubi de Primo qvem catholici Clero ejecerant, & duabus Sanctimonialibus apud Donatiſtas rebaptizatis expoſtulat, epiſt. 173. in qva Criſpino Mappalienſes rebaptizatos exprobrat, epiſt. 203. ubi Diaconum qvendam a Maximino rebaptizatum qveritur, epiſt. 256. 266. 267. in qvibus de Macrobio Subdiaconum qvendam rebaptizaturo agitur, libr. 3. contra Petil. c. 38. ubi Splendonium a Petiliano rebaptizatum memorat, libr. 2. contra Petil. c. 33. & 100. ubi non ſine indignatione refert, Criſpinum fundum emiſſe, ubi homines in profundum mergeret.

Donatiſtarum argumenta.

CXXIII. Ad hanc baptiſmi iterationem excuſandam abutebantur Donatiſtæ dictis Jerem. II, 13. XV, 8. Sirac. XXXIV, 30. Pſ. CXLI, 5. Eccleſiaſt. I, 15. & X, 1. Sap. I, 5. Joh. III, 6. & 27. 1. Cor. IV, 7. Matth. VII, 16. & XII, 33. 35. Prov. V, 15. &c. Imprimis etiam urgebant a Paulo baptizatos, qvi jam olim a Johanne baptizati fuerant, qvod probare nitebantur ex Act. XIX, 3. 4. 5. Ad qvem locum Auguſtinus reſpondet epiſt. 48. libr. 5. de baptiſm. c. 9. de unic. baptiſm. c. 7. id imprimis regerens, qvod baptiſmus Johannis a baptiſmo Chriſti diverſus fuerit, etſi commodius negare potuiſſet, qvod Paulus eos rebaptizaverit, qvi a Johanne baptizati fuerant, cum v. 5. Pauli narratio de Johannis baptiſmo continuetur. Sæpe etiam Donatiſtæ in ore verſabant ſimile horti concluſi & fontis ſignati ex Cantic. IV, 12.

Adde-

Addebant typum arcæ interius bituminatæ, ne suam aqvam emitteret, & exterius ne alienam aqvam admitteret. Freqventer præterea inculcabant, qvod mortuus vivificare, vulneratus curare, cæcus illuminare, nudus vestire, pollutus mundare non possit. Cum enim catholicos arguerent, qvod ipsi Spiritu S. & remissione peccatorum destituti forent, hæc bona aliis per ipsos dari posse pernegabant. Sæpe etiam ad Agrippinum & Cyprianum provocabant, qvi hæreticorum & schismaticorum baptismum reprobaverant, & ad integra concilia, qvæ ipsorum sententiam roboraverant. Non solum autem autoritatem illorum Antistitum urgebant, verum argumenta qvoqve repetebant, qvibus illi omnem hæreticorum & schismaticorum baptismum impugnaverant ex Eph. IV, 5. aliisqve sive Scripturæ testimoniis, sive rationibus, de qvibus videri poterit concilium 87. Episcoporum a Cypriano congregatum, qvod inter Cypriani opera legitur.

CXXIV. Contra Augustinus docebat omnem baptismum evangelicis verbis in nomine Trinitatis consecratum Christi baptismum esse, etiamsi a Marcionita & pessimo qvoqve hæretico administretur. Observat pleraqve argumenta, qvæ baptismo hæreticorum & schismaticorum vel olim a Cypriano & ejus collegis opposita fuissent, vel adhuc a Donatistis opponerentur, etiam opponi posse baptismo Ministrorum ebriorum, adulterorum, aliisqve vitiis pollutorum qvales inter Donatistas esse negari non poterat. Dicebat eos, qvi virtutem baptismi a qvalitate Ministri dependere statuerent, spem in hominem ponere, & se maledictioni subjicere, qvæ extat apud Jeremiam XVII, 5. Catholicorum sententia.

 bapti-

baptiſmum ſemel rite datum non magis iterari debere qvam circumciſionem, in cujus locum baptiſmus ſucceſſit, eum qvi ſemel hoc ſacramento lotus eſt non indigere, ut iterum lavetur Joh. XIII, 10. Deum per diſpares miniſtros ſuum munus æqvare, hæreticis & ſchiſmaticis extra unitatem eccleſiæ non prodeſſe qvidem baptiſmum, ſed tamen non deeſſe, idemqve illis ad eccleſiam venientibus non eſſe iterandum ſacramentum. Illuſtrabat ſuam ſententiam variis ſimilitudinibus, aqvæ qvæ æqvali efficacia areolas irrigat, ſive in eas per canalem argenteum, ſive lapideum deſcendat, ſolis qvi per cœnoſa loca radios ſpargens nihil inde ſordium contrahit, fluminum paradiſi, qvi etiam foras manarunt, characteris regii, qvi etiam in deſertore non violatur. Addebat pro confirmatione ſuæ ſententiæ exemplum Saulis, in qvo David unctionis ſacramentum non contempſit, & Judæ traditoris, qvi ad prædicandum evangelium & baptiſmum adminiſtrandum non minus ac cæteri Apoſtoli miſſus eſt. Cypriano ejusqve anteceſſori Agrippino & conciliis ſub utroqve habitis plenarium, de qvo ſupra diximus, concilium opponebat, neqve Cypriani & aliorum Patrum teſtimonia tantæ autoritatis eſſe dicebat, ut ab iis diſſentire non liceat, ſi contra veritatem ſapiant. Monebat autem Donatiſtas, ut, ſi Cypriani autoritate delectarentur, qvi alios a ſe diſſentientes non damnavit, nec ſe ab iis ſeparavit, ut unitatis ſtudium ab ipſo diſcerent, non errores ejus imitarentur. Varia inſuper pro Cypriani excuſatione adducebat, nempe forte Cyprianum ſententiam ſuam retractaſſe, & ejus retractationem ab iis, qvi aliter ſentiunt, ſuppreſſam fuiſſe, forte etiam ſenten-

ten-

tentiam illam Cypriano suppositam fuisse, & si qvid erroris Cyprianus habuerit, passionis falce purgatum fuisse. Conferatur Augustinus epist. 48. & 256. libr. 1. contra Crescon. c. 32. libr. 2. c. 31. de unico baptismo c. 13. & imprimis in libris 7. de baptismo, in qvibus etiam Cypriani & concilii Carthaginensis sub eo habiti argumenta confutavit.

CXXV. Ut baptismi sic & ordinationis apud catholicos factæ nullam rationem Donatistæ habuerunt, siqvidem Episcopos, Presbyteros, & Diaconos ad suam ecclesiam deficientes in laicorum numero & ordine habuerunt, donec iterum ordinarentur, qvod a catholicæ ecclesiæ moribus alienum erat, ut testatur Augustinus libr. 2. contra Parmen. c. 13. Non minus & reliqva catholicorum sacra tanqvam immunda Donatistæ abhorrebant. Atqve hinc cum sub Juliano basilicas qvasdam a Catholicis hactenus usurpatas invaderent, eucharistiam canibus devorandam projecerunt, & ampullam chrismatis per fenestram ut frangerent jactaverunt, teste Optato libr. 2. p. 49. & 50. qvi addit projectam ampullam singulari miraculo servatam, eos vero, qvi sacra symbola canibus projecerant, a canibus suis in rabiem versis laceratos fuisse. Vota qvoqve apud catholicos nuncupata pro irritis Donatistæ habuerunt; & sacras virgines mitrellis suis abjectis alias accipere coegerunt, qva de re Optatus lib. 6. p. 115. & seqv. videri poterit.

Donatistarum sententia de ordinatione,

et reliqvis Catholicorum sacris.

CXXVI. Præterea de Magistratus potestate in rebus ad ecclesiam spectantibus, nec non de persecutione & martyrio orthodoxos in scriptis suis cum Donatistis multum litigasse deprehendimus. Qverebantur enim Dona-

De Magistratu.

Donatistæ se, potestatibus seculi qvasi venundari, liberumqve arbitrium a Deo creatum sibi adimi, multaqve contra Regum aliorumqve Magistratuum autoritatem blaterabant, ut videre licet ex iis, qvæ disserit Petilianus apud Augustinum libr. 2. c. 92. Persecutiones vero qvas patiebantur veræ ecclesiæ notam esse gloriabantur, & se qvidem his passionibus beatos prædicabant, in catholicos autem tanqvam in persecutores suos non sine multis calumniis invehebantur. Conferatur Optatus libr. 2. p. 46. August. libr. 1. contra Petil. c. 18. libr. 2. c. 13. & seqv. c. 33. 63. libr. 4. contra Crescon c. 46. libr. 2. contra Gaudent. c. 11. de unit. ecclesi. c. 17. brevicul. collat. 3. Qvin & passiones suas & mortes pro martyrio venditabant, ad qvod etiam per αὐτοχειρίαν adspirabant. Conferantur qvæ Augustinus de Donato Presbytero, qvi se in puteum, ut periret, miserat epistola 204. & de Gaudentio, qvi se cum aliis qvibusdam perditis in ecclesia incendio periturum minabatur libro 1. contra Gaudent. c. 1. memorat. Cum enim Donatistarum majores traditores fuissent, Judæ traditoris mortem amabant, juxta Augustinum libro 2. contra Gaudent. c. 26. in catholicorum mortibus suam lætitiam, & in suis voluntariis mortibus catholicorum tristitiam qværentes juxta Augustinum epistola 61. Videantur qvæ supra de Circumcellionibus dicta sunt, qvi cum latronum instar viverent, ut martyres mori cupiebant juxta Augustinum epist. 66.

De persecutionibus.

de αὐτοχειρία.

Oppositæ Catholicorum sententiæ.

CXXVII. Contra catholici ex Scriptura Magistratui reverentiam exhibendam probabant, & Donatistas ipsos sub schismatis sui initium Imperatoris præsidium implorasse regerebant. Non omnem impiis liber-

bertatem relinqvendam esse dicebant, nec omnem persecutionem injustam esse, cum sæpe filius de patre, servus de Domino, reus de judice perseqvente injuste conqveratur. Non aliter se Donatistas persеqvi ajebant, qvam veritas falsitatem, aut medicus ægrotum, nec se homines, sed eorum vitia perseqvi. Ad verba Christi: *reconde gladium* ex Matth. c. 26. deprompta inter alia respondebant, dextram Donatistarum auriculam forte gladio præcisam, cum Christum ad dextram Patris sedentem audire noluerint. Porro martyrem non ex pœna, sed ex causa dijudicari debere docebant, siqvidem alias dicendum foret, facinorosorum carceres martyribus plenos esse. De Raziæ autem facto, qvod ex Maccabæorum historia Donatistæ voluntarias suas mortes defensuri freqventer objiciebant, prolixe disputat Augustinus libr. 2. contra Gaudentium c. 23.

CXXVIII. Cum Ario sensisse Donatistas tradit Theodoretus libr. 4. c. 6. de hæret. fabul. Et ipsius qvidem Donati tractatum de Spiritu S. Ariano dogmati congruere Hieronymus qvoqve refert de Scriptor. eccles. c. 93. Qvod & Augustinus confirmat in libr. de hæres. c. 69. Verum idem Augustinus addit Donatistarum multitudinem ad istum Donati de Trinitate errorem attentos non fuisse. Aliqvos tamen æqvalitatem Filii cum Patre negasse scribit sermon. 31. de verb. Apostol. & in epistola ad Bonifacium refert, qvod Donatistæ Filium qvidem & Spiritum S. ejusdem cum Patre substantiæ, sed tamen aliqvi Filium Patre & Spiritum S. Filio minorem dixerint, & qvod nonnulli eorum, ut Gothos sibi conciliarent, qvos plurimum posse viderint, in eorum gratiam se idem cum illis credere dixerint. Atqve hinc

Qvatenus cum Arianis Donatistæ convenerint.

Anselmus Havelbergensis libro 1. dialogorum a Luca Dacherio tom. 13. spicilegii sui editorum p. 106. Donati hæresin descripturus, *fuit*, inqvit, *Donatus Filium Patre, Spiritum S. utroqve minorem superba contentione docens.* Posset & hoc ad Donatistarum errores referri, qvod homini liberum credendi & in fide perseverandi arbitrium concesserint, ut videre licet ex Augustini tractatu de unit. eccles. c. 9. item qvod de carne Christi non recte senserint, qvem errorem attigit Optatus libr. 1. p. 8. Qvod de visionibus gloriati fuerint, testantur acta passionis Maximiani & Isaaci a Macrobio composita, acta passionis Marculi a Donatista qvodam descripta & Augustinus epistol. 165. tract. 13. in Johan. & de unit. ecclesiæ c. 16. Neqve hac in parte a Donatistis alienus fuit Vincentius Victor, qvi jactabat Vincentium Rogatistam sibi apparuisse, sibiqve in duobus libris de anima ejusqve origine adjutorem extitisse, ut refert Augustinus libr. 3. de anim. c. 2. ubi etiam sibi relatum narrat, qvod hic Vincentius Victor Donatista qvondam seu potius Rogatista fuerit, & postea catholicæ ecclesiæ se addixerit, & tamen Vincentium Rogati successorem adhuc tanqvam magnum & sanctum virum animo tenuerit, & ab eo Vincentii qvoqve nomen adsciverit. Juramenta Donatistarum per animam Donati perstringit Augustinus in enarratione Psalmi 10. qvemadmodum & Optatus libro 3. eorundem juramenta per martyres perstringit. In ritibus etiam nonnullis Donatistæ a Catholicis dissenserunt, Epiphaniorum enim diem non cum Catholicis celebrarunt, ut notavit Augustinus sermone 32. de tempore. Verum de his non magna fuit Catholicorum cum Donatistis concertatio, sed

Donatistarum error de libertate arbitrii.

De carne Christi.

De visionibus.

Juramenta Donatistarum.

Singularitas circa ritus qvosdam.

ſed imprimis de eccleſia, baptiſmo, magiſtratu, perſecutione, & martyrio utrinqve diſputatum fuit. In qvibus controverſiis Donatiſtas Auguſtinus, ut eos propriis armis jugularet, freqventer Maximianiſtarum exemplo presſit. Cũ enim Primianiſtæ contra Maximianiſtas Magiſtratus opem imploraverint, eosqve graviſſime perſecuti fuerint, ac Prætextatum & Felicianum, cum deſertis Maximianiſtis ad Primianiſtas redirent in honoribus ſuis ſuſceperint, & eorum qvoqve, qvi ſchiſmatis tempore ab illis baptizati fuerant, communionem non reformidaverint, nihil Catholicis opponere amplius poterant Donatiſtæ, qvod in eos retorqveri non potuiſſet. Qva de re Auguſtinus libro 4. contra Creſconium prolixe egit, ut alia ejus loca taceamus.

CXXIX. Cæterum etſi inter Donatiſtas non deeſſent, qvi ſcriptis ſectam ſuam propugnarent, ægre tamen adduci poterant, ut coram cum Catholicis conferrent. Conſeſſum enim cum Catholicis vitabant, & colloqvia negabant, ut teſtatur Optatus libro 1. pag. 5. occulte ovibus inſidiabantur, & paſtoribus tamen reſpondere formidabant, ut loqvitur Auguſtinus libro 1. contra Petilian. c. 26. Conferantur etiam ejusdem epiſtola 68. 166. & 169. & liber 1. contra Creſconium c. 8. & seqv. ubi Donatiſtis Catholicorum colloqvia vitantibus opponit, qvod Paulus cum Stoicis & Epicureis & Chriſtus ipſe cum Phariſæis & Sadducæis, qvin & cum ipſo Diabolo diſputaverit.

Collationes cum Catholicis averſati Donatiſtæ.

CXXX. Qvamvis autem Auguſtinus Donatiſtas ad collationes & diſputationes freqventer provocans plerumqve repulſam tulerit, ut in ejus vita per Poſſidi-

Collatio Augustini cum Fortunio.

um scripta c. 9. relatum est, anno tamen 397. cum Fortunio apud Tubursium collationem habuit, cujus acta ab Augustino epistola 163. referuntur. Refert se cum illis, qvos secum habebat, ad Fortunium venisse, & rumore sui adventus disperso magnam turbam confluxisse, etsi pleriqve magis ad spectaculum qvam ad instructionem salutis christiana devotione accesserint, unde etiam debitam attentionem a præsentibus præstitam non fuisse qveritur. Refert ulterius se in ipso disputationis exordio postulasse, ut verba utrinqve prolata a notariis exciperentur, idqve Fortunium, etsi reluctantem, tandem tamen concessisse, sed notarios, qvi adfuerunt, id præstare noluisse, ideoqve se egisse, ut saltem fratres, qvos secum habebat notariorum vicem subirent & verba exciperent, verum eos ob inordinatas perstrepentium interpellationes, qvæ etiam disputationem Augustini cum Fortunio turbulentiorem reddiderunt, id muneris per totum disputationis actum sustinere minime voluisse. Qvibus præmissis narrat, qvalis inter se & Fortunium disceptatio fuerit, & qva ratione de ecclesia, de persecutione, aliisqve materiis cum eo disputaverit. Verum ista huc transcribere supersedeo. Dixi autem hanc cum Fortunio disputationem anno circiter 397. contigisse. Etsi enim Baronius & alii Augustini cum Fortunio colloqvium ad annum 412. referre soleant, Benedictini tamen in ordine chronologico epistolarum Augustini varias rationes proferunt, ob qvas hoc Augustini cum Fortunio colloqvium ante annum 411. habitum fuisse judicant, statuentes Tubursicense hoc colloqvium exeunte anno 397. vel ineunte anno 398. habitum fuisse.

CXXXI.

CXXXI. Congressum Possidii Calamensis Episcopi cum Crispino Donatistarum in eadem urbe Episcopo Possidii verbis describere lubet. Sic ergo ille in vita Augustini c. 12. *cum forte unus ex iis, qvos de suo monasterio & clero Episcopos ecclesiæ* (Augustinus) *propagaverat ad suam curam pertinentem Calamensis ecclesiæ diœcesin visitaret, & qvæ didicerat pro pace ecclesiæ contra illam hæresin prædicaret,* (de se ipso Possidius suppresso per modestiam suo nomine loqvitur) *factum est, ut medio itinere eorum* (Donatistarum) *insidias incurrisset, & pervasum cum omnibus illi comitatibus sublatis animalibus & rebus injuriis & cæde eum gravissima affecissent.* (Qvam injuriam Crispinus Crispini Calamensis Episcopi presbyter & cognatus Possidio intulit ab Augustino in epistola ad Donatistas & libro 3. ad Cresconium c. 46. & 47. prolixius descriptam) *De qva re ne pacis ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor ecclesiæ inter leges non siluit. Et praceptus est Crispinus, qvi iisdem Donatistis in Calamensi civitate & regione Episcopus fuit prædicatus scilicet & multi temporis edoctus, ad mulctam teneri aurariam publicis legibus contra hæreticos constitutam. Qvi resultans legibus præsentatus cum apud Proconsulem se negaret hæreticum, oborta est necessitas, ut illi recedente ecclesiæ defensore a catholico Episcopo resisteretur & convinceretur eum esse, qvod se esse negaverat, qvoniam si ab eodem dissimularetur, forte catholicus Episcopus ab ignorantibus hæreticus crederetur, illo se qvod erat negante, atqve ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino omnimodis instante, ad controversiam ambo illi Calamenses Episcopi venerunt, & de ipsa diversa communione tertio conflictum secum egerunt, magna populorum christianorum multitudine causæ exitum & apud Car-*

Possidii cum Crispino congressus.

thaginem & per totam Africam expectante. Atqve ille Crispinus proconsulari & libellari sententia pronunciatus est hæreticus. Pro qvo ille apud Cognitorem catholicus Episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur.

Collatio Carthaginensis.

CXXXII. Imprimis vero celebris est triduana illa collatio inter Catholicos & Donatistas sub auspiciis Imperatoris Honorii in thermis Gargilianis Carthagine præside seu moderatore & cognitore Marcellino Tribuno & Notario A. C. 411. calendis Juniis item d. 3. & 8. Junii habita, cujus collationis gesta, prout ex integris actis qvæ coram Marcellino conscripta fuerant, a Marcello Memoriali, qvi collationi huic interfuerat, ad nutum Severiani & Juliani abbreviata sunt, adhuc extant, etsi extrema sui parte mutilata. Et primus qvidem illa edidit Papyrius Massonius Parisiis 1589. postea vero Petrus Pithœus illa cum MSC. collata & emendata iterum vulgavit. Eadem in qvibusdam Optati editionibus legere est. Tandem vero Stephanus Baluzius in nova collectione conciliorum gesta collationis Carthaginensis emendatiora edidit, & notis suis illustravit, in qva editione ultima tertiæ cognitionis capita, qvorum soli tituli in actis a Massonio editis supersunt, ex Augustini breviculo supplentur. Cum enim Augustinus gestorum collationis Carthaginensis tantam esse prolixitatem animadverteret, ut ea lectores fatigarentur, breviculum illius collationis composuit, in qvo breviter, qvid in illa collatione gestum fuerit, commemoravit.

Acta collationis edita.

Augustini breviculum.

Alii qvi de hac collatione scripserunt.

CXXXIII. Inter recentiores Scriptores historiam collationis Carthaginensis contexuit Franciscus Balduinus, qvæ postea in una eademqve Optati editione Parisiis per Carolum Paulinum procurata & A. 1631. cum

Alba-

Albaspinæi notis & observationibus edita bis repetita fuit. Nam delibatio historiæ Africanæ, qvæ p. 199. legitur, nihil differt ab historia Carthaginensis collationis, qvæ p. 599. seqvitur, nisi qvantum prima illius historiæ editio a secunda differt. Nimirum Balduinus primum singularem libellum edidit, qvem ab argumento historiam collationis Carthaginensis inscripsit. Cum vero postea secundis curis Optatum ederet, hanc historiam separatim antea editam recognovit & Optato adjecit. Et secunda hæc Balduini editio a prima in eo differt, qvod Balduinus in prima editione nonnulla ad argumentum minus spectantia invehendi in Calvinum & Bezam studio admiscuerit, qvæ in secunda editione detraxit, alia magis ad rem pertinentia eorum loco addens. Qvæ pauca si excipiantur in utraqve editione eadem & historiæ & verborum series occurrit. Parisienses autem typographi utramqve Balduini editionem conjunxerunt, & priori Balduini editioni historiæ Carthaginensis titulum reliqverunt, secundam autem editionem, ne lectores eundem librum in uno volumine bis editum ex ipso titulo deprehenderent, delibationem historiæ Africanæ appellarunt, qvo nomine eos Mericus Casaubonus in præfatione ad Optatum Milevitanum eodem anno Londini a se editum perstrinxit. Egit præterea de collatione Carthaginensi peculiari dissertatione historico-Theologica Johannes Fridericus Heilbrunnerus, qvam Argentorati 1651. sub Dannhaueri præsidio publice ventilandam proposuit.

CXXXIV. Donatistarum nomina, qvi ad hanc collationem venerunt, recitata sunt, ut in actis primæ cognitionis c. 213. & in breviculo Augustini d. 1. c. 14. refer-

Numerus Episcoporum in Collatione hac præsentium.

fer.

fertur, 279. annumeratis etiam nonnullis abſentibus, pro qvibus tanqvam præſentibus Donatiſtæ cæteri ſubſcripſerant, & uno defuncto. Donatiſtæ enim Epiſcopi cum magnum ſuæ communionis numerum affectarent, non ſolum pro nonnullis abſentibus, ſed etiam pro qvodam defuncto ſubſcripſerunt, qvandoqvidem cum qvidam recitato ſuo nomine non reſponderet, eum in itinere defunctum cæteri dixerunt, Catholicis autem qværentibus, qvomodo Carthagine ſubſcribere potuerit, qvi in itinere jam defunctus fuerat, poſt magnas anguſtias perturbationis atqve inconſtantis & variæ reſponſionis, tandem ægrum ſubſcripſiſſe & in patriam reverſurum in itinere defeciſſe dixerunt, cujus rei Auguſtinus etiam in c. 23. tractatus ſui poſt collationem mentionem fecit. Minores igitur numero fuerunt Donatiſtæ in collatione Carthaginenſi. Nam Catholici numerati ſunt 286. ut ex actis collationis primæ c. 214. & 215. & ex Auguſtiniani breviculi c. 14. liqvet.

Catholicorum modeſtia.

CXXXV. Etſi vero Catholici numero Donatiſtas ſuperarent, non tamen ea pompa, qva Donatiſtæ Carthaginem ingreſſi ſunt, ut Auguſtinus in breviculo primæ diei c. 11. refert, modeſtiam ſuam in eo qvoqve teſtati, qvod epiſcopatum pro Chriſti unitate deponere parati eſſent, & in freqventi fere trecentorum concilio unus tantum ſenex aperte reluctatus fuerit, & alius qvidam auſteritate vultus ſui ſibi id conſilium diſplicere ſignificaverit, qvin etiam ſenex ille, cum eum fraterna reliqvorum correptio obruiſſet, ſententiam ſuam, & ſimul alter ille vultum ſuum mutaverit, ut Auguſtinus in libro de geſtis cum Emerito narrat, qvi hanc

Catho-

Catholicorum pro ſtudio pacis unanimitatem rem ſvaviſſimam & dulciſſimam appellat.

CXXXVI. Cum autem ad hanc collationem & Catholici & Donatiſtæ magno numero ex tota Africa confluxiſſent, ſeptem ex utraqve parte, qvi ſermonem ultro citroqve conferentes diſceptarent, delecti ſunt, qvi totidem alios velut conſiliarios & præterea qvatuor Notarios adjunctos ſibi habuerunt. Ex catholicis ad colloqvium delecti Aurelius Carthaginenſis, Alipius Tagaſtenſis, Auguſtinus Hipponenſis, Vincentius Culuſitanus, Fortunatus Conſtantinienſis, Fortunatianus Siccenſis, & Poſſidius Calamenſis. Ex Donatiſtis delecti Primianus Carthaginenſis, Petilianus Conſtantinienſis, Emeritus Cæſareæ Mauritaniæ, Protaſius Tubinienſis, Montanus Zamenſis, Gaudentius Thamugadenſis, & Adeodatus Milevitanus. Nomina Conſiliariorum & Notariorum utriqve parti adjunctorum cognoſci poſſunt ex indiculo, qvem Baluzius actis collationis ſubjunxit, etſi ex Donatiſtarum Conſiliariis qvatuor tantum nominentur, cum reliqvorum nomina exciderint. Idem vero Baluzius etiam nomina Epiſcoporum ſive Catholicorum, ſive Donatiſtarum, qvæ in collationis actis occurrunt, collegit, & juxta alphabethi ordinem recenſuit. Sunt autem nomina Catholicorum 266. Etſi enim 286. collationi interfuerint, viginti tamen in actis haud nominati ſunt, qvorum tres in notis ad collationem p. 229. 248. & 249. ex conjectura ſupplevit, Donatiſtas autem numeravit 313. etſi ex collatione primi diei conſtet, qvod tantum 279. Donatiſtarum nomina recitata fuerint, unde colligit, qvod aliqva ſuper-

Nomina Epiſcoporum, qvi utrinqve ad collationem ſelecti.

 nume-

numerarii occasione tantum data nominati fuerint, dum reliqvorum nomina recitarentur.

CXXXVII. Ipsa collationis gesta ex actis supra memoratis & brevius ex Augustini breviculo cognosci possunt. Qvamobrem illis recensendis supersedeo, cum præsertim magna illorum pars inutiles altercationes a Donatistis varia effugia qværentibus excitatas complectatur, & cætera jam superius magna ex parte delibata fuerint. Eventus autem collationis ille fuit, ut victoria penes Catholicos steterit. Marcellinus enim, ut Augustinus in fine breviculi sui refert, confutatos a Catholicis Donatistas omnium documentorum manifestatione pronunciavit. Qvod judicium nocte prolatum Donatistæ cavillati sunt, *qvasi non sæpe*, ut Augustinus tract. post collat. c. 12. loqvitur, *judices audiendi necessitas teneat, ut usque ad multam partem noctis sedere cogantur. Nocte causa finita est*, ait iterum Augustinus, *sed ut nox finiretur erroris, nocte dicta est sententia, sed fulgens lumine veritatis* c. 35. ubi etiam aliam Donatistarum cavillationem retundit, se tanqvam in carcere conclusos fuisse conqverentium, cum tamen simul cum Catholicis in loco & spatioso & lucido & refrigeranti fuerint.

Eventus collationis.

Donatistarum cavillationes adversus Marcellini judicium.

Sententia Marcellini.

CXXXVIII. Ipsa sententiæ a Marcellino pronuntiatæ verba ad calcem actorum collationis leguntur, ac ita sese habent: *Vellem qvidem, qvod & omni devotorum intentione nunc cupio, ut qvanta ex demonstratione veritatis & tandem proditi erroris orta lætitia est, tanta ex conversione superstitionis antiqvæ & in melius mutatæ sententiæ gratulatio nasceretur. Magna enim gaudia esse qvis dubitet, cum inveteratæ ægritudini provenit insperata curatio; causamqve exultationis in talibus majorem facit sanitas restituta*

qvam

quam semper retenta. Sed quia obstinatio mentium perditarum, quas pravæ simul persuasionis vincula nexuerant, ad viam salutis ostensæ aut redire dissimulat aut, quod est deterius, impudentia reformidat, exserenda jam legum est & exercenda sententia, ut quos ad bonam valetudinem leniora post apertam cominus veritatem medicamina non revocant, acrior restituat curationis intentio. Cui enim ratio proxima, sicut gestorum series subjecta demonstrat, sicut divinorum quoque voluminum indita exempla testantur, non liquido declaret alieni, etiamsi probari potuisset, sceleris noxa alium fieri reum omnino non posse & universalis ecclesiæ statum Cæciliani insimulatione, de quo nihil reprehensibile potuit approbari, non debere subverti, nec etiam eorum, qui se a corpore ecclesiæ separarunt, lata adversus eum præjudicare valuisse sententia, sicut nec a Maximianistis recenti tempore in absentem Primianum prolata damnatio eidem nocere prævaluit? Cui etiam illud ad correptionis causam non omni ex parte sufficiat tot judiciis patefacta Donato auctore schismatis comprobatio, Cæciliani persolutio atque purgatio, ultimaque sententia triumphabilis memoriæ Constantini, qua evidentius docetur expressa & Cæciliani innocentia & Donati sociorumque ejus calumniosa criminatio, Felicis quoque Aptugnensis ordinatoris ejus proconsularis sententiæ documentis ostensa purgatio? Unde si hæc tam perspicua atque manifesta inveterato mederi nequeunt morbo, putris est vulneris sanies reprimenda; ut libertate præclusa, sibi tantum nocere, quia hoc potius elegit, incipiat. Per hæc enim fiet, ut velit aliquando sanari. Declaratæ igitur veritati detecta falsitas colla summittat. Unde universos ordinis viros, dominos etiam fundorum, actores, conductores tam domus divinæ quam etiam privatarum possessionum, senioresque omnium locorum, hujus edicti autori-

tate commoneo qvatenus memores legum, dignitatum, æstimationis salutisqve propriæ, Donatistarum conventicula in omnibus civitatibus & locis probibere contendant, ita ut ecclesias qvas eis humanitate mea absqve imperiali præcepto usqve ad diem sententiæ constat indultas Catholicis tradere sine ulla dilatione festinent, ni malunt tot sanctionum laqveis inretiri: qvas qvidem, si unitati catholicæ consentire voluerint, eorum esse sat certum est. Majore autem causa atqve sollertia post detectam modis omnibus unitatem superstitionemqve convictam a proprii debent facinoris intentione depelli: Hi autem qvi post vetita legum eorum se cœtibus miscuerint, indubitanter intelligant pœnam se imperiali arbitrio præstitutam ulterius vitare non posse, qvos principe loco post agnitæ catholicæ reverentiam legis ad prophanos eorum cœtus communionemqve redisse sat clarum est. Qvod ut ante non fieret, patientiæ tantum consideratione & spe correctionis aliqva parte ex parte distuleram. Hactenus igitur inimicos fidei christianæ legibus insultasse sufficiat, maxime cum eorum notas certum sit esse personas. Qvid necesse est tot sanctionum, qvoniam nulla emendatio subsecuta est, nexibus subdi? Ipsam vero Catholicorum Episcoporum, etiam post victoriam veritatis, noverint Donatistæ manere sententiam; ut completis conlationibus qvas eis & ante oblatas publica conscientia retinetur, & nunc offerri sine dubitatione sat certum est, sese suscipi posse cognoscant. Superioris autem edicti fidem in omnibus certum est reservari. Unde unusqvisqve Donati communionis Episcopus ad loca propria sine ulla debet inqvietudine ac molestia remeare; qvatenus in propriis constitutus, aut ad unam veramqve ecclesiam revertatur, aut satis legibus facere sine dissimulatione non differat. Hi autem qvi in prædiis suis circumcellionum turbas se habere cognoscunt, sciant,

sciant, nisi eorum insolentiam omnimodis comprimere & refrænare gestierint, maxime ea loca a fisco mox occupanda. Siqvidem tam catholicæ legi qvam qvieti publicæ, ut eorum conqviescat insania, in hac parte consulitur. Gestorum autem relectio qva profertur superius memoratum a Donatistis errorem schismatis extitisse, atqve Cæcilianum & cæteros, qvos improbe crediderant accusandos, fuisse purgatos, sanctitatem vestram plenissime poterit edocere. Tanti autem hæc collatio facta est, ut in multis ecclesiis qvotannis qvadragesimali tempore publice a capite ad calcem recitaretur, ut Augustinus in tractatu de gestis cum Emerito testatur, qvæ paulo post collationem Carthaginensem contigerunt. Acta collationis qvotannis publice recitata.

CXXXIX. Cum enim post illam collationem, cujus etiam Possidius in vita Augustini c. 13. & Orosius l. 7. c. 42. meminerunt, Donatistæ qvidam murmurarent, qvod suis Episcopis a Marcellino Catholicis favente non permissum fuerit, omnia pro suæ partis defensione in medium proferre, Augustinus occasione data Emeritum Cæsariensem in Mauritania Episcopum, qvi ex Donatistarum parte collationi interfuerat, convenit, eumqve provocavit, ut si qva in collatione proseqvi ipsi ob Marcellini potestatem non licuisset, nunc in ecclesia astante utriusqve communionis populo nullaqve potestate prohibente libere proferret, ut Possidius c. 14. in vita Augustini refert. Augustini collatio cum Emerito.

CXL. Facta est hæc cum Emerito collatio Honorio 12. & Theodosio 8. Coss. h. e. anno vulgaris æræ 418. d. 12. Cal. Octobr. in ecclesia majori urbis Cæsareæ præsentibus præter Augustinum & Emeritum Deuterio Metropolitano Cæsariensi, Alipio Tagastensi, Possi-

dio Calamensi, Rustico Cartenitano, Palladio Tigabitano aliisqve Episcopis, nec non Clero & plebe Cæsareensi. Etsi autem Augustinus Honorio & Theodosio Coss. hæc gesta esse dicat, perperam tamen Centuriatores cent. 5. p. 771. scribunt, qvod ipsi Imperatores huic disputationi interfuisse dicantur. Et Augustinus qvidem cum prius totum cœtum compellasset, ad Emeritum conversus eum hortatus est, ut si victus sibi non videretur, aut potius potestate oppressum qvam veritate victum se putaret, loqveretur, unde sibi victor videretur, cui Emeritus respondit, gesta indicare, viceritne an victus fuerit, victusne veritate an potius potestate oppressus fuerit. Augustino autem Emeritum urgente, & Emerito pauca respondente tandemqve obmutescente, Augustinus literas, qvas ante collationem Catholici ad Cognitorem Marcellinum scripserant, recitari jussit, tandemqve de Primianistarum & Maximianistarum, contra qvos Emeritus in concilio Bagajensi sententiam dixerat, causa disseruit, qvæ omnia ab Augustino in libro de gestis cum Emerito referuntur. Emeritus autem cum qvæ responderet non haberet, illum Augustini de Maximianistis sermonem mutus audivit, ut Augustinus lib. 2. retract. c. 51. testatur. Conferatur etiam Augustinus libro 1. contra Gaudentium c. 14.

Magdeburgensium error notatur.

Fructus collationis Carthaginensis.

CXLI. Dicit autem Augustinus in libro de gestis cum Emerito, Donatistas in civitate Cæsareensi in gremium catholicæ ecclesiæ magna ex parte susceptos fuisse, ita ut pœne omnes communioni catholicæ sociatos gauderet. Unde colligi potest, ex collatione Carthaginensi insignem fructum ad ecclesiam redundasse, multos-

tos-

tosqve huic ſchiſmati implicitos ab eo tempore ad eccleſiæ Catholicæ communionem rediiſſe. Qvod Auguſtinus etiam in ep. 50. ad Bonifacium confirmat. Utrumqve locum Auguſtini adducit Balduinus in hiſtoria collationis Carthaginenſis, additqve, optandum fuiſſe, ut etiam Catholici mali, qvorum depravatio Donatiſtas incitabat, horum tumultibus correcti & emendati fuiſſent, qvod cum factum non fuerit, non multo poſt collationem accidiſſe ſcribit, ut hoſtes Donatiſtis longe deteriores in Africam inundarint, qvi Carthagine everſa multisqve eccleſiis exciſis terribile ultionis divinæ adverſus deploratam impietatem exemplum ediderunt.

CXLII. De collationibus, qvas Auguſtinus cum Donatiſtis, nullam eos emendandi occaſionem prætermittens per epiſtolas vel habuit vel habere voluit, ejusdem ad Proculianum, Honoratum, Criſpinum & alios epiſtolæ teſtari poſſunt. Atqve hinc evidenter patet, qvanto ſtudio Auguſtinus ut Donatiſtas ad meliorem viam reduceret, laboraverit. Qvo etiam effectum eſt, ut etſi poſt Auguſtinum Donatiſtarum reliqviæ ſuper eſſent, vires tamen illorum usqve adeo fractæ fuerint, ut, juxta Benedictinos in præfat. ad T. IX. operum Auguſtini, langventis & ad excidium properantis corporis ſimulacro, aut favillæ ſeu fumo, qvi ex ingenti incendio relinqvitur, ſimiles extiterint.

Concilia contra Donatiſtas habita.

CXLIII. Non ſolum autem in collationibus variis, ſed etiam in conciliis orthodoxi Doctores eccleſiæ cauſam contra Donatiſtas egerunt. Qvorum omnium geſta & decreta ad ætatem noſtram non pervenerunt. Qvamobrem aliqva tantum commemorare licet. Nec ea, qvæ ſub initium ſchiſmatis Donatiſtarum ſub Conſtantino habita diximus, repetere opus erit, aut illud qvod

qvod ſub Conſtantis imperio poſt Pauli & Macarii legationem in Africam celebratum fuit, iterum commemorare. Ea potius breviter recenſebimus, qvæ labente jam qvarto & ineunte qvinto ſeculo acta ſunt.

Hipponenſe A. C. 393.

CXLIV. Et Hipponenſe qvidem concilium circa annum 393. habitum can. 41. Donatiſtas in numero laicorum recipiendos decrevit, ut docent ſtatuta Hipponenſis concilii breviata, qvæ extant T. II. Concil. Labb. p. 1181. ubi ſtatim hoc capitulum ſubjicitur: *placuit etiam, ut qvia in præcedentibus conciliis ſtatutum eſt, ne qvis Donatiſtarum cum honore ſuo recipiatur a nobis, ſed in numero laicorum; propter ſalutem, qvæ nulli deneganda eſt, (tantum autem inopiæ clericorum ordinandorum in Africa patiuntur eccleſiæ, ut qvædam loca omnino deſerta ſint) ſervetur qvidem in iſtis, qvod jam antea creditum eſt: ſed exceptis his, qvos aut non rebaptizaſſe conſtiterit, aut qvi cum ſuis plebibus ad communionem catholicam tranſire voluerint. Sic enim ſcriptum eſt: Qvod duobus ſi convenerit Chriſtianis, qvidqvid petierint, impetrabunt. Non oportet dubitari, qvod remoto ſcandalo diſſenſionis univerſæ plebis, invitatæ pacis compenſatione & ſacrificio caritatis, aboleantur, qvæ majorum ſuorum auctoritatem ſeqventes, repetitione baptiſmi commiſerunt.* Et hoc capitulum etiam in codice canonum eccleſiæ Romanæ per Qveſnellium edito legitur, qvi capit. 2. Hipponenſis illius concilii canones non abbreviatos ſed integros adeoqve a vulgatis non parum diſcrepantes exhibet. Verum Schelſtratenus in eccleſ. Afric. p. 186. vulgatam Hipponenſium canonum editionem Qveſnellianæ præferendam exiſtimat, imo canones illos Hipponenſes & præmiſſam ſynodicam epiſtolam concilii Carthaginenſis, in qvo canones Hipponen-

ponenses abbreviati perhibentur, si non suppositam saltem interpolatam censet, cum synodica illa non tam in concilio qvodam Carthaginensi qvam Byzaceno scripta videatur. Qvod autem Hipponensis concilii canones sint suppositi inter alia ex eo probat, qvod canones a Fulgentio Ferrando ex concilio Hipponensi adducti in illo Hipponensi canonum breviario non leguntur. Verum responderi potest Hipponense concilium, cujus canones a Ferrando allegantur, ab isto Hipponensi, de qvo nunc loqvimur diversum fuisse, in qva sententia video esse Petrum de Marca in dissert. de veter. canon. collect. p. 255. qvi etiam observat, Ferrandum alterius Hipponensis concilii omissa mentione ejus statuta Carthaginensi III. adscripsisse, cum Hipponense illud concilium in Carthaginense transfusum & ab eo qvasi plane absorptum fuerit.

CXLV. Pergimus ergo ad Carthaginense tertium A. C. 397. Cæsario & Attico Coss. V. Kal. Septembr. habitum, cujus canone 38. rebaptizationes & reordinationes prohibentur, qvod statutum Donatistis oppositum fuisse dubium non est. In eodem concilio can. 48. decretum fuit, ut Siricius Episcopus Romanus & Simplicianus Episcopus Mediolanensis consulerentur de infantibus Donatistarum, ne, si aliqvando ad ecclesiam Dei converterentur, parentum error eos a promotione ad sacrum ministerium impediret. Qvod statutum in codice canonum ecclesiæ Afric. canonem 47. constituit, qvem mox canone 48. alter, qvem in latina editione hujus concilii 38. numero esse diximus, contra rebaptizationem & reordinationem directus excipit. Carthaginense 3. A. 397.

CXLVI. Concilii IV. Carthaginensis A. 398. celebrati Carthaginense 4. A. 398.

brati canon 43. de christianis catholicis agit, qvi ob religionem christianam tribulationes patiuntur. Qvo canone respectum haberi ad persecutiones Africanæ ecclesiæ per Donatistas excitatas Binius aliiqve arbitrantur. Confirmat hanc sententiam Schelstratenus ex epistola Augustini 50. in qva refert Maximianum Vagiensem variis vulneribus ad mortem usqve percussum, cujusdam Episcopi manum & lingvam præcisam fuisse, nonnullorum oculos extinctos, nonnullos etiam trucidatos. Cujusmodi facinora imprimis Circumcelliones perpetrarunt, de qvibus supra dictum est. Nunc tantum addimus obiter, Circumcellionum seu Circellionum nomen, qvod primum illis Donatistarum assèclis datum est, postea qvoqve monachis illis inditum fuisse, qvi sub monachorum habitu usqveqvaqve vagabantur venalem hypocrisin circumferentes & sumptum lucrosum egestatis aut simulatæ pretium sanctitatis exigebant, ut ab Isidoro varia monachorum genera describente delineantur, cujus verba Benedictus Anianensis in concordia regularum repetit p. 121. Eosdem Benedictus in sua regula gyrovagos appellat, & describit, qvod in tota vita sua per diversas provincias ternis aut qvaternis diebus per diversas cellas hospitentur semper vagi nunqvam stabiles & propriis voluptatibus & gulæ illecebris servientes. De qvo Monachorum genere etiam Menardus in notis ad concordiam regularum Benedicti p. 105. & 123. consulatur.

Monachorum genus, qvi Circumcelliones dicti.

CXLVII. In ejusdem Carthaginensis IV. concilii canone 61. clericus per creaturas jurans acerrime objurgandus, & si in hoc vitio perstiterit, excommunicandus dicitur. Huic autem canoni Donatistas occasionem

præ-

buisse vel saltem præbere potuisse Schelstratenus in ecclesia African. p. 221. asserit. Sane Donatistis juramenta per creaturas solennia fuisse superius ex Augustino & Optato observatum fuit. Cæterum cum vulgo canones 104. concilio Carthaginensi IV. adscribantur, Baluzius in nova conciliorum collectione canonem 105. addidit, qvi de schismaticis agit destruentibus, qvod a Catholicis ædificatur. Decernunt autem Patres Carthaginensis Synodi in illo canone, ut qvisqvis contra ecclesiam Dei se elevaverit, seditionum schismata seminans, si clericus sit, e gradu suo cadat, si laicus, ab ecclesia Dei qvam sprevit, segregetur. Qvem canonem in Msc. codice ecclesiæ Urgellensis inventum ad Donatistarum schisma respicere dubium non est. Canon 105. concilio Carthaginensi a Baluzio additus.

CXLVIII. De canone 11. concilii Carthaginensis A. 400. celebrati, qvo ritus Donatistarum Sacerdotibus lapsis manus tanqvam laicis imponentium perstringitur, nihil addimus, sed ad proximum concilium pergimus. Anno enim 401. alia Carthagine synodus celebrata fuit d. 16. Cal. Jul. in qva inter alia legatio ad Romanam & Mediolanensem ecclesiam decreta fuit. Cum enim ob Donatianum schisma & bellicos tumultus ecclesia Africana magna Clericorum penuria laboraret, cui qvomodocunqve subveniri poterat, si redeuntes a schismate ad Clerum admitterentur, & saltem parvuli a Donatistis baptizati, si agnito errore ad catholicam ecclesiam redirent, a ministerii dignitate non excluderentur, ad Anastasium Romanum & Venerium Mediolanensis ecclesiæ Episcopum miserunt, ut eorum consilium explorarent, & consensum ambirent, qva de re codex canonum eccl. Afr. can. 57. & præmissa huic ca- Carthaginense A. C. 400. Aliud A. 401.

 noni

Petrus de Marca refutatur.

noni Aurelii præfatio videatur. Ex qvo Petrus de Marca de veter. collect. can. c. 8. colligit, ad decretum Romanæ sedis, qvo redeuntes a schismate Donatistarum ad Clerum promoveri prohibuerat, etiam Africanos obligatos fuisse, & eorum veniam atqve remissionem ob publicam necessitatem a sede apostolica præcipue & a Mediolanensi qvoqve petere opus habuisse. Verum Africani se ad decreta transmarina obligatos minime agnoverunt, etsi nonnunqvam, ut decretis suis majorem autoritatem facerent, ecclesiarum illarum consensum petiverint, aut ipsorum consilium & informationem non neglexerint. Nec in minori autoritate apud illos fuit Mediolanensis Episcopus qvam Romanus, qvemadmodum & Galli & Hispani in qvibusdam negotiis non minus ad Mediolanensem qvam ad Romanum Episcopum scripserunt, ut a Justello in notis ad canonem eccles. Afric. 47. observatum est.

Aliud concilium eodem anno.

CXLIX. Eodem anno 401. mense Septembri aliud concilium Carthagine celebratum fuit. In qvo concilio recitatæ primum fuerunt literæ Anastasii Episcopi Romani, Africanos Episcopos hortantis, ut de hæreticorum & schismaticorum Donatistarum insidiis & gravissimis turbis, qvibus Africanam ecclesiam vexabant, nullo modo dissimularent. Qvam paternam Anastasii pro Africanis ecclesiis solicitudinem Africani Patres grato animo exosculati sunt. Deinde aliqvot canones sanciti sunt, qvorum priores qvatuor Donatistas tangunt. Nam primo canone, qvi in codice Afric. ecclesiæ sexagesimus sextus est, decretum fuit, ut cum Donatistis lenius ageretur. Sic enim futurum augurabantur, ut miserabili illo errore devincti mansveta cor-

ta correctione ad saniora consilia reducerentur. In secundo canone hujus concilii, 67. codic. Afric. placuit Africanis, judices Africanos per literas & legatos rogare, ut judiciaria potestate atqve diligentia & fide christiana inqvirerent, qvid in locis, in qvibus Maximianistæ basilicas obtinuerant, gestum fuisset, eaqve acta instrumentis publicis ad firmam omnium notitiam & perpetuam memoriam consignarent. Hac enim ratione causam catholicæ ecclesiæ egregie adversus Donatistas adjutum iri sperabant, si palam fieret, iniqve ab ecclesiæ communione secessisse, qvi Maximianistas a se defecisse graviter ferebant, nec minori iniqvitate eos catholicæ ecclesiæ communionem aversari & baptismum respuere, qvi Maximianistas cum suis honoribus receperant, & baptismum ab illis tempore schismatis administratum ratum habuerant.

CL. Tertius hujus concilii canon seu canon 68. codicis Africani decernit, Donatistarum Clericos, si ad ecclesiæ unitatem redeant, a Cleri dignitate non excludendos esse. Qvia autem in concilio aliqvo transmarino contrarium huic decretum factum fuerat, placuit Africanis, Anastasio aliisqve Episcopis significare, necessitatem Africanæ ecclesiæ maximamqve Clericorum penuriam, ut tale decretum facerent, exegisse, neqve sibi propositum esse, ut autoritas concilii illius transmarini, in qvo contrarium statutum fuerat, plane dissolvatur, sed tantummodo illi a rigore illius decreti excipiantur, per qvos manifestis animarum lucris catholica unitas in locis, ubi degunt, vel omnino perfici vel adjuvari posse visa fuerit. Qva in re etiam ad priora schismatis tempora provocant, respicientes forte ad

te ad decretum Melchiadæ Episcopi Romani, qvod suo loco supra recitavimus. Qvartus vero hujus concilii canon seu codicis Africani 69. decernit legationem ad Donatistas componendæ pacis causa dirigendam, qva Donatistarum Episcopi & plebes imprimis per acta Maximianistarum convinci debebant, qvam injuste unitatis vinculum rumperent.

Concilium Carthaginense A 403.

CLI. In concilio Carthaginensi, qvod A. C. 403. celebratum est, duo canones de Donatistis constituti, qvorum unus de conveniendis Donatistis, alter de forma conventionis Donatistarum agit. Sunt illi canones in codice ecclesiæ Africanæ 91. & 92. Et hujus de conveniendis Donatistis decreti Augustinus libr. 3. contra Cresconium c. 45. meminit, qvi etiam addit, factum a catholicis, qvod in illo concilio decretum fuerat, sed Donatistas ejusmodi collationes recusasse. Qvod capite seqventi exemplo Crispini Calamensis Donatistarum Episcopi probat. Is enim a Possidio orthodoxo illius civitatis Episcopo conventus, responsionem suam usqve ad Donatistarum concilium distulit, pollicens, se in eo cum collegis suis visurum, qvid responderi debeat. Repetita autem post longum tempus conventione respondit: *verba peccatoris ne timueris* & iterum: *in aures imprudentis cave ne qvicqvam dixeris, ne cum audierit, irrideat sensatos sermones tuos.* Postremo responsionem suam hoc sermone definivit: *recedant a me impii, vias eorum nosse nolo.* Qvin etiam postea Possidio iter facienti per alium Crispinum insidias struxit. Ex qvo patet, qvam ægre conventionem in Carthaginensi hoc concilio decretam admiserint. Cæterum cum in canone 92. amplissimæ sedis mentio fiat, per eam qvidem Baronius

ronius Romanam sedem intelligit, cujus autoritatem undecunqve stabilire solet. Verum Baluzius in nova collectione conciliorum p. 111. per amplissimam sedem sedem Proconsularem intelligendam esse non obscure innuit. Monet enim, qvod Episcopi hujus concilii porrexerint preces Septimino Proconsuli ad firmanda gesta conventionis Donatistarum, & qvod illæ preces una cum responso Proconsulis legantur in collatione Carthaginensi part. 3. cap. 174. Baronius refutatus.

CLII. Et preces qvidem Episcoporum Septimino Proconsuli porrectæ ita se habent: *æqvitatem tuam petimus, Septimine vir clarissime, Proconsulum summe sublimis. Multa contra divinas humanasqve leges ab hæreticis de parte Donati ecclesia catholica sustinet, quæ si vel anterioribus vel recentioribus imperialibus jussis prohibenda & tollenda postulanda vellemus, neqvaqvam audere deberent de nostris actionibus conqveri, scientes se, cum nulla tali lege adjuvarentur, schismaticos tamen suos Maximianistas per judicum jussa locis ac sedibus eorum pellendos exturbandosqve curasse. Veruntamen nos saluti eorum & nostræ existimationi pacifice consulentes, propter caritatem qva Christiani sumus, leniter eos volumus admonere; ut errorem suum cogitando & agnoscendo non negligant; aut si putant se habere aliqvid veritatis, non eam furiosis circumcellionum violentiis contra publicam qvietē, sed tranqvilla rationis redditione defendant. Unde petimus sublimitatem tuam; ut cum eos de hac re per magistratus sive in civitatibus sive in pertinētibus territoriis admonere voluerimus, copiam nobis præberi gestorum & eos ex allegatione nostra honeste convenire præcipias; qvod consecuti, agamus excellentiæ tuæ uberes gratias. Data ab universis Episcopis catholicis ex concilio Carthaginensi D. N. Theodosio PP. Augusto & Rumorido*

rido V. C. Consulibus, Idibus Septembris, Carthagine. Responsio autem Septimini Proconsulis ita se habet: *In qvolibet loco antistitibus legis venerabilis ob qvietis imperium gestorum conficiendorum tribuitur facultas; hoc etiam tenore hujus praeceptionis limitato, ut intelligant, se devia plebis magistris salubriter petentibus propria persvasionis ratiocinia persolvere; ut rebus in medio prolatis, amica legis moderatio servetur, superstitione supplosa.* Atqve hinc facile colligi potest, qvid per sedem amplissimam intelligatur, cum in canone 92. codicis Afric. legitur: *qvod de autoritate illius amplissimæ sedis impetraverimus, petimus gravitatem vestram recitari & gestis innecti & in effectu deduci jubeatis. Recitata autem illa jussione &c.* Nam per jussionem amplissimæ sedis nihil aliud intelligitur, qvam jussio Proconsulis, qva Magistratibus præcipiebatur, ut catholicis Episcopis potestas conveniendi Donatistas fieret.

Concilium Carthaginense A. 404.

CLIII. Synodus A. C. 404. Carthagine congregata Theasium & Evodium ad Imperatores ablegavit, qvi concilii hujus nomine ab Imperatoribus submisse peterent, ut, cum Donatistæ amicas conventiones ipsis oblatas respuissent, multosqve non modo laicos sed Episcopos etiam aliosqve Clericos vel aperta violentia vel insidiis oppressissent, & ecclesias aliqvas vel invasissent vel invadere tentassent, obstinata eorum malitia & imprimis Circumcellionum rabies pœnis coerceretur, & catholicæ ecclesiæ contra illorum conatus defenderentur. Petierunt qvoqve ab Imperatoribus, ut lex Theodosii senioris, qvi ordinatoribus vel ordinatis hæreticis mulctam decem librarum auri injunxerat, confirmaretur, & contra illos Donatistas exerceretur, contra qvos catholici insidiis eorum provocati contestationem

tionem deposuissent. Qvin illud qvoqve petiverunt, ut lex qvæ hæreticis vel ex donationibus vel ex testamentis aliqvid capiendi vel relinqvendi denegat facultatem, qva de re commonitorium legatis datum seu canon. cod. Afric. 93. videatur, etiam ad Donatistas extenderetur. Qvibus postulatis qvomodo Imperatores annuerint, inferius audiemus.

CLIV. Nunc ad concilium pergimus A. C. 405. habitum, cujus gesta can. 94. codicis Africani breviter exponuntur. Inter alia autem decretum fuit, ut qvia tantum apud Carthaginem unitas facta fuerat, literæ ad judices mitterentur, ut in aliis qvoqve civitatibus & provinciis unitatem procurarent. Decretum qvoqve, ut de ecclesia Carthaginensi pro universa Africa gratiarum actiones ob exclusionem Donatistarum cum Episcoporum literis per duos Clericos ecclesiæ Carthaginensis ad comitatum mitterentur. Qvid in concilio, qvod Honorio VII. & Theodosio II. Coss. seu A. C. 407. Carthagine congregatum est, de plebibus vel diœcesibus a Donatistarum schismate conversis decretum fuerit in canone 99. codicis ecclesiæ African. recensetur. Nimirum concessum illis est, si qvendam Episcopum habuissent, ut Episcopum proprium haberent, nisi ad alterius alicujus Episcopi diœcesin pertinere mallent. Decretum qvoqve fuit, ut plebes, qvæ ante legem Imperatorum de unitate latam catholicæ ecclesiæ accesserunt, Episcopis, a qvibus ad catholicam ecclesiam perductæ essent, adjudicarentur. Secus de aliis judicatum fuit. Nam per legem unitatis qvicqvid ecclesiarum nomine partis Donati possidebatur, Imperatores ad catholicam transire jusserunt, ut

Concilium Carthag. A. 405.

Aliud A. 407.

Zz Augu-

Augustini verbis ex 50. ejus epistola ad Bonifacium postrema illius canonis verba explicemus.

Duo concilia Carthaginensia A.C. 408.

CLV. Duorum conciliorum, qvæ A. 408. Carthagine coacta sunt gesta in codice canonum ecclesiæ Africanæ paucis referuntur. Dicitur enim Basso & Philippo Coss. 16. cal. Jul. concilium in secretario basilicæ restitutæ congregatum fuisse, in qvo Fortunatianus legationem contra paganos & hæreticos susceperit, iterumqve iisdem Consulibus in eodem loco concilium fuisse, in qvo Restitutus & Florentius Episcopi contra paganos & hæreticos legationem susceperint eo tempore, qvo Severus & Macarius occisi sunt, propter qvorum causam etiam Evodius, Theasius & Victor cæsi in ejusdem concilii actis perhibentur. Cujusmodi autem illæ legationes contra paganos & hæreticos fuerint ex Augustini epistola 129. ad Olympium cognosci potest. Nimirum Stilicone tum sublato Donatistæ & pagani ad libertatem adspirabant, causantes, qvod leges de infringendis idolis & hæreticis corrigendis hactenus latæ præter Imperatoris Honorii voluntatem a Stilicone promulgatæ fuerint, ideoqve cum Stilicone exspiraverint. Qvo rumore sive per Donatistas dolose jactato sive libenter credito multorum animi catholicis periculose infesti reddebantur. Theasius autem hic & Evodius, qvos cum Victore cæsos ex codice canonum eccles. Afric. diximus, iidem sunt, qvorum & supra thes. 53. mentionem ex eodem codice fecimus. Qvam infensi vero illis Donatistæ fuerint, patet ex collationis Carthagin. cognit. 3. c. 141. ubi Petilianus dicit, *illos* (Theasium & Evodium, qvi in verbis proxime præcedentibus nominantur) *præcur-*

cursores ac navigantes semper habent, furiaeqve suae legatos, qvi expectant sangvinem, expectant proscriptiones, incutiant metus, pericula ingerant, homines per provincias diversas occidant. Etsi enim in illo collationis loco Massonus Theodosium & Emedium legat, & in erratis Theodosium & Rumoridum legendum existimet, Pithœus vero in sua collationis editione Theodosium & Ennodium legat; Baluzius tamen ex codice MSC. Theasium & Evodium restituit, & in notis ad collationem p. 294. observat Theasium Memblositanum, non Membresitanum, ut Garnerius putavit, Evodium autem Uzalensem Episcopum fuisse.

CLVI. Post Consulatum Honorii VIII. & Theodosii IV. Cal. Maji concilium iterum Carthagine habitum est, in qvo Florentius, Possidius, Præsidius & Benenatus, qvi in græco codicis Afric. textu Βενάτος appellatur, occasione legis, qvæ de libertate religionis lata fuerat, contra Donatistas legationem susceperunt. Ad qvem locum Justellus in notis varia & Imperatorum decreta & Patrum dicta, qvibus religionis libertas asseritur, adduxit. Concilium Carthaginense A.C. 410.

CLVII. Anno 412. qvi proximus post collationem Carthaginensem fuit, concilium Zertense celebratum fuit, cujus acta qvidem perierunt, de qvibus tamen cujusmodi fuerint, colligi potest ex Synodica epistola, qvam Sylvanus, Valentinus, Aurelius, Innocentius, Maximinus, Optatus, Augustinus, Donatus cæteriqve Episcopi in concilio illo congregati ad Donatistas scripserunt, ut eorum Episcopos in collatione Carthaginensi convictos demonstrarent, eosqve ad amplectendam catholicæ ecclesiæ communionem incitarent, Concilium Zertense A. 412.

rent. Extat autem hæc epistola inter Augustini epistolas, qvi eam totius concilii nomine composuit, & in nonnullis exemplaribus de Cirtensi concilio scripta dicitur. Verum in aliis editionibus & plerisqve codicibus MSC. e concilio Zertensi scripta illa epistola dicitur, qvam lectionem etiam Benedictini præferunt, observantes, aliam fuisse civitatem Cirtam, qvæ etiam Constantina appellatur, & aliam Zertam, cum in collatione Carthaginensi præter Constantinensem Episcopum Fortunatum, alii duo Zertenses Gaudentius & Salustius recenseantur, de qvibus Ruinartus in notis ad notitiam ecclesiæ Africanæ p. 374. videri poterit. Sive autem Cirtense appelletur hoc concilium, sive Zertense, præter meritum a Labbeo in indice, qvem secundo conciliorum tomo præfixit, conciliabulum appellatur.

Index Labbei emendatur.

Concilium Carthaginense A. 418.

CLVIII. In concilio, qvod Honorio XII. & Theodosio VIII. Coss. seu A. C. 418. Carthagine celebratum est, canones qvosdam constitutos esse, qvi ad Donatistas spectant, testantur canon 117. & seqventes codicis Africani. Cum enim post canonem de plebibus a schismate Donatistarum conversis in concilio Carthaginensi anni 407. sancitum multæ inter Episcopos de diœcesibus controversiæ ortæ fuissent, novæ ea de re constitutiones factæ sunt. Canones præterea contra eos conditi, qvi plebes ad suam diœcesin pertinentes lucrari & ad catholicam unitatem reducere negligerent, aut etiam Donatistas communicasse mentirentur.

Imperatorum adversus Donatistas edicta.

CLIX. Nec officio suo in reprimendis Donatistis Imperatores defuerunt. Et de Constantino qvidem & proximis successoribus jam supra dictum est. Mentio.

tionem qvoqve fecimus eorum, qvæ in Donatistarum favorem a Juliano acta sunt. Suspicatur autem Dorscheus in collatione ad concilium Sirmiense p. 134. rescriptũ aliqvod Juliani pro Donatistis Sirmii datum fuisse, idq; Juliani rescriptũ a Theodosio l. 5. *Cod. Theod. de hæreticis* intelligi, cum rescriptum, qvod Sirmii nuper emersit se antiqvare dicit. Verum sicut Dorscheus Petrum Fabrũ refutat, qvi per antiqvatum rescriptum Sirmiense rescriptum aliqvod Constantii de Arianismo fovendo & propagando intellexit; ita Dorscheus sub nomine nuperi Scriptoris a Godofredo in commentario ad illam legem codicis Theodosiani confutatur. Observat enim Godofredus ex Socrate, Sozomeno aliisqve Scriptoribus, qvod Gratianus Imperator post Valentis mortem legem dederit, qva omnibus cujuscunqve religionis hominibus exceptis Eunomianis, Photinianis & Manichæis, ut in ecclesiis convenirent, permisit, qvod rescriptum Sirmii datum postea idem Imperator cum Theodosio & Valentiniano alia lege, nempe ea, qvæ in codice Theodosiano qvinto loco legitur, antiqvavit, & legem qva jam olim omnium hæreticorum conventicula prohibuerat, renovavit. Interim non desunt aliæ leges ab Imperatoribus contra Donatistas latæ. Extat enim lex Valentiniani A. C. 373. lata cod. Theodos. leg. 1. tituli: *ne sanctum baptisma iteretur*, & lex Gratiani A. 377. lata qvæ est secunda cod. Theodos. *ne sanctum baptisma iteretur*. Ex utraqve Tribonianus in codice Justinianeo unam fecit, qvam peculiari dissertatione celeberrimus Zieglerus illustravit, suspicans posteriorem legem non ad Flavianum, sed ad Florianum Africæ Vicarium directam fuisse. Hos secutus Theodosius

Dorschei sententia de rescripto Juliani.

a Godofredo impugnata.

Lex Valentiniani. Gratiani.

dosius, cujus lex de mulcta 10. librarum auri A. 392. lata, qvæ in codice Theodosiano l. 7. de hæreticis legitur, etiam ad Donatistas spectavit, qvod postea Honorii edicto declaratum fuit, qvi imprimis freqventibus edictis contra Donatistas editis de ecclesia bene meruit.

Lex Honorii lata A. 398.

CLX. Nam primum A. 398. legem tulit contra ecclesiarum & ministrorum violatores, qvæ legitur cod. Theodos. l. 31. *de Episcopis*, cui Donatistarum furores occasionem dedisse Baronius aliiqve haud immerito censuerunt. Aliam dedit contra Donatistas A. 400. qvæ est lex 37. tituli: de hæreticis. Jussit enim, qvod ab imperatore Juliano qvondam Donatistæ impetraverant rescriptum, proposito programmate celeberrimis in locis affigi, & gesta ad illam Donatistarum supplicationem & Juliani rescriptum pertinentia subnecti, qvo omnibus innotesceret & catholicæ confidentiæ stabilita constantia & Donatistarum fucata perfidia. Qvid autem Honorium moverit, ut rescriptum illud Juliani, apud qvem solum justitiam reperiri Donatistarum fucata perfidia dixerat, post tot annos ex actis proconsularibus publice proponi jusserit, apud Baronium in annalibus & Godofredum in commentario ad illam legem videri poterit. Neqve hic omittenda lex 3. 4. & 5. de baptismo non iterando datæ A. 405. Honorius enim non minus qvam Valentinus & Gratianus baptismi gratiam iteratione contaminari credebat, ideoqve Donatistas justo odio proseqvebatur, qvi, ut verba ejus habent, *in tantum sceleris progressi dicebantur, ut baptisma sacrosanctum mysteriis recalcatis noxia temeritate iterarent, & homines semel munere divinitatis ablutos contagione profanæ repetitionis inficerent.* Qvamobrem & in ipsos Donati-

Alia A. 400.

Aliæ A. 405.

natiſtas & in eos, qvi huic flagitio connivebant, aliisqve modis ſe ejus participes faciebant, graviſſimas pœnas decrevit, qvas inter præter bonorum præſcriptionem & alias hæc qvoqve fuit, qvod omnem vel teſtandi, vel aliqvid ſub ſpecie donationis adipiſcendi vel contrahendi copiam illis denegavit. Et hoc ipſum eſt, qvod Africanos Patres in concilio Carthaginenſi A.404. congregatos per Theaſium & Evodium legatos ſuos ab Imperatore petiviſſe ſupra theſ. 153. diximus.

CLXI. Eodem anno lata eſt ab Honorio lex 38. codicis Theodoſ. de hæreticis, cujus hoc eſt initium: *nemo Manichæum, nemo Donatiſtam, qvi præcipue ut comperimus furere non deſiſtunt, in memoriam revocet. &c.* Qvæ lex ad edictum unitatis pertinet, qvod ab Honorio in Africam miſſum paſſim monumenta veterum teſtantur. Statim enim Honorius ſubjicit: *una ſit catholica veneratio, una ſalus ſit &c.* tandemqve iis, qvi unitati huic adverſaturi eſſent, graviſſimas pœnas comminatur. Huic autem legi jungenda lex 2. *de religione* eodem anno data, qvo Honorius edictum, qvod de unitate per Africanas regiones direxerat ut omnibus innoteſceret, diverſis locis proponi voluit. Et hæ qvidem leges ab Honorio ineunte anno 405. contra Donatiſtas datæ ſunt. Exeunte eodem anno novam contra eos legem dedit, qva Donatiſtas vel confeſſos vel convictos legis tenore ſervato pœnam debitam absqve dilatione perſolvere decrevit. Qva lege ad mulctam aurariam decem librarum auri, qvam Theodoſius Senior A. 392. Clericis hæreticorum injunxerat, reſpici Godofredus exiſtimat. Sane ut illa Theodoſii lex ad Donatiſtas porrigeretur, Africani Patres ab Honorio rogarunt, ut ex legatione,

qvam

qvam ex concilio Carthaginensi anni 404. ad Honorium miserunt, liqvet. Et his Africanorum Patrum petitis Honorium annuisse, multa Augustini loca & Possidii in vita Augustini testantur. Forte tamen ante hanc legem edictum aliqvod Honorii prodiit, qvo clarius mentem suam de hac mulcta auraria expressit, idqve postea prædicta lege, qvæ in codice Theodosiano legitur, confirmavit, & sine dilatione pœnas a Donatistis hæreticis exigendas decrevit.

Aliæ A. 407. CLXII. A. 407. Honorius legem dedit imprimis contra Manichæos & Priscillianistas directam, sub cujus initium etiam Donatistarum mentionem his verbis facit: *qvid de Donatistis sentiremus, nuper ostendimus.* Qvibus verbis qvæ contra Donatistas hactenus decreverat, denuo confirmat. Est autem hæc Honorii lex in codicis Theodosiani titulo de hæreticis qvadragesima. Hanc qvæ proxime excipit 41. Donatistas, Manichæos aliosqve hæreticos, si catholicam fidem amplexi Deumqve simplici religione confessi fuerint, ab omni noxa absolvendos censet. Licet enim crimina soleat pœna purgare, piissimus tamen Imperator pravas hominum voluntates admonitione pœnitentiæ, ut ipsius verbis utamur, emendare malebat.

Alia A. 408. CLXIII. A. 408. d. 17. Cal. Decembr. Honorius omnia, qvæ in Donatistas, qvi & Montenses vocantur, Manichæos, sive Priscillianistas, vel in gentiles decreverat, rata manere, & in executionem plenissimam effectumqve deduci decrevit, ita ut ædificia qvoqve vel horum, vel Cœlicolarũ, qvæ nescio cujus dogmatis novos conventus habere dicit, ecclesiis vindicentur. Qvæ lex 43. est tituli de hæreticis. Addit Imperator, pœna per legem

legem proposita velut convictos teneri debere illos Donatistas, qvi Donatistas se confessi fuerint, vel Catholicorum communionem scævæ religionis obtentu, qvamvis se christianos simulent, refugerint. Cœlicolarum autem mentio etiam fit in titulo 8. codicis Theodosiani de Judæis Cœlicolis & Samaritanis, nec non apud Augustinum in epistola 163. Et Godofredo qvidem ad leg. 19. tit. 8. Cod. Theodos. probabile videtur, Cœlicolas medium qvoddam genus inter Judæos & Samaritanos fuisse, & superstitionem ex judaica & christiana religione mixtam veroqve Dei cultui adversam imprimis circa baptismum fovisse. Idem docet sub Honorii imperio demum Cœlicolas exortos, qvod verba ejus non obscure indicant, & in Africa imprimis sedem habuisse. Idem Baronium refutat, qvi putavit, Cœlicolas appellatos, qvi a christianis ad Judæos transierunt. Non minus eorum improbat sententiam, qvi Cœlicolas fuisse putant Gnosticos aut Saturnilianos, qvi innumeris cœlis confictis supremum illorum ipsum Deum esse nugati sunt.

Qvinam fuerint Cœlicolæ.

Sententia Godofredi.

Baronii.

Aliorum.

CLXIV. Anteqvam ad alias Honorii contra Donatistas leges pergamus, nonnullas aliorum de Cœlicolis sententias adducere ab instituto non alienum fuerit, cum Cœlicolæ Donatistis affines fuerint, & ex qvorundam sententia ad ipsas Donatistarum sectas pertinuerint. Johannes enim Rivius libr. 3. de vita Augustini c. 10. §. 5. p. 342. non dissimulat, sibi non improbabile visum Cœlicolas eosdem esse cum Rogatistis, qvos a reliqvis Donatistis divisos supra diximus, cum præsertim Augustinus in epistola 48. ad Rogatistas affectatam eorum sanctitatem perstringens dicat: *vos estis, in qvibus*

Johannis Rivii.

bus solis inventurus est Filius hominis fidem, qvando non inveniet in terra, qvia nec terra estis nec in terra, sed cœlestes in cælo habitatis.

Johannis Filesaci.

CLXV. Johannes Filesacus libr. 1. select. c. 12. Judæos qvidem fuisse Cœlicolas statuit, interim tamen Donatistas anabaptismum ab iis didicisse suspicatur, cum Augustinus in epist. 163. dicat: *Majorem Cælicolarum audieramus novi apud eos* (Donatistas autem hic intelligit Filesacus) *baptismi institutorem extitisse, & multos illo sacrilegio seduxisse.* Verum Vossio in disput. 18. de baptismo thes. 1. improbabile videtur, qvod Judæorum Præses seu Cœlicolarum Major apud Donatistas, qvi christiani erant etsi schismatici, tantæ autoritatis fuerit, ut novum inter eos baptismum inducere potuerit.

CLXVI. Agunt etiam de Cælicolis Serarius in trihæres. c. 19. & in minerval. lib. 5. c. 29. Scaliger in elencho trihæresii c. 31. Drusius in responsione ad minerval Serarii p. 449. Seldenus lib. 2. de jure nat. c. 1. p. 135.

Petiti.

Petitus var. lect. lib. 2. c. 11. qvi inter alia Cœlicolas forte dictos suspicatur, qvod baptismi formam immutassent, nec in nomine Patris, Filii & Spiritus S. juxta Christi præceptum sed in nomine cœli baptizarent, & ut alios

Spanhemii.

omittam doctissimus Spanhemius, in introduct. major. ad histor. sacr. secul. 5. p. 518. ubi breviter notat, Cœlicolas neqve Judæos stricte sic dictos extitisse, neqve apostatas, neqve Donatistas, sed medium qvoddam genus inter Christianos & Judæos, e Judæorum genere, eosqve Deum cœli nomine & ἐν αἰθερίῳ τόπῳ adorasse, & Christianos ad superstitionem suam adactos novo baptismate initiasse.

CLXVII. Cum iisdem Cœlicolis Donatistas conjun-

jungit, etsi Cœlicolarum nomine non expresso Honorius in leg. 44. de hæretic. Cum enim justæ animadversionis supplicium expromi jubet in Donatistas hæreticos & Judæos, qvos nova & inusitata audacia detexit, per illos Judæos dubio procul non alios intelligit, qvam qvos lege præcedenti Cœlicolas dixerat. Utraqve autem lex eodem anno data nempe Basso & Philippo Coss. seu A. C. 408. in qvem Stiliconis exitium incidit. Cum enim Donatistæ post Stiliconis mortem leges adversus se latas a Stilicone præter Imperatoris voluntatem in Africam missas jactarent, Augustinus Olympium Magistrum officiorum, qvin & Patres Africani in concilio Carthaginensi hujus anni congregati per legatos suos ipsum Imperatorem precibus suis solicitarunt, ut Donatistæ post Stiliconis mortem efferatiores facti compescerentur, ne qvid ab his detrimenti catholica ecclesia pateretur. Atqve hinc etiam nata lex 46. codicis Theod. de hæretic. anno 409. data, qva judicibus legum hactenus datarum executio injungitur, *ne Donatistæ, vel cæterorum vanitas hæreticorum, aliorumqve error, qvibus catholicæ communionis cultus persvaderi non poterat, Judæi atqve Gentiles, qvos vulgo Paganos appellabant, arbitrarentur, legum antea adversus se datarum constituta tepuisse.*

Alia Honorii lex A. 408.

Alia A. 409.

CLXVIII. Diximus supra e concilio Carthaginensi anni 410. legationem ad Honorium missam fuisse, cum Donatistis aliisqve hæreticis religionis suæ libertatem concessisset. Cujus legis occasionem ipsa rerum necessitate ab Honorio extortam Baronius suspicatur, cujus conjectura Godofredo qvoqve in commentario ad codicem Theodosianum non improbabilis videtur. Timendum enim erat Honorio, ne Donati-

Alia. A. 410

ſtæ tot legibus exaſperati a partibus Attali tyranni ſtarent. Cum vero hoc periculum jam ceſſaret, & legati concilii Africani apud Imperatorem inſtarent, ut edictum illud, qvo hæreticis liberam cultus ſui exercendi poteſtatem fecerat, revocaret, non difficulter eorum precibus annuit, ideoqve menſe Auguſto prædicti anni 410. legem edidit, his verbis conceptam: *Oraculo penitus remoto, qvo ad ritus ſuos hæreticæ ſuperſtitiones obrepſerant, ſciant omnes ſanctæ legis inimici, plectendos ſe pœna & proſcriptionis & ſangvinis, ſi ultra convenire per publicum execrandæ ſceleris ſui temeritate tentaverint.* Eſt autem ea lex in titulo de hæreticis codicis Theodoſiani prima & qvinqvageſima.

Alia A. 412. CLXIX. Et hæ qvidem Honorii leges ante collationem Carthaginenſem latæ ſunt. Non minus poſt collationem Carthaginenſem ſeveris legibus eorum pertinaciam infregit. Nam A. 412. legem dedit, qva Donatiſtis juxta varias dignitatum & ordinum claſſes graviſſimam mulctam indixit, Illuſtribus 50. pondo auri, Spectabilibus 40. Senatoribus 30, Clariſſimis 20, Sacerdotalibus 30, Principalibus 20, Decurionibus 5, Negotiatoribus 5, Plebejis 5, Circumcellionibus 10. Uxores qvoqve ſingillatim mulcta conſtringendas, & ſervos Dominorum correctione & colonos etiam crebris verberibus a prava religione revocandos, qvin & Clericos in exilium mittendos, & eorum conventicula & prædia Catholicis vindicanda cenſuit, ut cæteras illius legis, qvæ eſt codicis Theodoſiani 52. partes taceamus.

Alia A. 414. CLXX. A.C. 414. denuo Honorius contra Donatiſtas legem promulgavit, in qva eos inteſtabiles & hære-

hæreditatis incapaces pronunciat, eosqve a cœtibus honestis & conventu publico perpetua infamia inustos segregari, ecclesias Catholicis tribui, Episcopos, Presbyteros & reliqvos ministros in exilium mitti, & in eos qvoqve, qvi eos occultaverint, animadverti jubet. In eadem lege denuo graves mulctas Donatistis irrogat, pœnis etiam in eos constitutis, qvi locum Donatistarum conventiculis præberent. Servos deniqve & colonos severissime coercitione plectendos, & colonos, si verberibus coacti in proposito perduraverint, tertia peculii sui parte mulctandos statuit, ut ex lege 54. codicis Theodos. *de hæreticis* videri potest.

CLXXI. Etsi autem Donatistæ severissimis legibus reprimerentur, nova tamen libertatis spe erigebantur, cum Marcellini, qvi in collatione Carthaginensi Cognitoris officio functus fuerat, cruentam mortem cognovissent. Eo enim mortuo, etiam ea, qvæ sub eo contra Donatistas gesta fuerant, expiratura credebant, cum præsertim Marcellinus conspirationis cum Heracliano tyranno accusatus eoqve nomine cæsus fuisset, cujus cædis causa ab Hieronymo libr. 3. contra Pelagianos non obscure invidiosis Donatistarum calumniis imputatur. Verum Honorius in lege 55. codicis Theodos. *de hæreticis* Marcellini contra Donatistas gesta perpetuam firmitatem habere voluit, sub gestorum illorum nomine imprimis gesta collationis Carthaginensis intelligens, etsi sub eo etiam Marcellini acta de sceleribus Donatistarum, qvæ post collationem Carthaginensem contigerunt, comprehendi possint. Cujusmodi autem illa gesta fuerint, cognosci potest ex Augustini epistola 158. ad Marcellinum. Nam in ea Augustinus Alia eodem anno.

ſignificat, in geſtis illis agnoſci confeſſores iniqvitatis, qvi non Dei timore extorqvente pœnitentiam, ſed judiciaria diligentia crudelisſimorum pectorum aperiente duritiam, de homicidio & de excæcato ac debilitato Presbyteri corpore confeſſi ſunt, ut cætera ad Donatiſtarum perverſitatem & pertinaciam pertinentia, qvæ geſtis illis continebantur, taceamus. Tanti autem ea geſta Auguſtinus faciebat, ut ea propediem in Hipponenſi, & ſi fieri poſſet, in omnibus aliis eccleſiis recitari geſtiret. Et cum Marcellinus ad Auguſtinum ſcripſiſſet, ſe dubitare num in Theoprepia geſta illa publice proponere deberet, reſpondet Auguſtinus: *Fiat, ſi poteſt illic freqvens confluere multitudo, alioqvin alius locus celebrior providendus eſt, non tamen ullo modo prætermittendum.* Erat autem Theoprepia nomen alicujus eccleſiæ apud Carthaginem, qvæ tempore collationis Carthaginenſis ad Donatiſtas pertinebat, ut ex collatione Carthaginenſi collat. 3. n. 5. colligunt Benedictini, qvorum obſervationem Baluzius in notis ad collationem Carthaginenſem approbavit. Iidem Benedictini obſervant in epiſtolis Auguſtini MSC. non Theopropia, ut in vulgatis Auguſtini editionibus legitur, ſed Theoprepia legi, qvæ utiqve lectio ex collatione Carthaginenſi confirmari poteſt. Neqve enim video, cur Dominus du Cange in gloſſario med. & infimæ latinit. T. III. p. 1120. dubitaverit, num Theoprepia, cujus in collatione Carthaginenſi mentio occurrit, eadem ſit cum Theopropia, qvæ in vulgatis epiſtolarum Auguſtini editionibus occurrit. Qvæ dubitatio nunc plane ceſſat, poſtqvam in MSC. Auguſtini codicibus pro Theopropia *Theoprepia* legi conſtat.

Qvid Theoprepia.

Carolus du Freſne notatur.

CLXXII.

CLXXII. Ultima lex ab Honorio contra Donatiftas lata in titulo codicis Theodofiani de hæreticis 56. locum occupat, & cum lege 51. fere convenit. Eam vero A. 415. latam fuiffe, Godofredus ex addita Confulum nota fufpicatur. Cum vero Heraclianus, cui hæc lex non minus qvam 51. infcribitur, ob tyrannidem affectatam jam profligatus cæfusqve fuiffet, conjicit Godofredus hanc legem ab Imperatore denuo in Africa promulgatam fuiffe, ne Donatiftæ Heracliano jam cæfo refcriptum qvod A. 410. ad Heraclianum miffum fuerat, ceffaffe exiftimarent. Qvæ fententia minus mihi probabilis videtur qvam Baronii, qvi legem hanc A. C. 412. adeoqve fub aliis Confulibus datam arbitratur. Alia Honorii lex. Cujus annus incertus

CLXXIII. His autem Honorii legibus addi poteft lex Theodofii junioris, qvæ eft 65. codicis Theodofiani de hæreticis, & A. C. 428. lata eft: Hæc enim lex cum plurimis aliis hæreticis etiam Donatiftas ferit, qvi in illa hæreticorum claffe ponuntur, qvibus omnis in Romano folo conveniendi orandiqve facultas adimitur. Qvam legem a Theodofio Neftorii inftinctu adverfus hæreticos latam fuiffe non difficulter perfvadent, qvæ de Neftorii, etfi ipfe qvoqve hærefiarcha factus fuerit, vehementiffimo adverfus hæreticos Zelo Socrates libr. 7. c. 19. hiftor. ecclef. aliiqve retulerunt. Lex Theodofii junioris.

CLXXIV. Cæterum Imperatorum & imprimis Honorii leges Donatiftæ per impia fua facta adverfus fe concitarunt, qvibus inter alios claruit Optatus Thamagudenfis Epifcopus, qvi a Gildone, cujus autoritate & potentia ad peffima fua facinora abufus eft, Gildonianus freqventer cognominatur. Eum decennalem totius Africæ gemitum appellat Auguftinus libr. 2. con- Donatiftarum fcelera. Optatus Thamagudenfis.

contra Parmen. c. 1. Eundem viduas oppresſiſſe, pupillos evertiſſe, patrimonia prodidiſſe, matrimonia ſeparaſſe, res vendendas innocentium procuraſſe, pretia cum Dominis plaudentibus diviſiſſe arguit libr. 2. contra Petil. c. 23. ubi etiam Optati hujus natalitia celebrata a Donatiſtis refert. Decennale autem illud Africæ flagellum ab A. 388. usqve ad 398. ſæviit, qvo Optatus de Gildonis ſatellitio accuſatus & in carcere extinctus eſt. Hoc enim mortis genere eum periiſſe tradit Auguſtinus libr. 2. contra Petil. c. 92. Conferantur de Optato impiisqve ejus factis ejusdem libri c. 103. libr. 3. contra Creſconium c. 45. & libr. 4. c. 24. ut varias Auguſtini epiſtolas aliaqve loca taceamus.

Qvid Maximinus Bagajenſis a Donatiſtis paſſus.

CLXXV. Inter Catholicos Epiſcopos, qvi Donatiſtarum injurias experti ſunt, non incelebris eſt Maximinus Bagajenſis. Hunc enim ad altare ſtantem horrendo impetu irruentes fuſtibus aliisqve telis immaniter ceciderunt, & pugione in ingvine percuſſerunt, e qvo vulnere ſangvis effluens eum exanimem reddidiſſet, niſi ei ad vitam major eorum ſævitia profuiſſet. Nam cum graviter ſauciatum per terram traherent, exundanti venæ pulvis obtruſus ſangvinem abſtinuit. Deinde cum catholici eum a Donatiſtis relictum cum pſalmis auferre tentarent, illi ita ardentiori ſuccenſi eum de portantium manibus fugatis catholicis abſtulerunt, & in qvandam turrem levatum jam defeciſſe eum arbitrantes abjecerunt. Sed qvodam molli aggere exceptus & a qvibusdam noctu tranſeuntibus per lucernam conſpectus, agnitus atqve collectus, & ad religioſam domum portatus adhibita magna cura poſt multos dies iterum convaluit, ut Auguſtinus in epiſtola 50. ad

Bo-

Bonifacium commemorat,in qva etiam refert,qvod horrenda illa Maximiani cædes hanc ab Imperatore legem extorſerit,ut tantæ immanitatis hæreſis Donatiſtarum, cui crudelius parci videbatur, qvam illa ſæviebat, non tantũ violenta eſſe, ſed omnino eſſe non ſineretur impune, non tamen ſupplicio capitali, propter ſervandam etiam circa indignos manſvetudinem chriſtianam, ſed pecuniari s damnis propoſitis, & in Epiſcopos eorum vel miniſtros exilio conſtituto. Cujus rei etiam mentionem facit in epiſt. 68. ad Januarium. Dicit enim ibi, qvod anteqvam legati Catholicorum, qvos ex concilio ad comitatum miſerant, Romam venirent, jam cicatrices Epiſcopi Bagaitani horrendæ ac recentisſimæ Imperatorem commoverint, ut tales leges in Africam mitteret, qvales miſſæ ſunt. Conferatur etiam Auguſtinus lib.3.contra Creſcon.c.43.

CLXXVI. Maximianum hunc Bagajenſem ſeu Bagaitanum dixi, etſi in plerisqve Auguſtini editionibus Vagienſis & Vagitanus cognominetur, ſicut vice verſa in codice canonum Afric. canon. 88. Bagajenſis Maximianus dicitur, qvi Vagienſis dici debuiſſet. Fuit autem Maximianus Vagienſis, qvi a Donatiſtarum ſchiſmate ad eccleſiam reverſus, cum a populo Vagienſi non pacifice reciperetur, pacis cauſa epiſcopatu ceſſit, qvo facto Caſtorius ejus frater Epiſcopus ordinatus fuit, ad qvem Alipii & Auguſtini epiſtola extat, in qva Maximiani inſtitutum his verbis commendatur: *longe glorioſius eſt epiſcopatus ſarcinam propter eccleſiæ vitanda pericula depoſuiſſe, qvam propter regenda gubernacula ſuſcepiſſe.* Eſt autem illa epiſtola juxta vulgatum ordinem 69. inter epiſtolas Auguſtini. Maximianus Bagajenſis cum Vagienſi non confundendus.

Varia Donatistarum scelera.

CLXXVII. Non solum autem Maximianus Bagaitanus sed alii qvoqve catholici plurima a Donatistis eorumqve satellitibus circumcellionibus passi sunt. Qvomodo Augustino iter facienti insidias tetenderint, apud Possidium in vita Augustini legitur, ubi addit, aliqvando Augustinum non sine peculiari Dei providentia in itinere a recta via aberrasse, & per hunc errorem Donatistarum insidias feliciter effugisse, qvod ab ipso qvoqve Augustino cap. 17. sui enchiridii refertur. Nec Augustino solum sed aliis etiam Episcopis insidiæ structæ, Clericiqve pariter & laici gravissimis plagis aliisqve injuriis affecti, ut Augustinus in epistola 68. qveritur. Qvomodo Episcopus Catholicus a Tubursuccubere nomine Servus Donatistarum manus vix effugerit, qvi interim ejus patrem Presbyterum ætate & moribus gravem tam graviter ceciderunt, ut post paucos dies e vita excesserit ab Augustino lib. 3. contra Cresconium c. 43. memoratur. Imprimis vero etiam a Donatistis afflicti, qvi ad catholicam ecclesiam relicto eorum schismate venerunt. Refert enim Augustinus in epist. 68. qvomodo Presbyterum qvendam, qvia propria & libera voluntate unitatem catholicæ communionis elegerat de domo sua raptum & pro arbitrio immaniter cæsum, in gurgite etiam cœnoso volutatum, budaqve vestitum, cum qvibusdam dolendum, qvibusdam ridendum in pompa sui facinoris ostentassent, in locum nescio qvem abduxerint, & vix post 12. dies dimiserint. Presbyter autem ille in ejusdem Augustini epist. 166. Restitutus Victorianensis appellatur, cujus etiam Augustinus libr. 3. contra Crescon. c. 48. meminit, ubi eum amictu junceo dehonestatum scribit, ex qvo

qvo loco budæ vox, qva Augustinus in epist. 68. usus est, explicari potest. De Marco Presbytero Casphalianensi, qvi cum ex Donatista Catholicus factus esset, occisus ab illis fuisset, nisi Dei manus per homines supervenientes illorum impetum compressisset, & de Martiano Urgensi itidem a Donatistarum secta ad catholicam ecclesiam converso, cujus subdiaconum, cum ipse fugisset, prope usqve ad mortem cæsum clerici Donatistarum lapidibus obruerunt, Augustini epist. 166. conferatur. Qvid buda?

CLXXVIII. His igitur aliisqve hujusmodi Donatistarum facinoribus effectum est, ut leges adversus ipsos exasperatæ fuerint. De qvibus non semper eadem fuit Augustini sententia. Primum enim ipsi non placebat ullius secularis potestatis impetu schismaticos ad ecclesiæ communionem violenter compelli, ut ipse libr. 2. retract. c. 5. fatetur. Cum autem didicisset, qvantum mali auderet Donatistarum impunitas, & qvantum iis in melius mutandis conferre posset diligentia disciplinæ, ad aliam sententiam se persvaderi a Collegis passus est, nec ulterius improbavit, si Donatistæ mulctis, exiliis, bonorum proscriptionibus aliisqve pœnis coercerentur, ut epistolæ 48. ad Vincentium & 50. ad Bonifacium, in qvibus de correctione Donatistarum prolixe egit, testantur. Eo usqve tamen Augustinus in retractatione prioris suæ sententiæ non processit, ut capitalia Donatistarum supplicia approbaret, qvam sententiam Augustino Spondanum attribuisse nonnulli asserunt, etsi verba Spondani ab illis adducta id non dicere videantur. Cæterum Limborchius libr. 1. hist. inqvis. c. 6. istam Augustini mansvetudinem satis crude- Augustini sententia de pœnis Donatistarum.

 lem

lem fuiſſe arguit, cum reliqvæ pœnæ, qvas Donatiſtis infligi non repugnavit, ex parte morte graviores fuiſſe videantur.

Donatiſtarum conciliabulum.

CLXXIX. Tanta autem Donatiſtas, cum tam ſeveræ leges adverſus illos conderentur, invaſit deſperatio, ut in concilio qvodam, cui triginta circiter Epiſcopi interfuerunt, decreverint, eccleſias neqvaqvam deſerendas, ſed Præfectorum vim voluntaria morte antеverti debere, ut vel commiſeratione judicum talia exhorrentium in ſuis eccleſiis tolerarentur, vel ſaltem a ſuis ut Martyres colerentur, ut ex Baronio Binius, & ex Auguſtino Baronius tradidit. Et negari ſane non poteſt, Auguſtinum lib. 1. contra Gaudent. c. 37. ſeu juxta alias editiones l. 2. c. 29. mentionem facere concilii, cui amplius qvam 30. Epiſcopi, in qvibus etiam Petilianus fuit, interfuerunt. Verum ex hoc Auguſtini loco vix colligi poterit, qvod A. 414. hoc concilium habitum fuerit, in qvem a Baronio refertur. Neqve etiam pro certo affirmari poteſt, qvod tale decretum, qvale Baronius commemorat, in illo concilio factum fuerit. Auguſtinus autem indicat, ſtatutum in illo concilio fuiſſe, ut Epiſcopi & Presbyteri, qvi inviti Catholicis communicaſſent, modo ſacrificium non obtuliſſent, nec in populo tractaſſent, ad veniam pertinerent, & in ſuis honoribus reciperentur. Interim ad qvantam deſperationem Donatiſtas ſua pertinacia adegerit, ex Auguſtini ad Dulcitium, qvi de hoc negotio Auguſtinum conſuluerat, epiſtola ejuſdemqve ſcriptis ad Gaudentium & pluribus aliis locis manifeſtum eſt.

Donatiſtarum in Auguſtinum calumniæ.

CLXXX. Auguſtinus vero pro magno, qvo flagrabat, Donatiſtarum animas lucrandi ſtudio hanc ab

iis

iis gratiam retulit, ut multis calumniis famam ejus arroderent. Nam præter Manichæiſmum, qvo Auguſtinus qvondam infectus fuerat, freqventer ipſi objiciebant amatorium poculum mulieri cuidam datum aliaqve, qvæ apud ipſum Auguſtinum l.3.contra Petilianum c.16. legi poſſunt. Calumniam autem illam de amatorio poculo jam olim Megalius Epiſcopus Calamenſis, cum Auguſtini epiſcopatui invideret, fabricaverat, qvem tamen poſtea facti pœnituit, ut in prædicto Auguſtini loco, nec non l. 4. contra Creſcon. c. 64. legitur. Et hic ipſe Megalius poſtea Auguſtinum ordinavit, ut ipſe Auguſtinus in collat. Carthagin. d. 3. c. 7. retulit. Egregie vero idem Auguſtinus Creſconio illam Megalii calumniam objicienti reſpondet: *Deſine talibus, unus homo ſum, eccleſiæ inter nos agitur cauſa, non mea, eccleſia inqvam, qvæ in nullo homine ſpem ponere a ſuo didicit Redemptore. Ad exiſtimationem hominum magna teſtium, qvi me noverunt, ſuppetit copia, ad Dei vero conſpectum ſola conſcientia, qvam contra veſtras criminationes cum intrepidam geram, non me tamen ſub oculis Omnipotentis juſtificare audeo, magis ab illo effluentem miſericordiæ largitatem, qvam judicii ſummum examen expecto.*

CLXXXI. Poſt Auguſtini ætatem rariores qvidem in Africa Donatiſtarum turbæ fuerunt, neqve tamen plane ceſſarunt. Teſtari id poteſt Leonis M. epiſtola ad Epiſcopos Africanos Mauritaniæ Cæſarienſis, qvæ in Qveſneliana editione inter Leonis epiſtolas primum locum occupat. Nam in ſexto epiſtolæ illius capite Leo M. ita ſcribit: *Maximum qvoqve ex laico licet reprehenſibiliter ordinatum, tamen ſi jam Donatiſta non eſt, & a Spiritu ſchiſmaticæ pravitatis alienus, ab epiſcopali, qvam* Leonis M. epiſtola de Maximo Donatiſta.

 qvo-

qvoqvo modo adeptus est, non repellimus dignitate, ita ut & ipse libello ad nos edito catholicum se esse manifestet. Dignum autem est memoratu, qva ratione Leo M. juxta Paschasium Qvesnelium oratorii Domini Jesu Presbyterum, qvi A. 1675. Leonis M. opera notis & dissertationibus suis illustrata edidit, Africanæ ecclesiæ causas ad se pertraxerit. Observat enim Leonem M. cum ad nutum suum Valentinianum Imperatorem moveri videret, rebus in Africa per Vandalos non mediocriter turbatis hac oportunitate usum de Africanarum ecclesiarum rebus ad sedis suæ notitiam & judicium pertrahendis, qvod ab antecessoribus suis frustra tentatum fuerat, serio cogitasse, eoqve consilio ad Mauritaniæ Cæsariensis Episcopos legatum vice sua acturum destinasse Potentium, ut de ordinationibus illicite celebratis, violatis canonum regulis aliisqve hujusmodi rebus inqvireret, & ad Romanam sedem plenissime referret, eoqve facto Leonem epistolam ad Africanos scripsisse, in qva moderationem qvidem tempori congruam servavit, eum tamen vigorem exeruit, qvi stabiliendæ suæ sedi necessarius videbatur. Addit autem Qvesnelius id omne Leonem propria sponte nulloqve ex Africanis Episcopis invitante egisse, cum ipse in exordio suæ epistolæ asserat, se tantum pietatis ratione exigente, & illius, qvam universæ ecclesiæ debeat, solicitudinis instinctu ad legatum mittendum commotum fuisse.

Qvesnelii de Leone M. observatio.

CLXXXII. Hunnerici Regis mortem describens Victor Vitensis sub finem libri 5. de persecutione Vandalica *putrefactum*, inqvit, *& ebulliens vermibus non corpus, sed partes corporis ejus videntur esse sepultæ, sed & ille legis datæ & transversos ex Donatistarum heresi ad eos veniens qvon-*

De Nicasio Donatista, qvem Victor Vitensis ad Vandalos transiisse scribit.

qvondam Nicasius in brevi simili morte periit. Unde nonnulli colligunt, fuisse Hunnerici ævo Donatistam qvendam, qvi Vandalis se adjunxerit, similemqve Hunnerico exitum sortitus fuerit, sive ille Nicasius, sive ut in nonnullis MSCtis codicibus vocatur, Ucasius vel Utasius appellatus fuerit. Verum Ruinartus in novissima Victoris Vitensis editione Donatistam illum plane expungit, Victoris verba ita legens: *putrefactus & ebulliens vermibus non corpus sed partes ejus videntur esse sepultæ, sicut ille legis datæ transgressor Rex qvondam ut asinus sepultus est, ita iste in brevi simili morte periit.*

CLXXXIII. Interim isto tempore, qvo Barbari Africam vastarunt, nova incrementa Donatistas cepisse, ex eo colligi potest, qvod Justinianus, cum Africam a barbaris liberasset, Donatistarum licentiam refrenandam censuerit. Extat enim ejus rescriptum ad Salomonem præfectum prætorio in Africa, qvo Donatistis non minus qvam Arianis & Judæis aliisqve hæreticis omne publici cultus exercitium adimit, his inter alia verbis usus: *sed neqve eorum synagogas stare concedimus, sed ad ecclesiarum figuras volumus reformari. Neqve enim Judæos, neqve Paganos, neqve Donatistas, neqve Arianos, neqve alios qvoscunqve hæreticos speluncas habere, vel qvadam qvasi ritu ecclesiastico facere patimur, cum hominibus impiis sacra peragenda permittere satis absurdum est.* Verum hoc Justiniani edicto, qvod a Baronio ad A. C. 535. pag. 239. exhibetur, effici non potuit, qvin Donatistæ adhuc multum molestiæ Catholicis crearent. Donatistæ Justiniani edicto refrenati.

CLXXXIV. Nam qvantum postea sub Gregorii M. epi- Donatistarum turbæ sub Gre-

gorii M. pontificatu recrudruerunt. M. episcopatu Donatistarum hæresis invaluerit, variæ ejus epistolæ testantur. Nam in epistola 63. libri 5. ind. 14. Mauritium Imperatorem laudat qvidem, qvod contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem justitiæ jussiones qvasdam contra eos direxerit. Verum statim addit, venientes qvosdam ex Africa reverendos viros retulisse, qvod jussiones illæ postpositæ & dissimulatæ, & Donatistarum præmiis prævalentibus fides catholica publice venundata fuerit. Rogat deniqve Imperatorem, ut ejusmodi hominum impietatem districta jussione ulciscatur, & insanis mentibus correptionis medicinam adhibeat, errorumqve morbos ab iis expellat. Idem in epist. 32. libri 3. ind. 12. ad Pantaleonem Africæ Præfectum scribens gravissime eum hortatur, ut Donatistis catholicos Sacerdotes ecclesiis ejicere & regenerationis aqva ablutos rebaptizare non permittat. Cujus rei causa ipsi in memoriam revocat, cujusmodi legibus nefanda hæreticorum pravitas olim compressa fuerit, & qvantopere sit & in Deum peccaturus, & de fama sua apud homines perditurus, si Donatistis ejusmodi licentiam concedat. Idem Gregorius in epist. 33. l. 2. ind. 10. Maximianum qvendam Prudentianæ Episcopum exautorandum judicat, qvod Christum hæretico accepta pecunia venumdederit, sociumq; sibi in eadem urbe Episcopum Donatistam adjungi passus fuerit. Conferatur idem Gregorius in epist. 35. l. 3. Ind. 12. in qva de invalescente Donatistarum hæresi qveritur, doletqve sibi nunciatum, qvod jam plurimi luporum illorum venenatis dentibus laniati fuerint: item epist. 75. l. 1. indict. 9. qva Episcopos Numidiæ hortatur, ne Donatistarum Episcopum ad provinciæ suæ

pri-

primatum assurgere patiantur: Addimus ejusdem Gregorii verba ex epist. 36. l. 5. ad Columbum scripta: *res ad nos omnino dura & rectæ fidei inimica pervenit, qvia qvod dici nefas est catholici homines, & religiosi, qvod deterius est, filios mancipiaqve sua vel alios qvos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo si verum est fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare, qvatenus sinceritas fidei vestra solicitudine intemerata consistat, & innocentes animæ qvæ catholico baptismo salvari poterant, hæreticorum infectione non pereant. Qvisqvis ergo de his personis, qvas superius memoravimus qvenqvam suorum apud Donatistas passus est baptizari, ad catholicam eos fidem omni virtute omniqve instantia studeat revocare.* Qvæ postrema verba indicant, Gregorium non qvidem Donatistarum baptismum pro invalido habuisse, sed tamen veritum fuisse, ne, qvi apud Donatistas baptizabantur, fidem eorum imbiberent eorumqve moribus adsuescerent, ut a Petro Gussanvillæo in notis ad illam epistolam observatum est.

CLXXXV. Toties igitur curatum sed non sanatum Donatistarum schisma fuit, donec tandem Saraceni Africa potiti Donatistarum schismati non minus qvam catholicæ ecclesiæ in Africa exitium tulerunt. Et hæc qvidem de Donatistarum schismate dicta sufficiant. Utinam autem doctissimi Norisii historia Donatistica aliqvando prodeat. Qvod enim post elaboratissimum historiæ Pelagianæ opus etiam Donatistarum historiam jam pridem molitus fuerit ex Cinello Letus T. 3. Italiæ regnantis & Colomesius in bibliotheca sua selecta p. 95. indicavit. Cujus historiæ apparatum etiam, dum in

Finis Donatistarum in Africa.

Norisii historia Donatistica laudatur.

Italia versaretur, vidit Johannes Mabillon, ut ipse in Itinere suo Italico pag. 177. retulit. Interim hoc meum qvalecunqve Donatisticæ historiæ compendium, ut historiæ ecclesiasticæ studiosi æqvi boniqve consulant, amice rogo.

DISSERTATIO III.

De

Ritu festum nativitatis Christi d. 25. Decembr. celebrandi ejusqve antiqvitate.

I.

IN constitutionibus, qvæ apostolicæ vocantur, libr. 5. c. 12. seu juxta Bovianam editionem c. 13. Christiani jubentur dies festos agere, & imprimis diem natalem die 25. mensis noni celebrandum. Convenit autem inter plerosqve per mensem nonum in hac constitutione Decembrem intelligi debere. Qvæ computatio ut eo felicius procedat, Labbeus tom. 1. concil. cui constitutiones apostolicæ etiam insertæ sunt, in margine pro nono mense decimum reponit, cum Autor constitutionũ apostolicarũ a mense Martio menses Romano more numerare ex ipsius sententia cœperit, qvam tamen statim corrigit, asserens, videri potius, qvod Autor hujus

jus conſtitutionis a Xanthico, qvi Aprili reſpondet, initium numerandorum menſium fecerit, qvo poſito absqve mutatione numeri conſtitutio hæc apoſtolica cum hodierna praxi conciliari poterit. Nec multum abeſt ab hac ſententia Rich. Montacutius. Is enim in analectis exercitationum eccleſiaſticarum, qvæ poſtea ſecundis curis recognita ſub titulo apparatus ad origines eccleſiaſticas vulgavit, exerc. ſeu apparat. XI ſtatuit, per nonum menſem in prædicta conſtitutione nor Novembrem ſed Decembrem intelligi, cum Autor co ſtitutionum apoſtolicarum, qvem ipſe raro & forte ui ico apud Reformatos exemplo Clementem Romanum fuiſſe minime dubitat, ab *ἀναστάσει* Servatoris vel etiam ab ejusdem conceptione annum exorſus fuerit; Verum ſi hæc omnia concedamus, nondum tamen probari poterit, qvod Apoſtoli diem Chriſti natalem d. 25. Dec. celebrandum conſtituerint, conſtitutiones enim apoſtolicas Apoſtolorum autoritate ſancitas, & a Clemente Romano collectas, digeſtas, literisqve mandatas fuiſſe, nondum hactenus probari potuit.

II. In notis Franciſci Mariæ Florentinii ad vetuſtum eccleſiæ occidentalis martyrologium a nonnullis Hieronymo tributū p. 205. ex fragmento qvodam vetuſtiſſimo Romano apud Bucherium hæc allegantur verba. *8. Cal. Januarias natus Chriſtus in Bethlehem Juda.* Addit autem Florentinius fragmentum illud Romanum ſub Tiberio concinnatum credi. Et hæc legens cogitare poſſit tam antiqvum fuiſſe morem feſti nativitatis d. 25. Dec. ſeu d. 8. Cal. Januar. celebrandi, ut jam ſub Tiberii imperio ille ritus in uſu fuerit. Verum non dubito pro *Tiberio* eſſe legendum *Liberio*. Nam in ſerie canonum pa-

Ccc 2 ſcha-

fchalium a Bucherio in doctrina temporum editorum occurrit *vetus Romanorum Calendarium tempore Constantii Imp. & Liberii Papæ scriptum*, & ex illo ipso calendario deprompta sunt verba, qvæ Florentinius allegat. Qvamobrem hoc in Florentinii notis corrigendum est, qvod breviter hoc loco annotare placuit, qvia hoc erratum in largo erratorum indice ad calcem illius operis adjecto omissum deprehenditur.

III. Duo auctaria bibliothecæ Patrum Græco-latinorum edidit Franc. Combefisius, qvorum unum novum, alterum novissimum inscribitur & utrumqve in 2. tomos dispescitur. In prioris auctarii tom. 2. pag. 297. græc. & latine legitur Johannis Archiepiscopi Nicæni tractatus de nativitate Domini, & qvando festum illud seorsim a festo Epiphaniæ celebrari cœperit, ad Zachariam Catholicum majoris Armeniæ. Et in hoc epistolico tractatu refert Johannes Nicænus, extare Constitutionem apostolicam Jacobi, ut nativitas & baptismus Christi simul d. 6. Januar. celebrentur. Postea narrat Apostolos propter septem hæreses ex Judæis prognatas universa ecclesiæ officia speciatim atqve ordine haud qvaqvam exponere potuisse. Tandem vero memorat, Cyrilli cujusdam Hierosolymitani ævo inventum fuisse in probatis monumentis, qva die nativitas Christi celebrari debeat. Cum enim Cyrillus Julium Episcopum Rom. per literas rogasset, ut omnia Judæorum scripta, qvæ Titus Hierosolymis Romam abduxit, evolvi, ac in illis monumentis diem nativitatis Dominicæ perqviri procuraret, Julius Cyrillo morem gerens qvandam Josephi Chronographi Scripturam invenit, in qva dies illa consignata fuit, qva Dei Angelus Zachariæ

riæ Johannis Baptistæ Patri sacra facienti apparuit. ex qva juxta Julii calculum, qvi a Johanne Nicæno recensetur, firmiter colligi potuit, Christum d. 25. Martii conceptum & d. 25. Decembr. natum esse: Ab eo itaqve tempore juxta Johannis Nicæni narrationem Romana ecclesia natalem Christi, d. 25. Dec. celebravit, & universis Ecclesiis celebrandum injunxit. Addit Johannes Nicænus Basilium M. in libro moralium scripsisse, qvod natalis Domini in d. 25. Dec. incidat, & Gregorio Theologo mandasse, ut in Synodo C plitana dies illa promulgaretur. Refert insuper Honorium Imper. cum aliqvando Byzantium venisset, fratri suo Arcadio narrasse, qvod Romani sui festum nativitatis non amplius simul cum die Baptismi sed seorsim celebrarent, Arcadium autem cum hæc audivisset, eam rem Johanni Chrysostomo indicasse, eumqve hanc consvetudinem festum nativitatis propria die celebrandi cum gaudio suscepisse, accersitum ex Cypro Epiphanium ex Hebræorum scriptis & Josephi Chronographia eandem confirmasse, scriptum qvoqve fuisse ad Theophilum Alexandrinum, Johannem Hierosolymitanum & Flavianum Antiochenum, omnesqve adeo Patriarchas in Romanæ ecclesiæ sententia acqvievisse. Simile qvid huic narrationi Johannis Nicæni refertur in legatione Manuelis Comneni ad Armenos sive Theoriani disputatione cum Catholico a Leunclavio græce & latine edita. Nam in ea pag. 134. refertur, Epiphanium cum esset Hebræus natione ex Hebræorum literis & annalium Scriptore Josepho confirmasse, qvod natalis Servatoris d. 25. Dec. celebrari debeat, & cum eo consentire scripta, qvæ Titus Hierosolymis, cum urbem illam caperet,

mam deportavit. Eqvidem in latina versione 20. Dec. legitur, qvi error postqvam semel in Leunclavii versionem irrepsit, in novissima Patrum bibliotheca Lugdunensi tom. 22. p. 807. retentus fuit. Eundem errorem in bibliothecis Patrum Severini Binii deprehendi notavit Montacutius in apparatu pag. 386. ubi tamen & ipse erravit, cum Severinum Binium pro Margarino de la Bigne nominavit. Verum in bibliothecæ Patrum tom. 1. græco-latino, qvi Parisiis 1624. lucem publicam adspexit p. 471. recte error ille emendatus fuit, & 25. Dec. positus, cum græcus textus ita se habeat: λέγουσι γὰρ ὅτι, ὁ θεῖος ἐπιφάνιος ὅτε ἐξ Ἑβραίων ὢν ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων γραφῆς καὶ Ἰωσήππου τοῦ χρονογράφου ἐβεβαίωσεν, Δεκεμβρίῳ κε. τὴν γέννησιν ἑορτάζεσθαι τοῦ Σωτῆρος. Τοῦτο φασὶ συμφωνεῖν καὶ τὰς ὑπὸ τοῦ Τίτου ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ῥώμην ἀχθείσας γραφὰς ὅτε ταύτην αὐτὸς ᾐχμαλώτευσεν. Cæterum ut ad Johannem Nicænum redeamus, etsi Combefisius hunc scriptorem admodum recentem esse agnoscat, nec dissimulet, non nulla in isto tractatu legi, qvæ cum antiqvis Scriptoribus male conveniunt, egregia tamen esse dicit, qvæ a Johanne narrantur, & saltem aliqva eaqve non minima probabilitate niti statuit. Verum putidis fabulis accensenda mihi ea omnia videntur, qvæ a Johanne Nic. in isto tractatu memorantur. Qvamobrem illi Josephum suum Chronographum, aliaqve Hebræorum monumenta, qvæ a Tito Romam adducta & postea a Papa Julio inventa fingit, cum cæteris qvæ narrat somniis merito relinqvimus.

IV. Evodius, qvi Petri in Antiocheno Episcopatu successor creditur in epistola, qvam lumen inscripsit, de Maria agens dicit eam, cum ætatis decimum qvintum

tum

tum annum ageret, Christum peperisse d. 25. Decembr. Verba ejus leguntur apud Nicephorum l. 2. hist. eccl. c. 3. Verum epistola illa Evodii nihil fidei meretur, in qva inter alia B. Virginem, cum trimula esset, in templo præsentatam, & per undecim annos in sancto sanctorum commoratam asserit. Unde Casaubonus in exerc. 1. ad appar. Baronii & in exerc. 13. ad annales c. 24. illud Evodii scriptum antiqvis ignoratum nullius autoritatis esse monet. Præterea Evodius tantum Christum d. 25. Dec. natum esse dicit, qvæ sententia, si vera esset, nondum tamen ex Evodio constaret, jam ipsius ævo festum nativitatis illa die celebratum fuisse.

V. Meminit festi nativitatis Telesphorus Pontifex Romanus in epistola ad Charissimos fratres & dilectissimos Episcopos, qvippe in qva decernit nocte sancta nativitatis Domini Salvatoris missam celebrari & hymnum angelicum solenniter decantari. Verum hanc Telesphori epistolam non minus qvam cæteras veterum Pontificum epistolas decretales ex Isidori Mercatoris officina emissas spurias esse, satis constat, neqve dubitare licet, qvin ea qvæ in Telesphori epistola de festo nativitatis decernuntur, ex libro pontificali deprompta fuerint, qvem autor epistolarum decretalium semper fere ante oculos habuit. Si qvis enim librum Pontificalem cum his Pontificum epistolis conferat, non difficulter deprehendet, qvod epistolæ Pontificum ad eorundem gesta in libro Pontificali descripta efformatæ fuerint, qvod exemplis nonnullis demonstravit Pearsonius in dissert. de success. Pontif. p. 118.

VI. Rudolphus Hospinianus in tractat. de Origine festorum de festo nativitatis agens asserit primum hujus

hujus festi meminisse Theophilum, qvi circa Commodi & Severi Imperatorum tempora vixit, in epistola paschali, & paulo post subjungit, jam ab antiqvissimis temporibus natalem Christi d. 25. Dec. celebratum fuisse, idqve ex Theophilo Cæsareæ Palæstinæ Episcopo constare, qvi doceat, Gallos festum paschatos die 8. Cal. April. celebrasse, idqve factum hac ratione defendisse: *sicut Domini natalem, qvocunqve d. 8. Cal. Jan. venerit, ita & 8. Cal. Apr. qvando resurrectio accidit, Christi debemus pascha celebrare.* Et certum qvidem est, epistolam qvandam de controversia paschali, qvæ tum temporis non sine gravi ecclesiarum motu agitata fuit, a Sacerdotibus in Palæstina præside Theophilo Cæsariensi & Narcisso Hierosolymorum Episcopo congregatis editam fuisse, ut refert Eusebius l. 5. c. 23. eamqve epistolam totius Synodi nomine a Theophilo Cæsariensi conscriptam fuisse, qvo nomine Hieronymus in catalogo suo hunc Theophilum inter scriptores ecclesiasticos retulit. Notum etiam est apud Bedam ad calcem tom. 2. post tractatum de æqvinoctio verno legi acta synodi illius Cæsariensis hoc titulo insignita: *de ordinatione feriarum paschalium per Theophilum Cæsariensem Episcopum & reliqvorum Episcoporum Synodum.* Verum etsi in actis illis legatur, qvod Galli semper d. 8. Cal. April. seu d. 25. Martii pascha celebraverint, nullam tamen natalis Dominici mentionem in illis actis invenire potui. Eadem acta in suo de doctrina temporum commentario edidit Bucherius hoc titulo præfixo: *epistola Philippi de pascha,* & in margine notat ignotum sibi esse, qvis Philippus ille fuerit, cui codex MSC. qvo usus est epistolam hanc de actis concilii Cæsariensis sub Theophilo habiti assignavit. Verum

in

in ista qvoqve editione nihil amplius legitur, qvam veteres Gallos pascha fixum d. 8. Cal. Apr. celebrasse, neqve de festo nativitatis qvicqvam additur. Ex iisdem actis Synodi Cæsariensis nonnulla excerpit Beda in tractatu de ratione temporum cap. 45. verum ibi qvoqve altum de die Christi natali silentium occurrit. Unde olim, qvod non dissimulo, suspicabar forte Hospinianum Theophili Cæsariensis epistolam Synodicam cum Theophili Alexandrini epistolis paschalibus confudisse. Verum cum Theophili Alexandrini epistolas paschales semel iterumqve legerem, in his qvoqve reperire verba illa non potui, qvæ de Gallis diem Christi natalem d. 25. Dec. celebrantibus ex Theophili epistola paschali Hospinianus allegavit. Nondum tamen Hospinianum a memoriæ lapsu absolvebam, cum præsertim multos doctissimos celeberrimosqve viros, qvi pro antiqvitate festi natalis varia testimonia collegerunt, nullam Theophili aut Cæsariensis Synodi mentionem fecisse cernerem, donec tandem post longam inqvisitionem in novam collectionem conciliorum a Steph. Baluzio adornatam inciderem, in qva pag. 13. refert, se in MSC. codice monasterii S. Galli in Helvetia nec non in MSC. codice bibliothecæ Colbertinæ narrationem gestorum concilii Cæsariensis a vulgatis editionibus diversam offendisse, & a viro docto accepisse, qvod simile exemplar in Anglia qvoqve reperiatur. Narratio autem illa in Baluziana conciliorum collectione sic incipit: *cum omnes Apostoli ex hoc mundo transiissent, per universum orbem diversa erant jejunia. Nam omnes Galli unum diem anniversarium VIII. Kal. Apr. celebrabant dicentes: qvid nobis est ad lunæ computum cum Judæis facere pascha? sed sicut Domini natalem, qvocunqve die venerit VIII. Cal. Jan. ita &*

8. Cal. Apr. qvando resurrectio traditur Christi, debemus Pascha tenere. Non est igitur dubium, qvin etiam Hospinianus simile actorum Synodi Cæsariensis exemplar habuerit. Videtur autem Hospinianus in ea sententia fuisse, qvod hæc narratio Theophilum Cæsariensem autorem habeat, nihilqve aliud sit qvam epistola Cæsariensis concilii Synodica a Theophilo conscripta, & ab Eusebio & Hieronymo commemorata. Verum ex illa epistola nihil amplius superest qvam exiguum fragmentum ab Eusebio servatum. Neqve etiam extra dubitationis aleam positum est, num acta ista Cæsariensis Synodi, sive a Philippo qvodam, sive ab alio autore qvocunqve scripta cum veritate consentiant. Qvantum enim ex Eusebii l. 5. histor. eccl. c. 23. & 24. colligi potest, Gallicana ecclesia Theophili ætate ad morem ecclesiæ Romanæ, Cæsariensis & plurium aliarum festum paschæ die dominica celebravit; unde suspecta redditur illa sive Philippi sive alterius cujusdam scriptoris narratio, juxta qvam Galli festum paschæ d. 8. Cal. Apr. in qvamcunqve hebdomadis diem incidisset, celebrasse referuntur. Atqve hinc patet ex illa narratione firmiter colligi non posse, qvod jam Theophili ætate festum nativitatis Dominicæ d. 25. Dec. celebratum fuerit.

VII. Clemens Alexandrinus l. 1. strom. nonnullos sua ætate fuisse dicit, qvi diem Christi natalem curiosius inqvirentes eum ad d. 25. mensis Pachon retulerint, & paulo post addit, nonnullos statuisse, qvod Christus d. 24. vel 25. mensis Pharmuthi natus fuerit. Et Pamelius qvidem in notis ad Tertulliani tractatum adversus Judæos n. 78. mensem Pachon Decembri respon-

ſpondere exiſtimavit. Verum menſem Pachon non Decembri ſed Majo potius reſpondere, ab aliis jam pridem animadverſum eſt, & noviſſime a Baſnagio in exercitationibus ad Baronium p. 217. ubi plura de illo Clementis loco videantur.

VIII. Edidit dum viveret Chriſtianus Daumius Philologus inſignis variorum Patrum homilias ſive meditationes in feſtum nativitatis Chriſti, & in præfatione monuit, plures ſe addere potuiſſe ſi per Typographum licuiſſet. Nominat autem inter eas, qvas omiſit, homiliam Hippolyti Portuenſis Epiſcopi, qvi tertio ſeculo floruit. Neqve me fugit Holſtenium Hippolyti homiliam in S. Theophaniam penes ſe habuiſſe, deqve ea edenda cogitaſſe, etſi morte præventus conſilium illud exeqvi non potuerit. Eademne fuerit Hippolyti homilia, qvam Daumius ſibi ad manus fuiſſe ſignificat, cum ea cujus editionem Holſtenius meditatus eſt, an diverſa, dicere non poſſum, cum neutram viderim, nec aliunde de ea qvicqvam conſtet, unde etiam dicere non poſſum, num in illa homilia aliqva 25. Dec. mentio occurrat. Aliis ergo hoc diſpiciendum & ſimul dijudicandum relinqvo, verene Hippolytus unam aut plures homilias in feſtum nativitatis habuerit, an ſpuriæ ſint, qvæ ſub nomine ejus in bibliothecis qvibusdam extant de feſto nativitatis homiliæ, qvemadmodum ſermo in nativitate Domini Cypriano adſcriptus omnium eruditorum confeſſione Cypriani nomen mentitur, Arnoldo potius Carnotenſi tribuendus.

IX. Qvarto ſeculo eccleſias nonnullas feſtum nativitatis d. 25. Dec. celebraſſe, etſi apud alias dies 6. menſis Januarii huic ſolennitati ſacra eſſet, dubium non

 eſt.

eſt. Nam ut alia teſtimonia taceamus, extat homilia Johannis Chryſoſtomi in diem Domini natalem, qvæ Tom. V. operum ejus edit. Savilian. p. 511. legitur, & in qva diſertiſſimus Pater aſſerit, nondum decem elapſos fuiſſe annos, ex qvo dies ille nativitatis Dominicæ, qvi jam a longo tempore a Thracia ad Gades usqve cognitus & celebris fuerat ſuæ eccleſiæ per aliqvos, qvi ex occidente venerant, innotuerit. Et Petavius qvidem in rationario temporum part. 2. l. 4. c. 2. videtur dubitare, num hæc homilia Chryſoſtomum habeat autorem. Probaturus enim ſententiam illam, qvæ Chriſti natalem in d. 25. Dec. incidere ſtatuit, eſſe antiqvam & πατϱοπαϱάδοτον, præter Gregorium Nyſſenum, Auguſtinum, Paulinum, Chryſologum ac vetera martyrologia allegat non Chryſoſtomum, ſed homiliam qvandam, qvæ inter Chryſoſtomi opera legitur. Clarius hanc homiliam Chryſoſtomo abjudicat Gretſerus l. 3. obſervat. ad Codini tract. de officiis & officialibus magnæ eccleſiæ & aulæ Cptanæ c. 3. ubi octavum Codini caput illuſtrans tres ratiunculas adducit, qvibus probari poſſe putat, hanc homiliam Chryſoſtomo ſupponi. Verum Chryſoſtomo hanc homiliam vindicat Hermantius l. 3. de vita Chryſoſtomi cap. 7. Combefiſius in notis ad Johannis Nicæni tractatum epiſtolicum ſupra memoratum atqve alii. Sciendum autem eſt, orationem hanc habitam non in urbe Cptana Chryſoſtomo jam Patriarcha, ut Calviſius in iſag. chronolog. c. 48. exiſtimavit, ſed Antiochiæ a Chryſoſtomo adhuc presbytero, ut Montacutius in appar. XI. pag. 388. recte obſervavit, & ex ipſo orationis textu non difficulter probari poteſt.

X. Videri autem ex iſta Chryſoſtomi oratione poteſt, qvo

eſt, qvo

est, qvo fundamento subnixi veteres qvidam Christum d. 25. Decembr. natum putaverint. Nimirum persuadebant sibi, Zachariam Johannis Baptistæ Patrem Pontificem maximum fuisse, & Angelum ipsi apparuisse in sancto sanctorum, qvod semel tantum Pontifici qvotannis in festo expiationis ingredi licebat. Atqve hinc colligebant Johannem Baptistam Septembri ad finem vergente conceptum & d. 24. Jul. natum esse. Cum autem Christum sexto post Johannem mense natum constet, ulterius inferebant, Christum d. 25. Martii conceptum & 25. Dec. natum esse. Qvæ computatio tota subruit, si Zachariam Johannis Baptistæ Patrem non summum Pontificem, sed unum e vulgari Sacerdotum ordine fuisse demonstretur. Possent & alia qvædam hujus sententiæ fundamenta adduci. Verum si ea ad examen revocentur, æqve ruinosa ac infirma deprehenduntur. Atqve hinc viri qvidam doctissimi, cum Chrysostomum & alios qvosdam ecclesiæ primitivæ Doctores circa summum Zachariæ Pontificatum hallucinatos animadverterent, aliam diei natalis indagandæ rationem, qvæ in ephemeriarum Sacerdotalium ordine fundatur, invenerunt, etsi hæc qvoqve computatio difficultatibus suis minime careat, ideoqve in diversas sententias prolapsi fuerint, qvi ex ephemeriis Sacerdotalibus diem Christi natalem inqvirere sategerunt. Nam juxta Scaligeri calculum Christus sub finem Septembris vel initium Octobris natus est; juxta Bocharti computationem Zachariæ, qvi ex ordine Abiæ fuit, ephemeria in Decembrem, Christi conceptio sexto post mense facta in Junium ejusdemqve nativitas in Martium incidit, ab utroqve autem in observatione sua palmaria doctissimis ad Sota commentariis inserta

discedit Wagenseilius, qvi ex iisdem ephemeriis Sacerdotalibus colligit, Christum vel circa finem Augusti, vel circa medium Februarii natum esse.

XI. Egit de die Christi natali novissime etiam Bynæus in opere erudito de natali Jesu Christi p. 203. & seqv. Qvod autem idem Bynæus l. 1. c. 1. p. 19. & 20. ad argumentum R. Isaaci, qvi Christianis objecit, festum conceptionis Mariæ d. 8. Decembr. & festum nativitatis Christi d. 25. Decembris celebrari, adeoqve inter conceptionem Christi ejusdemqve nativitatem dies tantum 17. numerari, inter alia respondet, hunc nodum ab iis, qvi d. 8. Decembris festum conceptionis Mariæ celebrant, non tam solvi qvam secari posse, in eo Virum eruditissimum falli existimo. Facillime enim hunc nodum solvent Pontificii & Isaaco respondebunt, se die 8. Decembris non illius diei, qvo Christus a Maria conceptus est, memoriam celebrare, sed illius potius diei qva ipsa Maria a Matre sua concepta est.

XII. Viginti millia Christianorum sub Diocletiani persecutione in templo Nicomediensi, cum diem Domini natalem celebrarent, combusta refert Nicephorus l. 7. hist. eccl. c. 6. Qvæ historia si vera esset, probare posset, jam ante Constantini Mag. ætatem festum nativitatis Christi celebratum fuisse. Qvo die vero Nicomedienses Christiani festum hoc celebraverint, Nicephorus non addit, ut taceam totam hanc historiam Eusebio, Lactantio & aliis Scriptoribus antiqvis incognitam suspicione falsi laborare. Cæterum Nicephorus libr. 17. c. 28. refert, qvod Justinianus Imperator festum ὑπαπαντῆς toto orbe celebrari instituerit, sicut Justinus de sancta Christi nativitate fecerat. Unde colligi potest,

ante

ante Justini imperium nondum festum nativitatis toto orbe solenniter fuisse celebratum.

XIII. De Saviniano, qvem à Petro in Gallias missum fingit, agens Andreas du Saussay in tractatu de mysticis Galliæ Scriptoribus pag. 285. refert, eum ejusqve comites, Potentianum & Altinum, cum Vastiniensem agrum Senonibus fere suburbicarium ingressi fuissent, Christi natalem celebrasse, & in illa ipsa nocte repentino in terris lumine affulgente Dominum in præsepio positum circumstantibus Maria & Josepho ea prorsus forma apparuisse, qva apparuit, cum Bethlehemi natus est, qvin & angelicam melodiam easdem laudes personuisse, qvæ Christo Bethlehemi nato a pastoribus in agro Bethlehemitico auditæ fuerant. Et ne aniles fabulas narrare videatur Clodovei Regis Francorum & Remigii Francorum Apostoli testimonia producit, tandemqve concludit, hinc festum Natale in Gallia suam originem habere, & ex Gallia hunc ritum etiam in cæteras occidentis provincias fuisse derivatum. Verum cum in ipsa Gallia non desint, qvi neqve Savinianum Apostolorum tempore vixisse, neqve festum natale talem, qvalem Scriptor ille delineat, originem habuisse credunt, veniam nobis dabit, si producto Clodovei diplomati & Remigii autoritati fidem denegemus.

XIV. Neqve etiam Tullensi huic Episcopo consentit Gretserus, qvi libro 1. de festis Christianis cap. 29. asserit, festum hoc esse antiqvissimum & ex apostolica traditione. *Nam cujus origo nescitur, nec per generalia concilia constitutum est,* (hæc ipsa Gretseri verba sunt) *id rectissime ad Apostolos autores revocatur juxta Augustini regulam. At certum est, festum nativitatis non esse institutum ab ullo*

ullo concilio generali, cum Scriptores omnia concilia generalia antegressi, ut Clemens Romanus libr. 8. constit. Apostol. hujus festi meminerint. Gretserus igitur non ab Apostolorum discipulis sed ab ipsis Apostolis institutum, ejusqve originem nesciri asserit, qvod cum Episcopi Tullensis sententia minime convenit. Neqve tamen Gretseri sententia magis est probanda, qvam eorum, qvi a Saviniano hujus festi originem arcessunt. Nam Augustini regula, qvã producit, ipsius sententiam minime juvat. Est autem illa deprompta ex libr. 4. de baptismo c. 24. & his verbis ab Augustino concepta legitur: *qvod universa tenet ecclesia, nec a conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Qvæ traditionis apostolicæ criteria ad ritum natalem Domini d. 25. Decembris celebrandi applicari commode non possunt. Neqve n. hunc ritum universa ecclesia perpetuo tenuit, ut ex Autoribus supra allegatis constare potest. Præterea in constitutionibus apostolicis multa contineri, qvæ in antiqvis conciliis definita sunt, eruditorum plerorumqve est sententia. Qvamobrem Gretserus, qvi ad constitutiones apostolicas provocat, dicere non potest, qvod ritus ille in conciliis definitus non fuerit. Nec obstat, qvod Clementem Romanum, qvem constitutionum apostolicarũ collectorem credit, omnia concilia generalia ante gressum dicit. Nam Augustini regula non conciliorum generaliũ, sed in genere conciliorum meminit. Neq; probare Gretserus poterit, qvod apostolicæ cõstitutiones a Clemẽte Romano collectæ fuerint.

XV. Ex his, qvæ dicta sunt, liqvet certis monumentis probari non posse, qvod ritus Domini natalem d. 25. Dec. celebrandi ante qvartum seculum in usu fuerit.

DIS-

DISSERTATIO IV.

De

Origine controversiæ circa æqvalem Petri & Pauli primatum ante 50. annos per celeberrimum Janſeniſtam Antonium Arnaldum excitatæ.

I.

SCripſerat Petrus de Seſmaiſon Jeſuita Gallus vernaculo idiomate exiguum tractatum de qvæſtione: *Sitne melius freqventer qvam raro ſacræ communionis in euchariſtia participem fieri?* In qvo opuſculo pro freqventi Communione, ut eam commendaret, exemplum Apoſtolorum, eorundem Canones, multorum Patrum dicta, aliaqve argumenta produxerat. Hæc lucubratio, cum nondum typis edita fuiſſet, in manus Antonii Arnaldi incidit, qvi tunc inter Sorbonicos Doctores Pariſiis florebat. Is vero cum pœnitentiæ potius diſciplinam, qvam freqventem communionem diligenter inculcandam cenſeret, prolixum ſatis de hoc argumento tractatum edidit, qvem de freqventi communione inſcripſit, eaqve methodo digeſſit, ut Seſmaiſonii opuſculum ſuppreſſo Autoris nomine membratim qvaſi diſſectum ſuo tractatui insereret, ſingulisqve membris ſuas confutationes adjiceret. Etſi vero hic Arnaldi liber ſedecim Archiepiſcoporum ac Epiſcoporum

rum nec non 24. Theologorum insignibus elogiis, qvæ Autoris præfationi subjuncta sunt, ornatus & munitus prodierit, non defuere tamen, qvi hodiernam pœnitentiæ in Romana ecclesia praxin vellicari ægre ferentes adversus hunc tractatum ejusqve Autorem, qvod vel pridem antiqvatas disciplinæ ecclesiasticæ regulas revocare, vel novas condere auderet, gravissimos motus atqve tempestates excitarent.

II. Scripserunt enim adversus illum Arnaldi tractatum, ut Anonymos qvosdam prætermittam, doctissimus Jesuita Dionysius Petavius, cujus tractatum de pœnitentia publica & præparatione ad communionem Henricus Valesius in oratione Petavianis Manibus consecrata ob singularem Gallici sermonis elegantiam miratur & commendat, Jacobus Sirmondus Jesuita itidem doctissimus in historia pœnitentiæ publicæ, Carolus Franciscus d' Abra de Raconis Episcopus Vaurensis, Franciscus Renardus, Gvido Britonellus, Nicolaus Lombardus, Franciscus Jrenæus, Leonardus Marandeus, Hieronymus Segvinus, Johannes Petrus Camus, & alii, qvos enumerare nimis longum esset, in variis tractatibus, qvorum pleriqve Gallico idiomate scripti prodierunt. Qvin & apud Pontifices Romanos tanta huic Arnaldi libro invidia conflata fuit, ut Episcopis Galliæ, qvi cum Arnaldo sentiebant, opus fuerit apud Urbanum VIII. & Innocentium X. per literas pariter & legatos, qvorum nomina Gulielmus de S. Amore sub initium sui diarii expressit, contendere, ne hic liber censura papali configeretur.

III. Occasione autem illius libri, qvem Arnaldus de freqventi communione scripsit, alia qvoqve contro-

ver-

versia excitata fuit. Cum enim Arnaldus in præfatione §. 6. exemplum Petri & Pauli adduxisset, qvorum illum de lapsu suo admonitum non statim veniam a Christo postulasse, sed locum fundendis lacrymis idoneum qvæsivisse, hunc vero paulo post baptismum suum in Arabiam ad deploranda sua peccata secessisse dicit, paulo post subjungit DUO HÆC ECCLESIÆ CAPITA Petrum nempe & Paulum insigne nobis pœnitentiæ exemplar reliqvisse. Insolitum hoc nonnullis visum est, qvod Petrum & Paulum duo ecclesiæ capita vocasset, ideoqve ea de re cum Arnaldo expostularunt. Verum tantum abfuit, ut ille sententiam mutaret, aut retractaret, ut potius A. C. 1645. edito tractatu gallico *de autoritate Petri & Pauli, qvæ in Papa Apostolorum illorum successore residet*, eam ex instituto confirmaret. Hunc Arnaldi tractatum paulo post alius excepit, cui hunc titulum præfixit. *la grandeur de l' Eglise Romaine establie sur l' autorite de S. Pierre & S. Paul. hoc est* magnitudo ecclesiæ Romanæ stabilita super autoritate Petri & Pauli, nec non *epistola ejusdem argumenti* latino idiomate conscripta.

IV. Inter primos Arnaldi in hac controversia antagonistas fuit Petrus a S. Josepho congregationis B. Mariæ Fuliensis Theologus, qvi priorem Arnaldi tractatum de autoritate Petri & Pauli in Papis eorundem successoribus residente, qvamprimum in lucem prodierat, edito gallico tractatu, qvi Advocatus Petri & ejus Successorum contra Pauli advocatum inscribitur, confutavit. Nec segnius eundem Arnaldi tractatum eodem, qvo vulgatus est, anno impugnavit Isaacus Habertus Ecclesiæ Parisiensis Presbyter, Doctor Sor-

bonicus, Abbas S. Mariæ de Allodiis & poſtea Epiſcopus ac Comes Vabrenſis, qvi de primatu ſingulari in eccleſia Romana duos libros publicavit. Neq; hic tacendus, qvem ſupra memoravimus, Carolus Franc. d' Abra de Raconis Epiſcopus Vaurenſis, qvi eodem anno 1645. ſingularem Petri primatum gallico tractatu ſtabilitum ivit. Cum vero his Triumviris, nempe Petro Joſepho, Iſaaco Haberto & Car. Franc. de Raconis, Arnaldus tractatum ſuum poſteriorem de magnitudine eccleſiæ Romanæ ſuper Petro & Paulo ſtabilita oppoſuiſſet, novos adverſarios nactus eſt, qvos inter Claudius Morelius Theologus Sorbonicus qvi A. 1646. poſteriorem illum Arnaldi tractatum ſuis animadverſionibus perſtrinxit, Gvido Britonellus qvi eodem anno 1646. epiſtolam ad Innocentium X. S. Petri unici Apoſtolorum Principis unicum ſucceſſorem & unius ovilis unicum ſcilicet Paſtorem publicavit, & Antonius Diana, Clericus Regularis, qvi de primatu ſolius Divi Petri, & differentia inter ipſum & Divum Paulum diſceptationes apologeticas elaboravit.

V. Eandem controverſiam tractavit Leo Allatius libr. 1. de conſenſu eccleſiæ orientalis & occidentalis. Et tertio qvidem capite hæreticorum pariter qvos vocat & catholicorum de Petri & Pauli æqvalitate ſententiam & argumentum recenſet, ad qvæ capite qvarto & qvinto prolixe reſpondet, tandem vero capitis qvinti theſi ultima pronunciat, duo capita in unum coaleſcentia aliqvid monſtro & portento ſimile videri, cum præſertim Petrum & Paulum a ſe invicem nonnunqvam diſſenſiſſe conſtet, hærere ſe tamen ait, nec hanc ſententiam damnare, ſed anxie ex-

expectare tutissimum sacro sanctæ, ut vocat, inqvisitionis decretum, qvod se avidis ulnis amplexurum promittit.

VI. Prodiit autem illud decretum ab Allatio tam anxie expectatum d. 24. Januarii An. 1647. sub auspiciis Innocentii X. qvi, ut Labbeus in bibliotheca anti-Janseniana loqvitur, *adnatum Janseniano dogmati stolonem ab Antonio Arnaldo primum ex Antonii de Dominis vepretis eductum, & a Jansenianis scriptoribus multo studio ac diligentia singulari excultum propagatumqve decreto suo excidit, extirpavitqve radicitus.* Nimirum in isto decreto sententia, qvæ inter Petrum & Paulum omnimodam æqvalitatem sine subordinatione & subjectione Pauli ad Petrum in potestate & regimine universalis ecclesiæ statuit, hæretica declaratur, omniaqve scripta, qvæ æqvalem Petri & Pauli dignitatem defendunt, damnantur & prohibentur, ut patet ex indice librorum prohibitorum, qvi jussu Alexandri VII. editus est pag. 252. ubi decretum illud legi poterit. Neqve tamen isto decreto, etsi sæpius typis mandatum, & per omnes Europæ provincias disseminatum fuerit, exscindi &, qvod Labbeus putavit, radicitus extirpari Arnaldi sententia potuit.

VII. Nam etiam post decreti illius promulgationem, qvam in Gallia non sine Advocati Regii protestatione factam Dominus de S. Amore p. 3. Diarii sui memorat, qvæstio hæc eruditorum hominum ingenia in partes distraxit. Qva occasione etiam Petrus de Marca ab Innocentio X. consultus, exercitationem de singulari Petri primatu Barcinone mense junio anni 1647. elaboravit, qvam inter varia Petri de Marca

 opu-

opuſcula Steph. Baluzius publici juris fecit. Ita autem ſe in hoc tractatu Marca gerit, ut poſt collationem Petri & Pauli affirmet, eos ex mente veterum & mediæ ætatis Doctorum duo eccleſiæ capita dici poſſe, ſed non ex æqvo, vel æqvaliter, unde additamentum illud ſpongia deleri vel potius cauterio inuri debere cenſet. Qvam ſententiam etiam Antonius Pagi in critica ad annales Baronii A. C. 49. ſuam facere non veretur.

VIII. Contra Arnaldiſtæ obtendunt, ſententiam ſuam plurimis Patrum teſtimoniis firmari, qvi Petrum & Paulum Romanos Epiſcopos, Romanæ eccleſiæ πρεσβύτας, geminum eccleſiæ verticem, duo eccleſiæ brachia totius orbis ambitum amplectentia, duos Soles, duos lapides ab oriente ad fundandam Rom. eccleſiam devolutos, duos duces cœleſtis exercitus, & principatus apoſtolici confratres appellant, qvi eccleſiam Romanam a Petro & Paulo fundatam aſſerunt, qvi Romanos Pontifices Pauli æqve ac Petri ſucceſſores nuncupant, qvi Romam Pauli æqve ac Petri cathedram nominant, nihilqve eorum Paulo denegant, qvæ Petro tribuunt. Obſervant præterea, ipſos Pontifices Romanos hanc ſententiam confirmare, qvoties ſe Petri & Pauli vicarios vocant, qvoties ſe in Petri & Pauli throno ſedere gloriantur, qvoties autoritate Petri & Pauli reos excommunicationis fulmine proſternunt, & qvoties bullas ſuas plumbeas Petri & Pauli imagine obſignant.

IX. Porro omnem traditionis eccleſiaſticæ autoritatem periclitari, & imprimis ipſum Petri primatum convelli ajunt, niſi ex veterum Patrum, conciliorum, ipſo-

ipſorumqve Pontificum ſententia in eodem dignitatis culmine & Paulus conſtituatur. Singulari autem Dei providentia factum eſſe putant, ut, cum eccleſia ex duobus populis Judæis nimirum & Gentilibus colligenda eſſet, duo etiam eccleſiæ Duces ac Rectores conſtituerentur, qvorum individua ſocietate duplex ille populus moribus & ſtudiis diſſidens in unum coaleſceret. Addunt certum eſſe, qvod Paulus Romæ fuerit, cum Petrum ibi fuiſſe non æqve certum ſit, unde concludunt, Paulo addito primatum Petri ſtabiliri. Ex qva aſſertione hanc etiam utilitatem redundare notant, qvod Pontificibus ex imitatione S. Pauli ſingularis ſanctitatis ſtimulus accedat, & qvod hac ratione doceantur, ſe niſi communicato cum Coepiſcopis conſilio nihil ſuſcipere ac decernere debere, qvemadmodum Petrus & Paulus communi ſtudio eccleſias rexerunt. Deniqve Arnaldiſtæ, ne qvis ipſis conſpirationem cum Lutheranis, Calvinianisqve objiciat, ſe multum ab illis differre proteſtantur, cum illi neqve Petro neqve Paulo univerſalem eccleſiæ primatum concedant.

X. Qvid Habertus aliiqve Arnaldi Antagoniſtæ ſupra memorati ad hæc argumenta reſpondeant, commemorare ſuperſedeo, & tantum ex Theophilo Raynaudo nonnulla affero, qvi & in corona aurea Romani Pontificis, & in tractatu collationem Arnaldi de Brixia cum Arnaldo de Luteria continente, imprimis vero in tractatu de eccleſia bicipite circa hoc argumentum occupatur, & Janum hunc bifrontem ſeu monſtrum bicipitis eccleſiæ in Arnaldi cerebro natum Pontificis gladio imminutum gloriatur. Inter alia notat, fuiſſe Gerſonis

ſonis ætate, qvi dicerent, qvemlibet in ſua diœceſi eſſe ſupremum Papam, nec aliud Arnaldum intendere videri, qvam ut poſt Petri & Pauli exæqvationem omnes Epiſcopos Pontifici Romano æqvales faciat, ideoqve beneficium ejus hamatum eſſe, qvoties præ ſe ferat, qvod Pauli ſocietate Petri primatum firmiorem reddere ſatagat. Ad teſtimonia Patrum, qvi Petro Paulum parem faciunt, reſpondet, dicta illa ſic emollienda eſſe, ut Petro prærogativa primatus ſalva relinqvatur.

XI. Inſignis autem Raynaudi ſubtilitas vel ex eo manifeſta redditur, qvod haud ſine ſingulari Dei providentia Paulum in perſecutione Neroniana capite truncatum, Petrum autem capite integro ſervato cruci affixum aſſerit, qvaſi ita argumentari liceret: Pauli caput enſe reciſum eſt, Ergo Petrus ſolus fuit caput eccleſiæ. Verum ſi hujusmodi argumenta admitti debent, etiam Petri primatus in diſcrimen adducetur. Dici enim poſſet, non ſine ſingulari Dei providentia Petrum capite deorſum verſo crucifigi voluiſſe, ut omnibus conſtaret, non Petrum ſed Chriſtum ſolum pro eccleſiæ capite agnoſcendum eſſe. Et qvid Jeſuita dicet de Cornelio, qvi perſecutionis tempore capite plexus eſt? ſcilicet dicendum ipſi erit, Pontificem iſtum Romanæ eccleſiæ caput non fuiſſe, cum capitis ſupplicium paſſus fuerit.

XII. Cum autem in bullis papalibus Pauli imago dextrum, & imago Petri ſiniſtrum locum occupet, qvaſi Paulus non modo Petro æqvalis ſit, ſed etiã præferri debeat, coronidis loco breviter recenſebimus, qvantum eorum ſententiæ varient, qvi Petri primatum defendunt. Et Thomas qvidem Aqvinas Petro ſiniſtrum locum aſſignatum

gnatum judicat, qvia a Christo in terris versante vocatus est, Paulo dextrum, qvia a Christo jam glorificato vocationem suam accepit. Petrus Damiani inter alias rationes Paulo dextrum locum competere arbitratur, qvia e tribu Benjamin natus est, qvod nomen filium dextræ denotat. Matthæus Paris ad annum 1237. Paulum dextrum figurari ait, qvia in Christum, qvem non viderat, credidit. Alii Græcorum erga Paulum affectui, alii sculptorum errori, alii diversis templorum structuris ordinem illum tribuunt. Raynaudus vero nodum hunc solvi posse putat verbis Christi: *qvi major est, fiat minor* Luc. 22. Addit, Petrum, cum Romæ velut in domo propria sederet, Paulo tanqvam hospiti honoris causa dextrum locum concessisse, censetqve hanc urbanitatem etiam inter cœlites observari & sic Svaresium hanc difficultatem expedivisse, de Christi ad Patris dextram sessione tractantem. Et ex eodem fonte Raynaudus rationem reddi posse ait, cur Romæ in basilica S. Petri Pauli statua, qvæ ad dextrum Dominicæ crucis latus posita est, prius qvam statua Petri ad sinistrum crucis latus thurificari soleat.

XIII. Contra alii Paulum in bullis plumbeis Pontificum aliisqve imaginibus Petro anteponi negant. Dicunt enim, sæpe sinistrum locum digniorem esse, vel Paulum instar lateronis alicujus Petri latus tegere, vel Paulum respectu qvidem Petri dextrum videri, non item si cum adspicientibus comparetur, qvæ sententia post alios Mabillonio de arte diplomatica libr. 2. c. 14. placuit. Lambecius tom. 4. biblioth. Vindob. p. 317. ex authenticis diplomatibus tria sigilla Papalia exhibet, in qvibus ad effigiem Pauli literæ SPA, ad effigiem

Petri literæ SPE appositæ sunt, etsi in tertio diplomate, qvod ab Urbano VIII. in gratiam Lucæ Holstenii datum est, posterius S. omissum deprehendatur, qvod & in aliis sigillis Papalibus factum deprehendit, idqve inde factum existimat, qvod is, qvi posterius S. omisit, sibi persvaserit, prius S. sigillum denotare, reliqvas autem literas PAPE vocem Pape vel Papæ exprimere. Qvæ interpretatio forte propterea excogitata est, ne Paulus per literas SPA indicatus dextrum & Petrus per literas SPE significatus sinistrum locum occupare agnosceretur. Idem Lambecius ibidem ex codice qvodam biblioth. Vindob. æri incisam exhibet Petri & Pauli imaginem, & dicit, Paulum etsi a Petri dextra stare videatur, potius tamen ex adverso stare velut auscultantem. Verum si hæc imago cum imagine S. Johannis & Prochori conferatur, qvam Lambecius tom. 2. pag. 771. exhibet, æqve Paulus respectu Petri ac Johannes respectu Prochori dextrum locum tenere deprehendetur.

XIV. Plura de qvæstione circa situm Petri & Pauli in bullis plumbeis, videri poterunt apud Molanum de imaginib. libr. 3. c. 24. &c. Leonem Allatium, qvi c. 6. l. 1. de concordia ecclesiæ orient. & occident. variorum eruditorum ea de re sententias exponit, Dominici nempe Raynaldi ex tractatu inedito, Antonii Caraccioli ex epistola ad se scripta, Francisci Mucantii ex tractatu de Petri & Pauli imaginibus, Nicolai Alemanni ex schedis, qvas morte præventus imperfectas reliqvit, & aliorum. Qvibus postea cap. 7. Melchioris Incoferi, qvem per literas consuluerat, de Petri & Pauli primatu judicium subjungit. E Reformatis Salmasius

Paulo

Paulo dextrum locum datum asserit, qvia Romana ecclesia imprimis e Gentilibus collecta & Paulus gentium Apostolus fuit; Basnagius autem in exerc. ad Baronium pag. 467. hanc causam adducit, qvia Paulus prior pro Romanæ ecclesiæ salute laboravit. Cæterum imaginem Pauli dextri & Petri sinistri etiam Boemundus Antiochenus Princeps in bullis suis usurpavit, ut videre licet ex diplomate ejus, qvod datum est A. C. 1190. & ab Ughello exhibetur tom. 4. Italiæ sacræ p. 1215. Qvomodo Petri vultus a Pauli forma discerni soleat, sive a dextris ponatur Petrus, qvod posterior ætas tulit, sive ex vetustiori more, a sinistris, breviter indicat Papebrochius in paralipomenis ad conatum in catalogum pontif. pag. 51. ubi etiam ectypon insignis vetustiorisqve anaglyphi ey Johannis Jacobi Chiffletii qvasi testamentario variarum hujusmodi curiositatum legato exhibet. Videant autem qvi vel solius Petri primatum defendunt, vel Paulum Petro in primatu adjungunt, qvomodo istam controversiam componant. Nos interim duce Scriptura solum Christum tanqvam ecclesiæ caput veneramur.

DISSERTATIO V.

De

Actis Synodi Hierosolymitanæ Anno MDCLXXII. sub Patriarcha Hierosolymitano Dositheo adversus Calvinianos habitæ,

In qva imprimis de Cyrilli Lucaris confessione actum est.

I.

CLaudius Reformatæ in Gallia, anteqvam illa Reformatos expelleret, ecclesiæ Minister in duplici classe Græcos recentiores constituit, qvarum una Græcos schismaticos a Romana sede divulsos, altera Græcos a Romano Pontifice dependentes complectitur, in qvorum numero Gabriel Severus Philadelphiensis Archiepiscopus, qvi cum Patavii & Venetiis versaretur Romanæ ecclesiæ ore loqvi didicit, Agapius monachus Cretensis, Meletius Syrigus, Gregorius Proto-syncellus, Georgius Coresius, Michael Coracius & alii, de qvorum consensu in dogmate transubstantiationis aliisqve articulis Romani gloriari solent.

II. At Richardus Simonius in notis ad opuscu-

la

la Gabr. Severi pag. 140. Claudio autor eſt, ut tertium Græcorum genus addat, eorum nempe, qvi neqve Græcorum neqve Pontificiorum, ſed Novatorum, qvos appellat, placitis adhærent, qvales ipſius judicio ſunt Meletius Metropolita Epheſinus, Zacharias Gerganus Artenſis & imprimis Cyrillus Lucaris patria Cretenſis, qvi Meletio in Alexandrini & poſtea Timotheo in Cptani Patriarchatus dignitate ſucceſſit, qvam per varias viciſſitudines aliqvoties amiſit & recuperavit, donec A. C. 1638. juſſu Turcici Imperatoris captus & poſt varias contumelias gutture chorda eliſo ſuffocatus eſt, corpore qvoqve ejus poſt mortem varia fata experto, qvippe qvod bis aqvis injectum & tribus vicibus terræ mandatum eſt.

III. Et Allatius qvidem in conſenſu eccleſiæ orientalis & occidentalis l. 3. c. 11. Cyrillo huic Simoniam, veneficia, aliaqve crimina exprobrat; Verum ab his flagitiis Cyrillum abſolvunt, qvi ex Reformatis ejus vitam recenſuerunt, ut Hottingerus in analectis hiſtorico-theol. & qvidem in appendice ad diſſertat. 8. & Thomas Smith in miſcellaneis prioribus A. C. 1686. editis, qvorum ſecundum caput narrationem de vita, ſtudiis, geſtis & martyrio Cyrilli Lucaris continet. Nos integram ejus vitam nunc excutere nolumus, de ejus confeſſione circa qvam imprimis Hieroſolymitanæ Synodi Patres occupati fuerunt, nonnulla dicere contenti.

IV. Nimirum hic Cyrillus confeſſionem fidei compoſuit, eamqve latine primum edidit, ſed poſtea ad verbum græco idiomate donavit, ut ipſe con-

fesſionis ſuæ cap. 18. memorat. Et latina qvidem confeſſio Genevæ A. G. 1629. prodiit, ubi etiam eadem confeſſio A. C. 1633. græce & latine lucem publicam adſpexit, poſtea in Belgio A. C. 1645. recuſa, qvam editionem a Nihuſio procuratam docet Simonius in catalogo librorum, qvem ſubjecit tractatui ſuo gallico de fide orientalis eccleſiæ circa tranſubſtantiationem pag. 350. Et hanc confeſſionem Cyrillo ſuppoſitam fuiſſe nonnulli ſuſpicati ſunt. Verum eam a Cyrillo editam fuiſſe non eſt dubitandum; neqve tamen Hottingero concedendum, ex hac confeſſione colligi poſſe, qvalis doctrina Cyrilli hujus ætate apud Græcos recepta fuerit, cum Cyrillus in illa confeſſione non tam Græcorum doctrinam profeſſus fuerit, qvam illam potius, qva ex converſatione cum Reformatis eorumqve libris imbutus fuerat, ut Fehlavius in epiſtola dedicatoria prioris editionis Chriſtophori Angeli latine a ſe verſi obſervavit. Et qvamvis Hottingerus in topographia eccleſiæ orientalis pag. 93. ad ea, qvæ ipſi Fehlavius objecerat, reſpondere conatus fuerit, reſponſionibus tamen illius Fehlavius in annotationibus ad epiſtolam dedicatoriam, qvam ultimæ editioni Chriſtophor. Angeli adjecit, abunde ſatisfecit.

V. Sane ipſi Græci tribus adverſus Cyrilli confeſſionem habitis Synodis teſtati ſunt, Cyrilli confesſionem cum Græcorum fide minus convenire. Ex his prima Cptana ſub Cyrillo Berrhœenſi Cyrilli Lucaris ſucceſſore A. C. 1638. celebrata fuit, cujus decretum latine primum Laureti A. C. 1639. in vindiciis Sylveſtri a Petra Sancta, deinde in Belgio græce & lati-

latine cum ipſa Cyrilli confeſſione prodiit, ut reliqvas editiones taceamus. Altera Synodus adverſus Cyrilli confeſſionem habita incidit in A. C. 1642. qvo Parthenius Patriarcha in urbe Cptana illam Synodum coegit, cujus cenſura eodem anno Jasſii in Moldavia, poſtea Pariſiis 1643. & in Belgio 1645. cum Cyrilli confeſſione prodiit, etiam ab Allatio operi de perpetua orientalis & occidentalis eccleſiæ conſenſione, & a Coſſartio collectioni conciliorum inſerta. Tertia deniqve Synodus a Græcis adverſus Cyrilli confeſſionem habita eſt Hieroſolymitana, de qva nunc aliqva dicere conſtitui.

VI. Prodierunt acta illius Synodi primum 1676. ſub nomine Synodi Bethlehemiticæ. Verum in altera editione, qvæ A. C. 1678. procurata fuit, titulus iſte mutatus, & Synodus hæc Hieroſolymitana appellata fuit. Etſi enim in conventu Bethlehemitico, qvæ ob inſtaurationem ſacræ ædis contigit, conſilium concilii hujus celebrandi initum fuerit, Hieroſolymis tamen digeſta & ſubſcripta ſunt illius Synodi decreta, qvæ in ipſo frontiſpicio Calviniſtis de conſenſu eccleſiæ orientalis gloriantibus clypei inſtar oppoſita dicuntur. Qvod enim Calviniani placita ſua orientali eccleſiæ affingant, nemini, qvi Claudii Charentonenſium qvondam Calviniſtarum in Gallia Doctoris ſcripta noverit, ignotum eſſe Græci in hac Synodo qveruntur: exprobrantes inſuper Calvinianis, qvod non tam ex ignorantia, qvam ut ſimplices in fraudem inducant, errores ſuos Græcæ eccleſiæ imponant, cum ex ſcriptis Jeremiæ Patriarchæ, Johannis Nathanaelis, Gabrielis

brielis Philadelphienſis aliorumqve, qvid eccleſia græca profiteatur, abunde conſtet. Cum autem Reformati eccleſiam orientalem ſuæ in doctrina conformem probaturi ad Cyrilli Lucaris confeſſionem provocare ſoleant, in id imprimis incumbendum ſibi exiſtimarunt concilii Hieroſolymitani Patres, ut hoc præſidium ipſis eriperent.

VII. Qvamobrem c. 1. hujus Synodi ex variis Cyrilli homiliis probant, eum de proceſſione Spiritus S. de traditionibus eccleſiæ, de prædeſtinatione, de Sanctorum interceſſionibus, de regimine eccleſiaſtico, de libero arbitrio, de ſacramentis aliisqve fidei capitibus aliter longe in ſua eccleſia docuiſſe, qvam in illa fidei confeſſione, qvæ ſub ejus nomine circumfertur. Hinc in ſecundo capite docent, Cyrillum, ſi autor illius confesſionis fuerit, eam nemine orientalium conſcio edidiſſe, eamqve pro publico & avthentico Patriarchæ Cptani inſtrumento venditari non poſſe, cum neqve a Clerico qvodam in codicem aliqvem majoris eccleſiæ tranſcripta, nec ab aliis Epiſcopis & Clericis ſubſcripta & ſignata fuerit. Cum autem hæc confeſſio a Cyrillo tanqvam a privato homine edita fuerit, nec patriarchalibus ſcriptis annumerari mereatur, eam c. 3. multo minus toti orientali eccleſiæ tribui poſſe docent.

VIII. In qvarto capite oſtendunt, orientalem eccleſiam aut ea nunqvam credidiſſe, qvæ Cyrilli confeſſio exponit, aut, ſi iſta crediderit, nullam cum Chriſto partem habere potuiſſe. Tria enim cuilibet Chriſtiano neceſſaria eſſe dicunt, ut corde credat ad juſtitiam, ore confiteatur ad ſalutem, eaqve qvæ credit & confitetur, operibus factisqve demonſtret, cum

ne no-

ne nomine qvidem Christiani, nedum Christi participatione dignus sit, qvi alia corde credit & alia ore factisqve exprimit. Unde concludunt, Græcos, si ea credant, qvæ Cyrilli confessio continet, christianos esse non posse, cum publica ipsorum doctrina, qvam libere & omni timoris causa procul habita profitentur, & qvotidiana praxis capitibus Cyrilli confessione contentis plane adversetur, siqvidem apud Græcos & septem Sacramentorum usus, & imaginum cultus, & Sanctorum veneratio & alia, qvæ in Cyrilli confessione repudiantur, etiamnum ubiqve vigeant, qvin etiam certis diebus, nempe Dominica post 11. Octobr. diem, qva memoria Patrum Synodi Nicenæ adversus Jconomachos congregatorum recolitur & prima qvadragesimæ Dominica, qvæ ὀρθοδοξία dicitur, nonnulla dogmata, qvæ in Cyrilli confessione tanqvam orthodoxa approbantur, anathemati subjiciantur.

IX. In qvinto capite Cyrillum, etsi neqve hanc confessionem suam esse, neqve se doctrinam illius approbare jurejurando asseruerit ;& contraria huic confessioni in ecclesia sua publice docuerit, eam tamen ob causam in duabus Synodis damnatum referunt, qvod scripto aliqvo confessionem illam impugnare noluerit, ideoqve Cyrillum non pro Sancto, sed pro misero omnisqve cum Christo communionis exsorte homine habendum pronunciant, qvem etiam non pro Christi nomine, sed propter insatiabilem ambitionem morte ignominiosa sublatum asserunt, cum cathedram Cptanam post primam ejus possessionem, qvam pro legitima agnoscunt, tribus vicibus injuste occupaverit.

X. Duplicis autem illius Synodi decreta, qvibus Cyrilli confessio damnata fuit, ut dictis suis fidem faciant, capiti huic inserunt Synodi Hierosolymitanæ Patres. Et prior qvidem Synodus, qvam A. C. 1638. Cpli præside Cyrillo Berrhœensi coactam diximus, hæc imprimis capita in Cyrilli confessione damnavit, qvod confessionem suam, cum Calviniana sit, sub orientalis ecclesiæ nomine vulgaverit, qvod ecclesiam errare posse dixerit, qvod absolutam prædestinationem statuerit, nullamqve ex operibus salutem sperandam dixerit, qvod Christum unicum Mediatorem esse docens tacite Sanctorum intercessiones rejecerit, qvod homini bene agendi libertatem negaverit, qvod duo tantum Sacramenta agnoverit, qvod panem & vinum in evcharistia corpus & sangvinem Christi fieri inficiatus fuerit, qvod fidelibus pie defunctis eleemosynas & ecclesiæ preces nihil prodesse docuerit, & qvod imaginum venerationem aspernatus fuerit.

XI. Posteriorem Synodum adversus Cyrillum sub Parthenio A. C. 1642. etiam Cpli habitam supra diximus. Neqve dicti pœnitet, cum id asseri videam ab Arsenio Hieromonacho in epistola, qvæ decretis hujus Synodi in editione Belgica subjicitur. Qvamobrem non errasse puto Cossartium, Cabassutium & alios qvi Synodum hanc Cptanam appellant. Cum vero Synodus Hierosolymitana p. 184. & 214. asserere videtur, qvod altera Synodus adversus Cyrillum Giasii habita fuerit, sciendum est, Synodum apud Giasium habitam tantum posterioris Cptanæ velut appendicem fuisse. Cum enim a Parthenio & Synodo ejus Cptana Cyrilli capita damnata jam fuissent, & Parthe-

thenius epistolam suam synodicam Giasium misisset, ibi qvoqve ab Episcopi Cptani vicariis & Russiæ Legatis ad nutum Johannis Basilii Moldaviæ Principis subscripta & confirmata fuit, ut epistola ad Moldaviæ Principem, qvæ Synodicæ Parthenii epistolæ subjici solet, testatur. Et præterea ipsa Hierosolymitana Synodus Parthenii epistolam in Synodo qvadam Cplitana scriptam esse pag. 217. agnoscit, ubi animadvertit, neqve Synodum Cplitanam sub Parthenio congregatam, neqve eam qvæ Giasii collecta est Cyrillum nominetenus anathemate percussisse, sed eum tantum, qvi ista capita conscripsit, etsi prior Cplitana sub Cyrillo Berrhœensi habita Cyrillo Lucari nominatim anathema dixerit, qvod judicium Hierosolymitana Synodus approbat, ea tamen conditione limitatum, si hæreticus reapse fuerit, nec resipuerit. Qvantum autem ad ipsa posterioris hujus Synodi Cplitanæ decreta attinet, videmus in illis omnia & singula Cyrillianæ confessionis capita tanqvam Calviniana & hæretica perstringi solo septimo excepto, in qvo Cyrillus asserit, Christum omnibus fidelibus salutem & gloriam peperisse, qvod qva ratione Cyrillus intellexerit, ex articulo 3. de prædestinatione non difficulter colligi potest, unde in hoc etiam capite Reformatæ religionis principia deprehendere Parthenius & Collegæ potuissent, si illud attentioribus oculis inspexissent.

XII. Sed pergendum est ad sextum idqve ultimum Hierosolymitanæ Synodi caput, in qvo doctrina ecclesiæ græcæ juxta ordinem in Cyrilli confessione & annexis responsionibus servatum proponitur, ut

qvantum ecclesiæ græcæ doctrina a Cyrilli confessione discrepet, manifestum fiat. Cum enim Cyrillus in primo confessionis suæ capite Spiritum S. a Patre per filium procedere dixerit, Synodus Hierosolymitana Spiritum S. a Patre procedere asserit. Atqve hinc editor Synodi Hierosolymitanæ evincere conatur, qvod Patres Synodi Hierosol. non fuerint Romanæ ecclesiæ addicti. Qva in re a Leone Allatio dissentit. Is enim existimat, Græcos in ejusmodi confessionibus, in qvibus Spiritum S. a Patre procedere affirmant, cum Latinis consentire, cum Spiritum S. etiam a Filio procedere non aperte negent. Omnino autem suspecti sunt Patres Hierosolymitani de captata Latinorum gratia, siqvidem cætera omnia, de qvibus Græcos inter & Latinos controvertitur, dissimulant. Nec dubium est, qvin in Latinorum gratiam de processione Spiritus S. a Patre agentes exclusivam particulam omiserint. Atqve hinc laudandus Parthenii & Collegarum candor, qvi ex mente ecclesiæ græcæ Spiritum S. a solo Patre procedere contra Cyrillum asserunt, non probante id Cabassutio, qvi in notitia ecclesiastica conciliorum Calvinianos hic cum tota ecclesia rectius qvam Græcos sentire notat, etsi mira distinctione adhibita Calvinianos non ex fide divina, sed tantum humana qvadam & naturali proprii judicii persvasione id credere censeat, qvia si divina fide hunc articulum crederent, reliqva omnia ecclesiæ dogmata accepturi essent, qvasi divina fides in eo consistat, si qvis omnia ecclesiæ Romanæ dogmata amplectatur.

XIII. Cum Cyrillus in cap. 2. ecclesiam, qvæ falli potest, Scripturæ S. posthabendam docuerit, Syno-

nodus Hierosolym. ecclesiæ autoritatem Scripturæ æqviparat. Porro cum Cyrillus in c. 3. absolutam prædestinationem asseruerit, Synodus Hierosol. absolutum decretum rejicit, & eos prædestinatos statuit, qvos Deus arbitrio suo bene usuros vidit, qvod æqve falsum est. Parum autem abest, qvin editor Synodi Hierosolymitanæ Græcos ultra modum progressos arguat, qvod suam sententiam de prædestinatione ceu fidei dogma ediderint, & eos, qvi prædestinationem sine operum respectu factam dicunt, scelestissimis hæreticis accensuerint, & in Synodo Cplitana Cyrillo prædestinationem sine operibus profitenti anathema dixerint, cum tamen Pontificiis de prædestinatione num ex meritis, an ex absoluta gratia facta fuerit, in utramqve partem disputare liceat, qvam difficultatem tolli posse existimat, si dicatur, Græcos sub hæreticorum nomine Calvinianos tantum perstrinxisse. Num vero hac ratione illi ex Pontificiis, qvi in articulo de prædestinatione cum Calvinianis consentiunt, hæreticorum titulum effugere possint, ipsi videant.

XIV. Circa qvartum caput, in qvo omnis mali culpa a Deo removetur, nulla est inter Cyrillum & Hierosolymitanam Synodum pugna, etsi Synodus Cplitana sub Parthenio hæc in qvarto Cyrilli capite reprehendat, qvod cum tertio de absoluta prædestinatione male conveniat. Providentiam Dei adorandam potius qvam investigandam in 5. c. Cyrillus docuerat. Addit Synodus Hierosolymitana ea pie scrutari nefas haud esse, qvæ scriptura de Divinæ Providentiæ mysteriis tradidit. In c. 6. Cyrillus dixerat, neminem esse hominum, qvi pondus peccati originalis non ferat,

ejusqve fructus in hac vita non sentiat. Id Synodus Hierosolymitana concedit, si per fructus peccati originalis variæ hujus vitæ ærumnæ cum morte corporis intelligantur, non item, si per fructus illos innuantur peccata mortalia, cum illa non a natura, sed a voluntate prava ortum habeant, & Maria aliiqve Sancti ab hujusmodi peccatis immunes fuerint.

XV. Ad 7. Cyrilli caput de Christo Synodus Hierosolymitana addit, qvod Maria absqve ullis doloribus & citra virginitatis læsionem pepererit. Christo unico Mediatori, qvem Cyrillus in 8. c. profitetur, Synodus Hierosolymitana Sanctos intercessores adjungit non solum viventes sed etiam defunctos, qvos in lumine Trinitatis omnia, qvæ in terris geruntur, agnoscere affirmat. Fidem qvæ in Christo justificat, Cyrillus in c. 9. commendaverat, & Synodus Hierosolymitana fidem per caritatem seu obedientiam mandatorum Dei justificare contendit.

XVI. De ecclesia Cyrillus in 10. capite docuit, eam fideles tam in via peregrinantes qvam in Patria triumphantes comprehendere, & unicum esse ecclesiæ caput nempe Christum, eos autem, qvi ordinis causa primi sunt in particularibus ecclesiis, non capita esse sed præcipua membra. At Synodus Hierosolymitana militantem ecclesiam cum triumphante male confundi docet, Episcopos, per qvos Christus ecclesiam gubernat, impropriè ecclesiæ capita vocari negat, Episcoporum præ Presbyteris eminentiam asserit, & sublata Episcopali dignitate ipsam ecclesiam tolli existimat. In capite 11. Cyrillus tantum Sanctos ad vitam

æter-

æternam electos pro membris ecclesiæ catholicæ agnoscit, etsi in particularibus ecclesiis paleam cum tritico mixtam haud diffiteatur. At Synodus Hierosolym. etiam eos, qvi in peccatis sordescunt, pro membris ecclesiæ catholicæ reputat, modo catholicam fidem retineant. Ecclesiæ fallibilitatem, qvam Cyrillus cap. 12. affirmat, Hierosolymitana Synodus negat.

XVII. Qvæ Cyrillus in c. 13. de justificatione per solam fidem & citra operum meritum rectissime docuit, Synodus Hierosolymitana a pietate aliena esse censet, ac fide & operibus hominem justificari statuit, negans fidem instar manus Christi justitiam apprehendere, hominemqve per fidei correlatum hoc est Christum justificari. Decimum qvartum Cyrilli caput de libero arbitrio agit, qvod in irregenitis mortuum esse dicit. At Synodus Hierosolymitana libertatem arbitrii salvam esse statuit, ita ut naturaliter bonum eligere ac operari, malumqve fugere ac detestari possit, & qvamvis regeneratis ad opera spiritualia gratiam supernaturalem necessariam esse doceat, in propriis tamen renatorum viribus esse arbitratur, qvod gratiæ assentiri aut velint aut nolint.

XVIII. Duo tantum Sacramenta a Christo instituta Cyrillus in 15. c. agnoscit. At Synodus Hierosolymitana septem Sacramenta fingit, recte tamen negat, fidei defectum integritati Sacramentorum præjudicare, qvod Cyrillus asseruerat. Cyrillum in 16. cap. docuisse, qvod baptizatus nullo modo perire possit, ex verbis ejus exsculpi non potest, etsi Cplitana Synodus sub Parthenio hujus erroris ipsum arguat. Sane Syno-

nodus Hierosolymitana dum de baptismi necessitate, effectu, aliisqve ad hoc Sacramentum spectantibus differit, hunc Cyrilli errorem, si ejus vestigium aliqvod reperire potuisset, silentio prætermissura non fuisset. Interim Synodus Hierosol. ipsa errat, dum eos erroris arguit, qvi peccatum in baptismo radicitus extirpari negant. Corporis & Sangvinis Dominici præsentiam Cyrillus in cap. 17. admittit, verum statim addit, se eam præsentiam, qvam fides offert, intelligere. Synodus vero Hierosolymitana ad alterum extremum prolapsa panem & vinum in Corpus & Sangvinem Christi transsubstantiari credit, qvod æqve falsum est, ac cætera, qvæ de adoratione corporis & sangvinis Dominici in eucharistia, de ejus oblatione pro vivis & mortuis, deqve ejus extra usum asservatione tradit.

XIX. In ultimo capite Cyrillus animas morientium vel in cœlum vel in infernum migrare nullumqve purgatorium dari dixerat. Synodus vero Hierosolymitana animas ita post mortem vel in reqvie vel in pœnis esse dicit, ut nondum integram vel beatitudinem vel damnationis mensuram obtineant, & eorum animas, qvi pro peccatis pœnitentiam egerunt, sic ad inferos abire, ut futuræ liberationis consciæ sint, precibusqve & eleemosynis ac imprimis missæ sacrificio juventur. Cum autem Cyrillus confessioni suæ responsionem ad qvatuor interrogationes adjunxerit, qvarum prima de lectione S. Scripturæ, sitne ab omnibus Christianis peragenda, secunda de Scripturæ perspicuitate, tertia de libris canonicis & apocryphis, & qvarta de cultu imaginum agit, & has qvæstiones ea ratione solvat,

qva

qva Lutherani & Reformati solent, Synodus etiam Hierosol. de his qvæstionibus sibi agendum, easqve ad Pontificiorum nutum decidendas existimavit.

XX. Conjungitur cum decretis hujus Synodi Dionysii Patriarchæ Cplitani super Calvinistarum erroribus responsio eodem anno edita, qvo Synodus Hierosolymitana celebrata fuerit. Medio autem loco inter hanc Synodum ac Dionysii responsionem exhibetur documentum aliqvod Gallici ad portam Ottomannicam oratoris, ex qvo colligere licet, qvod ipso imprimis instigante hæc Synodus a Patriarcha Dositheo coacta fuerit. Unde hæc etiam Synodus ad confessiones a Græculis emendicatas pertinet, qvarum mentionem fecit celeberrimus Spanhemius in elencho selectiorum de religione controversiarum.

XXI. Cæterum adversus Cyrilli confessionem scripsit etiam Johannes Matthæus Caryophilus. Edidit enim Romæ A. C. 1631. typis congregationis de propaganda fide *censuram confessionis fidei seu potius perfidiæ Calvinianæ, qvæ nomine Cyrilli Patriarchæ Cplitani circumfertur*, cujus scripti mentionem facit Allatius in apibus Urbanis p. 162. Conferri autem præterea de hoc Cyrillo poterunt e nostris venerandus Ulmensis ecclesiæ Præsul Veielius in defensione exercitationis suæ de ecclesia græca pag. 102. seqv. E Reformatis Hornbekius in summa controversiarum p. 898. Rivetus in Jesuita vapulante c. XI. n. 11. 12. 13. in appendice altera ad mysteria Jesuitarum, T. 3. Oper. p. 1257. in dialysi discussionis Grotianæ sect. 7. th. 4. &c. E Pontificiis Schelstratenus in notis ad concilium Antiochenum p. 274. Spondanus in Baronio continuato A. C. 1627. sect. 9. & alii.

DISSERTATIO VI.

seu

Historia Photini Episcopi Sirmiensis & Hæresiarchæ.

I.

PHotini nomen a luce, qvæ Græcis φῶς dicitur, originem habet. Verum Photinus ille, cujus historiam brevi hac dissertatione exponere aggredimur, a tenebris potius, qvæ Græcis σκότος dicuntur, nominari debuisset. Atqve hinc Athanasius de Synod. Arim. & Seleuc. p. 691. edit. Commelin. seu potius Patres concilii Antiocheni A. 344. celebrati in fidei formula, qvam ibi Athanasius recitat, Photinum eleganti nominis mutatione Scotinum appellant, etsi qvi Parisiensem Athanasii editionem procurarunt, existimantes librariorum vitio pro Photino Scotinum positum fuisse, Photini nomen reposuerint, qvod etiam apud Socratem in illa fidei formula libr. 2. c. 19. legitur. Utra lectio sit præferenda, in medio relinqvit Sirmondus in diatriba 2. examen dissertationis Petavianæ continente. Observat tamen etiam a Lucifero Calaritano in libro de non parcendo in Deum delinqventibus Photinum per ludibrium Scotinum appellari. Baluzius autem in præfatione ad opuscula Petri de Marca thes. 6. non obscure innuit, Commelinianæ editionis lectio-

lectionem sibi magis arridere. Sane inusitatum antiqvis ecclesiæ Doctoribus non fuit, ejusmodi nominum in contrariam significationem flexorum allusionibus hæreticos perstringere. Nam Athanasius, ut unicum exemplum afferamus, in epistola ad Solitarios p. 864. edit. Paris. Meletianos Epicritianos appellat, seu potius, ut Cotelerius T. 3. monument. eccl. græcæ pag. 636. locum illum emendat, πικριτιανὺς. Cum enim Meletiani seu Melitiani ἀπὸ τ̃ μέλιτος qvasi mellei dicti viderentur, Athanasius eos dignos arbitratus est, qvi ἀπὸ τῆς πικρείας seu amaritudine Picritiani & fellei dicerentur.

II. Patriam Photini Sirmium fuisse asserit Epiphanius seu potius latinus Epiphanii interpres Janus Cornarius, qvi verba Epiphanii hæres. 71. ὡρμᾶτο ἀπὸ Σιρμίυ ita interpretatus est, ac si Photinus a Sirmio originem duxerit. Verum, ut a Petavio in notis ad Epiphanium animadversum est, græca vox potius innuit, qvod Photinus a Sirmio irruerit & impetum fecerit, nempe qvatenus ibi suam hæresin vulgavit. Neqve enim Sirmium patria ejus fuit, qvam Ancyræ in Galatia habuit, unde in Antiochena fidei formula, cujus supra mentionem fecimus, Marcellus & Photinus Ancyrani seu Ancyro-Galatæ appellantur.

III. Et hunc ipsum Marcellum, qvi cum Photino in hac fidei formula conjungitur, Photinus Præceptorem habuit. Fuit autem ille Marcellus Episcopus Ancyranus, qvi ab Episcopis post Tyriam Synodum ad Hierosolymitana encænia profectis, indeqve ab Imperatore Cplin accersitis Samosatenismi accusatus, & ab officio depositus, sed postea a Sardicensi & Roma-

no concilio abſolutus eſt. Etſi vero aliqvandiu Samoſatenifmum occultaverit, eum tamen poſtea usqve adeo prodidit, ut etiam Athanaſius, a qvo in epiſtola ad ſolitarios defenſus fuerat, a communione ſua illum ſuſpenderit, ut legitur apud Sulpitium Severum libr. 2. hiſt. ſac. cap. 57. Atqve hinc paſſim Marcellum hæreſeos argui videmus, qvod non ſolum ab Euſebio in libris contra Marcellum factum eſt, ſed etiam ab Hilario in libro ad Conſtantium, Baſilio M. in epiſtolis aliqvot aliisqve Scriptoribus, qvorum ſententias recenſet, & eruditis amplius dijudicandas relinqvit Petavius libr. 1. de Trinit. c. 13. Si Nicephoro fides adhibenda eſſet, dicendum foret, Marcellũ etiam ab Origene refutatum fuiſſe. Scribit enim lib. 10. cap. 36. Origenem adverſus Marcellum & Porphyrium ſcripſiſſe. Verum cum illa Nicephorus ſcriberet, dubio procul Euſebium in animo habuit, a qvo & Marcellum & Porphyrium ſcriptis impugnatum fuiſſe conſtat. Cum autem de Marcello hic prolixe agere inſtituti noſtri non ſit, conferantur præter alios Natalis Alexander diſſ. 29. ſecul. 4. Garnerius in diſſert. ad opera Marii Mercatoris T. II. p. 312. Montacutius in notis ad Euſebii libros contra Marcellum, Papebrochius in vita Athanaſii c. 19. p. 220. Cotelerius T. 3. monument. eccl. græcæ. p. 630. Pearſonius vindic. epiſtol. Ignat. p. 30. 31. Larroqvanus in obſervationibus ad Pearſonianas Ignatii vindicias pagina 162. & alii.

IV. Hoc igitur Præceptore usus Photinus, qvod Hieronymus in catalogo Script. eccleſ. aliiqve teſtantur, cum felici ingenio & inſigni eloqventia, qvam Sozomenus *l. 4. c. 6. hiſt. eccleſ.* & Epiphanius *hæreſ. 71.*

com-

commendant, polleret, facile obtinuit, ut sacro ministerio admoveretur. Et primum qvidem, ut ex Hilarii fragmentis constat, sub Marcello in Ancyrana ecclesia Diaconi munere functus est, postea vero Sirmiensi Episcopatui præfectus; qvod adeo notum est, ut vel calami festinantis lapsu vel typographi vitio contigisse putem, qvod noster Photinus a nonnemine Presbyter Smyrnensis appellatur. Sirmium autem ubi Photinus Episcopus fuit ab Anemio Photini post Germinium successore in actis concilii Aqvilejensis apud Ambros. T. II. pag. 790. Illyrici caput appellatur, qvod de occidentali Illyrico intelligendum est, vel, si etiam de orientali, dicendum erit, sedem Thessalonicensem nondum tum in metropolis dignitatem evectam fuisse, ut post Hermantium in vita Ambrosii Benedictini in notis ad Ambros. T. II. pag. 800. observarunt. Nec dubium, qvin pseudo-Hieronymus in hæresium indiculo Photinum Sirmii Episcopum dicere voluerit, etsi in codice, qvem Menardi editio expressit, Semiepiscopus appelletur.

V. Imprimis autem Photinum impia, qvam disseminavit, hæresis celebrem effecit, in eo potissimum sita, qvod Christi divinitate negata solam humanitatem agnovit, Christumqve in constitutione mundi nondum extitisse asseruit, sed ejus initium in Maria statuit. Qvem errorem Hilarius lib. 7. de Trinit. c. 3. his verbis perstringit: *pestifere natum Jesum Christum ex Maria Pannonia defendit*, qvæ verba non ita accipienda sunt, qvasi pestifer error fuerit, qvod Photinus Sirmii in Pannonia Episcopus Christum ex Maria natum docuerit, sed illud

tantum in Photino damnatur, qvod solam ex Maria nativitatem agnoverit.

VI. Et Marius qvidem Mercator p. 165. edit. Baluzianæ asserit, qvod Photinus Christum more communi conjugum ex Maria natum docuerit. Epiphanius autem hæres. 71. Photinum Christi initium in Virgine Maria statuisse dicit. Qvalitercunqve tamen conciliari illas sententias posse nonnulli dicunt, si statuatur, Epiphanium Mariam Virginem appellasse, ne debito honore eam privaret, etsi ipsi non ignotum fuerit, qvod Photinus Christum ex carnali congressu Mariæ cum Josepho natum censuerit. Verum huic conciliationi obstare videtur, qvod Photinus ex Epiphanii sententia Christum a Spiritu S. genitum docuit.

VII. Cum autem Photinus Christum merum hominem esse docuerit, passim apud antiqvos Scriptores cum Ebione comparatur. Hieronymus enim in catalogo Script. eccles. eum Ebionis hæresin instaurasse dicit. Nec aliam ob causam Hilarius l. 7. de Trinit. c. 3. Photinum Ebionem appellat. Qvod autem Petrejus in catalogo hæreticorum p. 174. Photinum Ebione pejorem fuisse dicit, cum Ebion Christum omnino fuisse negaverit, Photinus autem Christum ante incarnationem suam fuisse inficiatus fuerit, indignum fere est, qvod referatur. Pseudo-Hieronymus in indiculo hæresium p. 25. non solum Ebionem sed etiam Beryllum inter Photini majores numerat, cum & ille Christum ante incarnationem extitisse negaverit. Hunc enim Autor ille qvisqvis fuit Berylli errorem fuisse asserit, qvem postea Origenis disputatione convictus deposuerit. Qvæ dubio procul ex veri Hieronymi catalogo Script. eccles.

c. 60.

c. 60. deprompta sunt. Hieronymus autem suam de Beryllo narrationem ex Eusebio hausit, qvi libr. 6. hist. eccles. c. 33. Berylli errorem sic describit, qvod Christum ante suam inter homines conversationem in propriæ personæ differentia non subsitisse, nec propriam sed paternam tantum divinitatem in se residentem habere docuerit. Verum ad Photinum redeamus.

VIII. Eum nonnulli veterum etiam cum Artemone conferunt. Nam Autor Prædestinati a Sirmondo editus libr. 2. hæres. 44. perinde esse dicit, sive qvis Artemonitas, sive Paulianos, sive Photinianos audiat. Intelligit autem per Paulianos Pauli Samosateni asseclas, qvem cum itidem Christi veram divinitatem negaverit, cum Photino ab antiqvis Scriptoribus freqventer conjungi videas. Sane Philastrius cum in suo hæreticorum catalogo de Paulo Samosateno egisset, statim Photinum subjungit, qvem ejus doctrinam secutum in omnibus similiter prædicasse dicit. Epiphanius autem hæres. 71. Photinum non similia tantum, sed atrociora etiam qvam Samosatenum de Christo docuisse scribit. Unde Augustinus in libello de hæresibus c. 45. *Photinus*, inqvit, *ab Epiphanio non continuo post Paulum sed aliis interpositis ponitur, non tacetur sane similia credidisse, & secundum aliqvid tamen ei adversatus dicitur, sed qvid sit ipsum aliqvid omnino non dicitur.*

IX. Theodoretus lib. 2. de hæret. fab. c. ult. Photino Sabellii sensus tribuit. At Sulpitius Severus l. 2. c. 25. a Sabellio in unione Photinum dissensisse refert. Unde Vigilius Tapsensis in dialogo, qvem ab Athanasio, Ario, Sabellio, Photino & Probo Judice interlocutoribus habitum fingit pag. 122. Photinum ita loqventem introducit:

ducit: *impie Sabellius professus est, Deum Patrem per Virginem natum nescio qvod prætensionis vitium tantæ ingerens majestati, ut per id, qvod extensum est in Virgine ipse sibi Pater, ipseqve sit Filius, qvod nullus christianorum ei concesserit. Unde magis ego dico, Deum Patrem Filium habere Dominum Jesum Christum ex Maria Virgine initium sumentem, qui per sanctæ conversationis excellentissimum atqve inimitabile beatitudinis meritum a Deo Patre in Filium est adoptatus, & eximio divinitatis honore donatus. Cæterum Deus inviolabilis & immensus, nec ex se alium genuit, nec ipse unqvam genitus fuit, ut merito aut de se Filium habere, aut ipse sibi Filius esse credatur, sed est unicus & singularis, nec generando passioni obnoxius, nec se ipsum protendendo cumulatus, nec suam in Virgine portionem derivando divisioni subjectus.* Qvam Photini sententiam Probus judex in sententia sua qva hic dialogus clauditur, aliis verbis repetit & explodit. Neqve minus Hilarius l. 7. de Trinit. c. 7. Photinum tam ab Ario qvam a Sabellio dissensisse innuit, etsi apud eundem Hilarium in fragmentis Episcopi Italiæ in epistola ad Illyricanos Photinum partiaria Sabellii hæreditate damnari dicant. Verum de Photini cum Sabellio consensu, & qvantum ab eo dissenserit, in dissertatione de Sabelliana hæresi, Deo volente, plenius dicemus. Nunc illud tantum addimus, Ambrosium l. 5. comment. in Lucam scribere, qvod Christus in sanatione leprosi dixerit, volo propter Photinum, imperaverit propter Arium, & tetigerit ob Manichæum, & hunc Ambrosii locum a Benedictinis ita explicari, qvasi Ambrosius Photini errorem ex Sabellii doctrina obscure notaverit.

X. Apud Marium Mercatorem in dissertatione contra

contra 12. anathematiſmos Neſtorii ſemel legitur, qvod Photinus Verbum Dei non negaverit eſſe in ſubſtantia, & paulo poſt contrarium aſſeritur, nempe qvod Photinus verbum Dei in ſubſtantia eſſe negaverit. Unde Natalis Alexander ſecul. 4. part. 1. p. 222. exiſtimat, in priori loco negativam particulam eſſe expungendam, ubi etiam probat, falſam eſſe Johannis Garnerii ſententiam, qvi T. II. oper. Mercat. in diſſert. de hæreſ. & libr. Neſtorii aſſerit, qvod Photinus conſtanter in confeſſione ὁμουσίᾳ perſtiterit, eamqve ob cauſam ab Arianis vexatus & in Sirmienſi concilio depoſitus fuerit. Contra Baluzius etiam in poſteriori loco Marii Mercatoris negativam addidit, idemqve fecit Garnerius, cum in notis p. 313. verba illa allegans utroqve loco particulam negativam addidit, qvippe librariorum vitio particulam negativam poſteriori in loco omiſſam ſuſpicatus, ut pag. 315. indicat. Qvicqvid vero Marius Mercator de Photino ſcripſerit, probare tamen Garnerius non poterit, qvod Photinus ob confeſſionem conſubſtantialis Trinitatis in Sirmienſi concilio damnatus fuerit. Alias enim damnationis illius cauſas extitiſſe inferius ex actis concilii Sirmienſis audiemus. De cætero haud mirum eſt, veteres in recenſenda Photini de Chriſto doctrina non ubiqve inter ſe convenire, cum ipſe Photinus non ſemper conſtans in doctrina ſua fuerit. Interdum enim invitus & orthodoxorum argumentis coactus Verbum in Patre fuiſſe dixit, ſed ſtatim addidit, Verbum Dei Filium non fuiſſe.

XI. Palmarium autem iſtum Photini errorem, in eo ſitum, qvod Chriſtum ante ſuam incarnationẽ non extitiſſe, ſed in Maria initiũ ſuum habuiſſe docuit, præter lo-

ca Patrum superius allegata, multa alia confirmant. Nam Ambrosius, ut aliqva saltem adducam, in apologia 2. Davidis c. 4. Photinum, qvi Christum Davidis non Dei esse Filium dicit, voce cælesti damnatum tacere jubet, & libr. 1. de fide c. 1. ait: *neqve ut Photinus initium Filii ex Virgine disputemus.* Idem lib. 1. comment. in Lucam Photinum cum tinea comparat, qvia verba Johannis c. 1. Christi divinitatem asserentia mutilavit, non legens: *Verbum erat apud Deum & Deus erat Verbum;* sed: *Verbum erat apud Deum & Deus erat.* De eodem Photino Hilarius in libr. de synodis c. 85. refert, qvod ad tuendam suam de mera humanitate Christi sententiam verbis Pauli abusus fuerit dicentis, *unum esse Dei & hominum mediatorem hominem Jesum Christum,* 1. Tim. II. Vincentius Lirinensis in commonitorio p. 333. edit. Baluz. Photini sectam hanc esse dicit: *dicit Deum singulum esse, & solitarium, & more judaico confitendum, Trinitatis plenitudinem negat, neqve ullam Dei Verbi, aut ullam Spiritus S. putat esse personam, Christum vero hominem tantummodo solitarium asserit, cui principium adscribit ex Maria, & hoc omnimodis dogmatizat, solam nos personam Dei Patris, & solum Christum hominem colere debere.* Damasus in epistola ad Paulinum, qvæ in collectione Romana Holstenii part. 1. pag. 180. legitur, anathematizat Photinum, qvi Ebionis hæresin instaurans Dominum Jesum Christum tantum ex Maria confitetur. Lucifer Calarit. in tract. de non parcendis in Deum delinqventibus Photinum, qvem rectius Scotinum dici asserit, illis annumerat, qvi in creaturam credunt. Conferatur etiam Hieronymus in cap. 1. epist. ad Galatas, Augustinus epist. 112. ad Paulinum, Leo M. serm. 4. in Nativit. Do-

mini

mini c. 5. Sozomenus l. 5. c. 6. Socrates l. 2. c. 18. Nestorius in tractatibus & sermonibus, qvi apud Marium Mercatorem extant p. 73. 79. 82. 84. Fulgentius libr. 1. ad Thrasimundum c. 6. Nazianzen. orat. 11. contra Arianos & de seipso, Cyrillus Alex. de fid. qvi Photinum pro verbo hypostatico evanidum & fluxum, qvale ore profertur agnovisse docet, & plures alii.

XII. Ut autem æternã Christi nativitatem, sic & æternũ Christi regnum negavit Photinus, docens regnũ Christi ab ejus ex Maria nativitate initium habuisse, & post consummationem mundi finem habiturum, ut indicant Autores confessionis Antiochenæ, qvæ *μακρόστιχος* dicitur, apud Socratem l. 2. c. 19. Doctrinam autem illam a Præceptore suo Marcello Ancyrano hausit, cum qvo in illa confessione conjungitur. Nam etiam Marcellus æternum Christi regnum negavit. Unde etiam in concilio œcumenico 2. seu Cptano l. cujus canone 1. cum aliis hæreticis Marcelliani & Photiniani perstringuntur, imprimis ob Marcelli & Photini errorem de temporali Christi regno ad symbolum Nicænum verba illa addita sunt: *cujus regni non erit finis*, ut notat Beveregius in annot. ad can. 1. concilii Cptani modo allegati. Qvæ conjectura sane verisimilior est qvam illorum, qvi verba illa Chiliastis opposita affirmant. Notandum vero & hoc, qvod illa verba: *cujus regni non erit finis* non primum a Patribus concilii Cptani Symbolo fidei addita fuerint, cum ex Cyrilli catechesibus, qvas juxta Hieronymum adolescens composuit, & Epiphanii Ancorato, qvi anno 374. adeoqve septem annis ante Cptanum concilium scriptus est, manifestum sit, jam illa ætate

illa verba symbolis qvibusdam orientalis ecclesiæ addita fuisse.

XIII. Ut Filii sic etiam Spiritus S. divinitatem Photinus negavit. Unde Augustinus in epist. 50. ad Bonifacium scribit, qvod Photinianus omnino neget aliqvam esse Spiritus S. substantiam, sed unum tantum Deum esse Patrem doceat; Idem asserit serm. de verb. Evangel. Matth. 12. ubi ait, qvod Photiniani solum Patrem dicant esse Deum, Filium non nisi hominem, tertiam autem Personam Spiritum S. omnino esse negent. Et qvamvis Photinus juxta Autorem Prædestinati cap. 45. Spiritum S. semper fuisse memoraverit, dubio tamen procul sub nomine Spiritus S. non tertiam Divinitatis Personam, sed forte extensionem aliqvam extensionis intellexit. Nam Præceptor Photini Marcellus extensionem qvandam divinitatis, qvam Verbum appellavit, in Christum venisse, & tota œconomia jam peracta qvasi contractam ad Deitatem rediisse docuit. Spiritum autem Sanctum extensionem extensionis esse dixit, & hanc Apostolis datam fuisse, ut Theodoretus libr. 2. c. 10. de hæret. fabul. ejus sententiam expressit.

XIV. Vir Reverendus Paulus Stockmannus in elucidario hæresium inter errores, ob qvos Photinus in concilio Sirmiensi damnatus est, hos etiam ponit, qvod damnationem in annihilatione animæ consistere docuerit, & qvod asseruerit, non licere magistratui christiano judicia exercere nec christiano contra proximum illæsa pietate coram Magistratu agere. Verum hæc Socinianorum dogmata sunt, qvi cum hoc cum Photino commune habeant, qvod veram Christi deitatem

tem

tem negent, Neo-Photiniani freqventer appellantur, nec de aliis dubio procul Vir pl. Reverendus id intelle-ctum voluit. Qvod breviter monere placuit, ne qvis elucidarium illud legens Photinum ea docuisse, & propter hæc dogmata eum in concilio Sirmiensi damnatum fuisse sibi persvadeat.

XV. Hæresin autem suam Photinus pro hæreticorum more ea ratione propagavit, ut multis iisqve occultis cuniculis, juxta Hilarium de Synod. pag. 1177. in catholicam ecclesiam irrepere tentaret. Tanto autem facilius incautis errorum suorum venena propinare poterat, non solum qvod magno omnium favore in sacerdotium fuisset adscitus, illudqve aliqvandiu tanqvam catholicus administrasset, sed etiam, cum jam plebem Dei ad errores suos seqvendos persvadere cœpisset, ad tantum nefas, ut Vincentius Lirinensis in suo commonit. pag. 331. observavit, non mediocribus adminiculis uteretur. *Nam erat*, ut Vincentius pergit, *& ingenii viribus valens & doctrina opibus excellens & eloqvio præpotens, quippe qvi utroqve sermone copiose & graviter disputaret & scriberet.* Postea addit, qvod oves ipsi commissæ, etsi pastoris sui eloqventiam admirarentur, vigilantes tamen & cautæ pro catholica fide fuerint, & qvem antea qvasi arietem gregis seqvebantur, deinceps velut lupum fugere cœperint.

XVI. Cum autem ejus hæresis non amplius lateret, in pluribus conciliis damnata fuit, qva de re varia eruditorum monumenta extant. Cum enim Petavius in suis ad Epiphanium notis nonnulla de conciliis, in qvibus Photinus damnatus est, protulisset, Jacobus Sirmondus dissertationem de anno Synodi Sirmiensis

& fidei formulis in ea editis conscripsit, in qva nonnulla, qvæ a Petavio asserta fuerant, impugnavit. Hinc nata Petavii dissertatio de Photino ejusqve damnatione in 5. Synodis facta, & de duplici Sirmiensi contra illum Synodo, & formulis in posteriori editis. Neqve tamen hac dissertatione Sirmondum ad suam sententiam adducere potuit, qvin potius diatriben secundam de hoc argumento scriberet, ac in ea Petavianam dissertationem ad examen revocaret. Et Petavii qvidem dissertatio ejusdem rationario temporum adjuncta fuit, cum illud A. 1636. tertia vice typis imprimeretur. Eandem Petavii dissertationem, eo qvod nova qvædam & vulgo haud satis comperta historiæ ecclesiasticæ capita tradere videretur, Tomo II. conciliorum inseri voluit Labbeus, post qvem etiam Steph. Baluzius inter opuscula posthuma Petri de Marca hanc Petavii dissertationem una cum duabus Sirmondi diatribis, qvæ hactenus nondum editæ fuerant, vulgavit. Neqve enim ipse Sirmondus has diatribas Petavio oppositas publici juris fecit, ex qvo Valesius in notis ad Socrat. l. 2. c. 29. suspicatur, qvod Sirmondus sententiæ suæ falsitatem tandem agnoverit, cum alias libellos suos suppressurus non fuisset. Baluzius autem has Sirmondi dissertationes una cum Petaviana opusculis Petri de Marca subjicere voluit, ut eo melius intelligi posset Petri de Marca dissertatio de Synodo Sirmiensi, qvæ inter posthuma hæc ejus opuscula qvintum locum obtinet, & A. 1651. occasione controversiæ inter Petavium & Sirmondum agitatæ elaborata ab ipso fuit. Neqve hic tacendus Matthæus Larroqvanus, cujus dissertatio de Photino hæretico & multiplici ejus damnatione Genevæ 1670. prodiit.

XVII.

XVII. Nullus autem horum, qvos produximus Scriptorum, Photinum in Synodo Nicæna damnatum asseruit, etsi Prateolus in narratione conciliorum pag. 247. & Anselmus Havelbergensis lib. 3. dialogorum adversus Græcos a Dacherio Tom. XIII. spicilegii editorum pag. 222. Photinum in concilio Nicæno damnatum dicant, pro qva sententia etiam adduci possent excerpta gestorum Synodalium S. Sylvestri, qvæ præfixa sunt actis concilii Romani II. sub Sylvestro habiti, cum & ibi Photinus cum Sabellio & Ario in Nicæno concilio damnatus dicatur, nisi Romanum illud concilium haud immerito a Schelstrateno antiqvit. illustr. p. 486. suppositionis argueretur.

XVIII. Sane temporum ratio eos fugit, qvi in Nicæno concilio Photinum damnatum asserunt, cum Photini hæresis illius concilii tempore nondum innotuerit. Eqvidem Danæus in notis ad Augustinum de hæresibus Photinianam hæresin sub hoc nomine etiam ante Nicænam Synodum cognitam fuisse statuit, cum Photinianorum in Synodo Nicæna mentio facta fuerit, idqve ex Rufini historia pateat. Neqve negari potest, Rufinum canones concilii Nicæni recensentem scribere, qvod inter canones Nicænos ille etiam fuerit, ut *Paulianistæ, qvi sunt Photiniani, rebaptizentur.* Verum ista Paulinianistarum per Photinianos explicatio Rufini additamentum est, nec Nicæni concilii Patres autores agnoscit, ut aliæ Nicænorum canonum editiones clare ostendunt.

XIX. Fallitur igitur Danæus, cum Photinianorum hæresin ante Nicænam Synodum cognitam asserit. Neqve magis fidem meretur autor præfationis arabicæ ad

ad concilium Nicænum, qvi inter hæreticos ante concilium Nicænum exortos septimo loco Photinianos collocat, qvos mirum in modum describit. Dicit enim, qvod Photiniani tres divinas personas compositas, & ex compositione in unum coeuntes statuant, & horum qvidam sint Messeliani sive orantes, qvidam vero Sajemani sive jejunantes. Addit qvod hospites comiter excipiant atqve tractent, & die noctuqve lacrymis & fletui dediti sint, cum Christus in evangelio lugentes beatos prædicaverit.

XX. Misso igitur Nicæno concilio ad concilium Cptanum A. C. 336. habitum progredimur, in qvo Photinum damnatum fuisse conjectura fuit Petavii etiam a Chiffletio in notis ad Vigilium Tapsensem p. 121. approbata. Occasionem huic conjecturæ dedit Severus Sulpitius. Is enim libr. 2. cap. 50. res sub Constantini M. imperio gestas memorans affirmat, Arianos Athanasium aggressos absentem condemnasse, & ad crimina, qvæ falsi testes congesserant, aggregasse, qvod Marcellum atqve Photinum sacerdotes hæreticos Synodi judicio condemnatos pravo studio recepisset. Verum etsi Petavius conjecturam suam Sulpitii Severi præsidio firmare conatus fuerit, Larroqvano tamen eam persvadere non potuit, qvippe qvi Severum qvamvis popularem suum & conterraneum erroris arguere minime veretur, neqve dubitat, Severum in illa verborum congerie multa diversis temporibus gesta confudisse. Suspicatur insuper forte Severum, nisi eum memoria fefellerit, ab Arianis deceptum fuisse in vulgus spargentibus, qvod Athanasius ob communionem cum Marcello & Photino hæreticis adeoqve legitime condemnatus

tus fuerit, siqvidem ipsa Nicæna Synodus can. 5. excommunicatos ab aliis recipi vetuit.

XXI. Omnino autem Larroqvani sententia probabilior est qvam Petavii conjectura. Nemo enim veterum, qvi crimina Athanasio objecta prolixe referunt, inter qvos & ipse Athanasius, communionis cum Photino ipsum insimulatum fuisse prodidit. Et qvamvis Marcellum in Cptana Synodo damnatum constet, de Photino tamen id nemo veterum affirmavit, ut etiam a Sirmondo in diatriba 2. c. 1. observatum est. Imo Marcello jam abdicato Photini hæresin demum emersisse Socrates testatur. Fatendum tamen est Larroqvanum, dum argumenta adversus Petavium cumulat, non semper accurate argumentari. Nam pag. 36. ita concludit: Athanasius post Cptanam Synodum communionis cum Photino insimulatus fuit, ergo Photinus in Cptana Synodo damnari non potuit, cujus conseqventiæ rationem nullam plane video. Cæterum cum Severus in loco supra allegato Arianos Athanasium Alexandriæ Episcopum Jurisconsultum condemnasse dicat, Larroqvanus locum hunc emendat, & pro Juris consulto inconsultum reponit, etsi alii in illa voce nihil mutandum censuerint, sed inde conclusérint, Athanasium non Theologiæ solum, sed Jurisprudentiæ qvoqve peritum fuisse, qvæ Baronii est sententia, vel saltem canonum & juris ecclesiastici insignem scientiam habuisse, ceu vocem illam interpretatus est Papebrochius in vita Athanasii c. 2.

XXII. Qvinto post concilium Cptanum anno seu A. C. 341. Antiochiæ Synodus celebrata fuit. Et circa hæc tempora Photini hæresin primum innotuisse Lar-

roqvanus statuit , Socratis autoritate nixus, qvi lib. 2. c. 18. expressis verbis asserit, qvod illo tempore Sirmii a Photino civitatis illius Episcopo nova hæresis excitata fuerit. Hæresin autem illam in alio concilio Antiocheno, qvod juxta Baronium & Larroqvanum A. C. 344. sed juxta Valesium in notis ad Socratem & Antonium Pagi A. C. 345. celebratum fuit, damnatam fuisse, patet ex prolixa fidei formula, qvæ in illo concilio conflata est, qvippe qvæ Marcellum & Photinum nominatim perstringit, qvod Christi divinitatem & æternum ejus regnum negaverint, ut testatur Socrates lib. 2. c. 19. & Athanasius de Synod. Arimin. & Seleuc. p. 691. edit. Commelin. qvorum uterqve μακρόστιχον illam fidei formulam exhibet.

XXIII. Post Antiochenam Synodum denuo in Sardicensi, qvæ A. C. 347. contigit, Photinum damnatum fuisse autor est Epiphanius hæres. 71. ubi, ut obiter hoc notemus, Photinum Constantini M. temporibus Zizania sua sparsisse dicit. Verum rectius in qvibusdam exemplaribus Constantii nomen legi Larroqvanus monuit, qvi præterea addit, Constantium nonnunqvam apud veteres Constantinum appellari. Damnationem autem Photini in Sardicensi concilio factam præter Epiphanium commemorat etiam Severus Sulpitius lib. 2. c. 57. qvi tamen hic iterum tempora confundit, qvando Sardicensem Synodum a Constantino M. indictam asserit, cum tamen Constantinus jam An. 337. adeoqve decimo ante Sardicensem Synodum anno diem suum obierit.

XXIV. Non diffitendum tamen, qvod etiam a Baronio ad A. C. 347. n. 164. observatum est, esse nonnul-

nullos, qvi Photinum in Sardicensi concilio damnatum negant, & Sardicensem Synodum ab Epiphanio & Sulpitio Severo cum Sirmiensi confusam asserunt. Et qvamvis Baronius ad A. C. 357. n. 8. huic sententiæ subscribere recuset, probavit tamen illam Sirmondus in diatriba 2. & Larroqvanus non dissimulat, qvod ipse qvoqve olim in illa sententia fuerit, qvam in hac dissertatione eam imprimis ob causam mutavit, qvod minus probabile videatur, Epiphanium & Severum in historia rei ab illorum ætate non multum remotæ errasse. Verum valde vereor, ne priores Larroqvani cogitationes posterioribus sapientiores fuerint. Nam Photini damnati in actis concilii Sardicensis nulla mentio occurrit, & Basilii Ancyrani cum Photino disputationem, qvam Epiphanius in Sardicensi concilio factam memorat, alii Scriptores ad concilium Sirmiense retulerunt, ut taceam ipsum Larroqvanum fateri, qvod Sulpitius Severus Photini res minus accurate pertractaverit.

XXV. Post Sardic. Synodum, si modo in Sardic. Synodo damnatus est, Photinum Patres concilii Mediolan. condemnarunt, ut ex Hilarii fragmentis constat. Et Petavius qvidem Synodum hanc Mediolanensem statim post Sardicense concilium currente adhuc anno 347. habitum fuisse statuit, notatqve in hoc concilio Arianam qvoqve hæresin præsentibus Romanæ ecclesiæ legatis proscriptam, Ursacium & Valentem venia rogata in gratiam receptos, Demophilum autem, Eudoxium, Macedonium, & Martyrium Arii perfidiam damnare nolentes concilio iratos exiisse. Probat, qvod de Ursacio & Valente dixerat, ex Synodica epistola con-

cilii Ariminensis a catholicis Episcopis scripta, qvæ apud Athanasium de Synod. Arim. & Seleuc. Socratem l. 2. c. 37. Theodoretum l. 2. c. 19. nec non in Tripartita libr. 5. c. 21. & in Hilarii fragmentis legitur, etsi apud Hilarium nonnulla omissa sint, & Constantino præsente ista gesta dicantur, qvod cum veritati minus congruat, nonnulli colligunt, Hilarium Constantem pro Constantino dicere voluisse. Benedictini autem in novissima Hilarii editione, cui imprimis Petrum Coutant insudasse accepimus, in illo Hilarii loco verba Constantino præsente non ad antecedentia referunt, qvæ de Synodo Mediolanensi agunt, sed ad seqventia, qvasi Patres Ariminensis concilii Constantio, ad qvem epistola directa est, inculcare voluerint, Parentem ejus Constantinum M. Nicæni tractatus testem & approbatorem fuisse. Porro qvod Petavius de qvatuor Episcopis Arianis retulit, confirmat ex epistola Liberii ad Constantium, qvam in calce operum Luciferi Calaritani & in Hilarii fragmentis invenire licet.

XXVI. Larroqvanus concilium illud Mediolanense A. C. 348. habitum fuisse contendit, & Baronium confutat, qvi A. 350. Mediolanense hoc concilium convenisse statuit, & Romani Pontificis autoritati velificaturus asserit, qvod Synodus Mediolanensis Valentem & Ursacium Arianis qvondam partibus addictos & nunc facti pœnitentes absolvere ausa non fuerit, sed eos ad Julium Pontificem Romanum miserit, unde Cardinalis ulterius infert, qvod ex antiqva ecclesiæ consvetudine hæreticos palinodiam cantaturos Romam ire & pœnitentiæ libellum Romano Pontifici offerre oportuerit.

XXVII. Sirmondus vero concilium hoc Mediolanense, qvaliter a Petavio descriptum diximus, mirificum esse dicit. Neqve enim se ullam causam videre posse inqvit, si Photinus juxta Petavium jam in Sardicensi concilio damnatus fuerit, cur eodem anno Episcopi caholici nova Synodo fatigati fuerint, ut actum agerent. Qvamvis igitur Hilarius in fragmentis Photinum in concilio Mediolanensi damnatum dicat, Sirmondus tamen Hilarii verba non de concilio qvodam Catholicorum Mediolanensi, sed de Mediolanensi Arianorum conciliabulo, qvod anno 355. congregatum est, interpretari maluit. Verum Hilarius in illo loco, qvem Petavius allegavit, de Mediolanensi Arianorum conciliabulo minime locutus est. Synodus enim, de qva Hilarius loqvitur, facta est, ut seqventia verba indicant, anteqvam Valens Mursæ in superiori Pannonia, & Ursacius Singiduni in superiori Mœsia Episcopus, qvi haud postremi Arianæ factionis signiferi hactenus fuerant, Julii Episcopi gratiam ambirent. Id vero ante annum 355. contigisse Sirmondus ipse negare non potest. Qvamobrem ut suam sententiam tueri possit, dicere cogitur, qvod Hilarius istam Ursacii & Valentis deprecationem extra debitum temporis ordinem retulerit. At non opus erit Hilarium parachronismi arguere, si Photinum non solum in Mediolanensi Arianorum conciliabulo An. 355. sed etiam in Mediolanensi Catholicorum concilio A. C. 347. damnatum dicamus.

XXVIII. Neqve mirum videri cuiqvam debet, qvod paucis post Sardicense concilium mensibus alia Synodus Mediolani contra Photinum coacta fuerit. Cum enim in Sardicensi concilio Orientales Occidenta-

libus relictis Philippopolin unius montis intersitio a Sardica separatam discessissent, & seorsim concilio habito literas suas sub Sardicensis nomine ad omnes ecclesias misissent, non incongruum fuit, ecclesias occidentales adversus novas orientalium insidias indicto novo concilio muniri, ut alias causas taceam adductas a Petro de Marca in dissert. de Syn. Sirm. th. 17. qvas inter gravissimam dicit Photini damnationem. Sane Sirmondus Photinum in Sardicensi concilio damnatum negat, ideoqve dicere non potest, qvod Patres Mediolanensis concilii Photinum damnantes actum egerint, nullamve Photini damnandi causam habuerint.

XXIX. Cum autem Sirmondus Mediolanense hoc orthodoxorum concilium plane e medio sublatum velit, cætera qvoqve ejus acta rescindere conatur. Incredibile enim esse dicit, qvod Ursacius & Valens ab orthodoxis in Sardicensi concilio dejecti eodem anno Mediolanum convolaverint, & ibi in catholicæ ecclesiæ communionem animis utrinqve tam subito mutatis recepti fuerint. Qvæ receptio si facta fuisset, nullam dari causam posse dicit, cur post biennium a Julio recepti fuerint, ideoqve qvæ in Ariminensis concilii epistola de hoc negotio referuntur, per errorem irrepsisse suspicatur. Verum suspicionis illius nulla causa est. Valentem enim & Ursacium cum jam executioni mandandum cernerent, qvod de ipsorum exautoratione in concilio Sardicensi decretum fuerat, animum subito mutasse incredibile non est, & cum in Mediolanensi concilio, qvantum ex ipsorum libello conjicere possumus, ea cum conditione recepti fuerint, ut cum Athanasio in gratiam redirent, eaqve conditio post bienni-

um demum impleta fuerit, mirari non debemus, qvod eorum receptio in Mediolanensi concilio facta post biennium Romæ vel confirmata vel consummata fuerit, qva de re Petri de Marca dissertatio th. II. & seqv. videatur.

XXX. Qvantum deniqve ad qvatuor Episcopos attinet, qvos Liberius in epistola ad Constantium concilio Mediolanensi iratis animis egressos memorat, Sirmondus statuit, factum illud post concilium Sardicense in Mediolanensi, qvam Petavius asseruit, Synodo nullatenus contingere potuisse. Cum enim inter Episcopos, qvi in Sardicensi concilio a catholicis secesserant, fuerint Demophilus a Beroe, Macedonius a Mopsvestia, & Eudoxius a Germanicia, ut e subscriptionibus Synodicæ epistolæ ab Arianis compositæ manifestum est, nemo temere credet, hos ipsos Episcopos statim post Sardicense concilium una cum Martyrio Mediolanum profectos, ut ibi Catholicorum concilio interessent. Longe igitur verisimilius Sirmondo videtur, qvatuor illos Episcopos iracundiam suam a Liberio memoratam Mediolani qvidem sed ante concilium Sardicense nempe A. 346. nec tam in freqventi Episcoporum concilio, qvam in fortuito qvorundam Episcoporum conventu exeruisse. Confirmant hanc sententiam Socrates lib. 2. c. 19. & Athanasius de Synod. Referunt enim, qvod Orientales prolixam illam fidei confessionem, qvam in Synodo Antiochena A. C. 345. compositam supra diximus per legatos suos Eudoxium Macedonium & Martyrium in Italiam miserint. Unde non incommode dici potest, qvod tres illi legati, qvibus etsi invito Larroqvano ex Liberii epistola Demo-

phi-

philum adjungere licebit, anno post confessionem proximo 346. in Italiam venerint, eoqve tempore Mediolani Episcopos aliqvos præsentes invenerint, illorumqve conventu, cum oblatam confessionem repudiarent, iratis animis egressi fuerint.

XXXI. Sane hæc ratio Henricum Valesium movit, ut concilium Mediolanense, qvo Photinum damnatum Petavius statuit, non cum Petavio ad annum 347. sed ad annum 346. referendum existimaret. Petrus autem de Marca & hunc secutus Antonius Pagi duas orthodoxorum Synodos circa concilii Sardicensis tempora Mediolani habitas arbitrantur, unam de qva Liberius loqvitur ante concilium Sardicense A. C. 346. alteram, in qva Photinus damnatus ac Valens & Ursacius receptus est post Sardicense concilium A. C. 347. Qvæ sententia mihi non improbabilis videtur, magisqve placet qvam Baronii, qvi gesta illa Mediolanensia partim ad A. C. 344. partim ad A. C. 350. retulit.

XXXII. Biennio post Mediolanense concilium, qvod A. C. 347. habitum diximus, Sacerdotes ex pluribus provinciis ad tollendum ex episcopatu Photinum congregatos fuisse, Hilarius in fragmentis tradit. Ubi autem illud concilium habitum fuerit, si qværamus, respondet Petrus de Marca, & qvi ejus sententiæ astipulantur, Baluzius in nova collect. concil. pag. 27. & Antonius Pagi in critica Baroniana ad A. C. 349. Romæ hoc concilium habitum fuisse. Cum enim Hilarius dixisset, biennio post Mediolanense concilium Sacerdotes ad Photinum ab episcopatu tollendum convenisse, statim subjicit, qvod *hanc oportunitatem nacti Ursacius & Valens Romanæ plebis Episcopum adierint.* Deinde Hilarius,

us, cum Ursacii & Valentis epistolam ad Julium retulisset, addit, *hanc epistolam missam esse post biennium, qvam hæresis Photini a Romanis damnata est.*

XXIII. Sirmondus concilium, qvod biennio post Mediolanensem Synodum Photini exautorandi gratia convenit, Sirmii coactum arbitratur. Nam Hilarius cum hujus adversus Photinum congregati concilii meminisset, post aliqva interjecta dicit: *inter hæc Sirmium convenitur, Photinus hæreticus comprehensus olim reus pronunciatus & a communione jampridem unitatis abscissus, nec tunc qvidem per factionem populi potuit amoveri.* Cum autem Sirmondus Hilarii verba in Mediolanensi concilio Photinum damnatum asserentis de Arianorum concilio, qvod A. 355. habitum fuit, interpretatus fuerit, inde colligit, alterum, de qvo Hilarius loqvitur, concilium Sirmii A. 357. habitum fuisse. Verum cum prior Sirmondi sententia falsa sit, ut supra diximus, etiam posterior vera esse non potest.

XXXIV. Petavius ergo, etsi ipse qvoqve per concilium, qvod biennio post Mediolanensem Synodum congregatum Hilarius indicat, Sirmiensem aliqvam Synodum intelligat, eam tamen non A. 357. sed 349. habitam statuit. Et hæc sententia non modo Sirmondi sed etiam Petri de Marca sententiæ præferenda videtur. Nam cum Hilarius dicit, Ursacii & Valentis libellum missum fuisse post biennium, qvam hæresis Photini a Romanis damnata fuisset, non respicit ad Synodum aliqvam Romanam, sed ad Mediolanensem, cui, ut ipse Marca agnoscit, non solum Italicæ diœcesis, cujus caput est Mediolanum, sed etiam Illyricanæ in qva fuit Photinus, & Urbicariæ seu Romanæ diœceseos E-

Episcopi cum legatis Romani Episcopi interfuerunt. Nec opus est, ut eam ob causam Romæ coactam Synodum dicamus, qvia Valens & Ursacius illo tempore Romanæ plebis Episcopum adierunt. Nam etiam Sirmiense concilium occasionem Romani Episcopi adeundi illis dare potuit. Qvamobrem Romana illa Synodus, qvam Petrus de Marca A. 349. biennio post Mediolanensem anni 347. habitam statuit, ex Hilario firmiter probari non potest; rectiusqve statuitur, concilium, in qvo Photinus A. C. 349. damnatus est, Sirmii habitum fuisse.

XXXV. Novam sententiam de Synodo, qvam Hilarius biennio post Mediolanense concilium habitam asserit, profert Petrus Courant in notis ad Hilarium nuper editis. Statuit enim per istam Synodum neqve Romanam intelligi, neqve Sirmiensem, sed aliam Mediolanensem. Nam in epistola concilii Ariminensis, qvæ in fragmentis Hilarii legitur, hæc verba occurrunt: *ideo Ursacius & Valens in suspicionem ejusdem hæreseos Arianæ venerunt aliqvando, & suspensi erant a communione, & rogaverunt veniam, sicut eorum continent scripta, qvam meruerant tunc temporis a concilio Mediolanensi assistentibus etiam legatis Romanæ ecclesiæ.* Qvamvis enim ista verba pleriqve ita explicent, ac si Hilarius de concilio Mediolanensi anni 347. locutus fuisset, sententiam tamen illam consistere non posse existimat, cum Ursacium & Valentem non ante annum 349. veniam impetrasse constet. Unde etiam verba Ursacii & Valentis in epistola ad Julium Episcopum Romanum cum dicunt, se libellum apud Mediolanum porrexisse, & in eo Arium anathematizasse, de Mediolanensi concilio, qvod A.

349.

349. celebratum est, intelligit. Confirmat suam sententiam ex Socrate, qvi lib. 2. c. 24. scribit, Valentem & Ursacium permagno erga Arii dogma amore exarsisse, donec Athanasium a concilio Hierosolymitano anni 349. sedi suæ & ecclesiasticæ communioni restitutum resciverunt, ad qvod tempus etiam Athanasius apol. 2. pag. 775. eorum pœnitentiam assignavit. Respondet deinde ad nonnulla argumenta, qvæ Petrus de Marca & Steph. Baluzius pro Synodo sua Romana attulerunt, & inter alia observat in verbis Hilarii dicentis, Ursacii & Valentis epistolam ad Julium datam esse *post biennium qvam heresis Photini a Romanis damnata est*, per Romanos non intelligi concilium aliqvod Romanum, sed Mediolanense, non qvidem illud, qvod præsentibus Romanæ ecclesiæ legatis A. 349. celebratum fuit, sed qvod jam A. 347. habitum fuerat. Nam biennio post illud concilium seu A. 349. Ursacius & Valens libellum suum Julio obtulerunt, cum jam eodem anno in altero concilio Mediolanensi veniam postulassent & impetrassent. Etsi autem non constet, etiam concilio Mediolanensi anni 347. Romanæ ecclesiæ legatos affuisse, observat tamen inusitatum non esse, ut per Romanos Latini sive Occidentales Orientalibus oppositi intelligantur. Unde absonum ipsi non videtur, qvod Hilarius Episcopos Occidentales in Mediolanensi concilio congregatos Romanos appellaverit.

XXXVI. Biennio igitur post concilium Mediolanense A. 347. habitum seu A. 349. Episcopi juxta Constantium denuo Mediolani adtollendum ab episcopatu Photinum convenerunt. Concedit tamen eodem A. 349. etiam Sirmii contra Photinum concilium habitum

fuisse, cum Hilarius dicat: *inter hac Sirmium convenitur, Photinus hareticus comprehensus &c.* Cum enim Photinus assistentibus ecclesiæ Romanæ legatis Mediolanensis concilii judicio depositus fuisset, statim depositionis sententia ex Mediolanensi concilio ad Orientales missa fuit, & ab his Sirmii convenientibus confirmata, etsi tum Photinus ob populi factionem loco nondum moveri potuerit. Refert autem Hilarius, qvod in hoc concilio Sirmiensi non solum Photinus, sed simul cum Photino etiam Marcellus ejus Magister damnatus fuerit, qvod ab hominibus Athanasio infensis callido consilio factum est, ut Sardicensis concilii, in qvo Marcellus non minus ac Athanasius absolutus fuerat, decreta rescinderentur. Si enim Marcellus Photini Magister injuste in Sardicensi concilio absolutus agnosceretur, eadem de Athanasio cogitari poterant. Qvam Arianorum fraudem Sulpitius Severus libr. 2. c. 52. his verbis describit: *nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem conspirant penitus Sardicensis concilii decreta subvertere. Etenim in eis color qvidam suppetere videbatur, qvod tam injuste fuisset pro Athanasio judicatum, qvam Marcellus fuerat absolutus, qvi nunc etiam Athanasii judicio reus esse probaretur.* Qvæ de Sirmiensi hoc concilio intelligenda esse, collatio Sulpitii cum Hilario ostendit. Et hanc Sirmiensem Synodum Larroqvanus A. 350. habitam existimat. Etsi enim in eo cum Petavio conveniat, qvod biennio post Mediolanensem Synodum concilium aliqvod Sirmiense habitum agnoscat, Mediolanensem tamen illam Synodum non ut Petavius A. 347. sed A. 348. coactam statuit, unde necesse est, ut etiam in tempore prioris Synodi Sirmiensis a Petavio dissentiat, illiqve non annum 349. sed 350. adsignet.

XXXVII.

XXXVII. Hanc autem Sirmiensem Synodum post biennium alia excepit A. C. 351. ab Orientalibus imprimis Episcopis coacta, in qva Photinus post disputationem cum Basilio Ancyrano sede sua dejectus est. Et de hoc Sirmiensi concilio e nostratibus prolixe egit Dorscheus in collatione ad concilium Sirmiense, in qva post plurima veterum & recentiorum Pontificiorum & Lutheranorum de concilio Sirmiensi testimonia confessiones concilii Sirmiensis exhibet, deinde in tempus, causas & alias hujus concilii circumstantias inqvirit, & tandem canones hujus concilii & eorum veritatem expendit.

XXXVIII. Indixit hoc concilium Imperator Constantius, qvem ob curam rerum ecclesiasticarum ab Osio Cordubensi Episcopo reprehensum fuisse mendacium est larvati Ernesti ab Eusebiis refutatum a Dorscheo in prodromo anticriseos theolog. pag. 66. Tempus hujus concilii notarunt Socrates l. 2. cap. 29. & Sozomenus l. 4. c. 6. cum proximo post consulatum Sergii & Nigriniani anno hoc concilium habitum referunt. Annus autem post consulatum Sergii & Nigriniani proximus non fuit annus 356. ut Magdeburgenses existimarunt, sed annus 351. Locus concilii fuit Sirmium Illyrici occidentalis metropolis, ubi sæpe Constantium versatum ex Ammiano Marcellino probat Dorscheus p. 117. unde Baronii argumentum concidit, qvi A. 357. hoc concilium celebratum inde probare voluit, qvod anno illo Constantius ibi consederit.

XXXIX. Inter Episcopos, qvi Sirmiensi concilio interfuerunt, fuit Basilius Ancyranus, qvi etsi ab Epiphanio aliisqve Semiarianorum sectæ annumeretur,

tur, eamqve ob causam Osiander epitom. histor. eccles. centur. 4. disputationem Basilii Ancyrani cum Photino in Synodo Sirmiensi ejusmodi actionem fuisse dicat, qvasi cum Calviniani contra Anabaptistas & Schwenckfeldianos de baptismo & S. Cœna disputant, sacramentorum vim atqve efficaciam perinde infringentes, ab Athanasio tamen in tractatu de Synodis pag. 916. edit. Paris. illis annumeratur, qvi vocem qvidem homousii eam ob causam, qvod olim ab orthodoxis Patribus Paulum Samosatenum damnantibus repudiata fuerat, improbarunt, rem ipsam tamen minime improbarunt, nec pro hæreticis sed pro fratribus agniti fuerunt. Et qvamvis hic Basilius in concilio Sardicensi illis se adjunxerit, qvi Philippopolin secesserunt, Dorscheus tamen Basilium ab orthodoxis non tam ob fidei dissensum discessisse existimat, qvam qvod Marcelli restitutionem ab orthodoxis factam ferre non posset. Eandem rationem esse dicit Marci Arethusii. Nam & ille se in Sardicensi concilio ab orthodoxis separavit, neqve tamen eam ob causam Arianismi insimulari debet. Erant enim illo tempore haud pauci, qvi etsi circa vocabulum homousii nec non in Athanasii & qvorundam aliorum Episcoporum causa ab orthodoxis discreparent, Arianorum tamen blasphemias minime probabant.

XL. Et hunc ipsum Marcum Arethusium, cujus martyrium sub Juliani imperio Gregorius Nazianzenus in orat. 47. descripsit, confessionis in Sirmiensi concilio editæ autorem fuisse refert Socrates libr. 2. cap. 30. Sciendum autem est, qvod Petavius *in dissert. de Photino c. 2. not. ad Epiphan. pag. 306. & dogm. Theolog. L. 1. c. 3. de Trinit.* jampridem monuit, ex tribus fidei confessionibus,

qvæ

qvæ Sirmienses appellantur, primam tantum in Sirmiensi hoc concilio editam fuisse. Nam secunda & tertia, qvamvis etiam Sirmii compositæ fuerint, alio tamen tempore, nec tam in solenni concilio, qvam fortuitis Episcoporum qvorundam conventiculis concinnatæ sunt. Et tertia qvidem, qvæ in concilio Ariminensi ab Ursacio & Valente publicata est A. 359. paulo ante concilium Ariminense, secunda autem qvæ ab Hilario Osii & Potamii blasphemia appellatur, scripta est A. 357. & ab Osio qvidem Cordubensi & Liberio Episcopo Romano Arianorum persecutione tandem fractis & a constantia sua dejectis subscripta, sed a Basilio Ancyrano, qvi Sirmiensi concilio interfuerat, ejusqve sociis in concilio Ancyrano, cujus Epiphanius hæres. 73. meminit, A. 358. rejecta, & contrariis definitionibus a Vigilio Tapsensi l. 5. contra Eutychen commendatis & ab Hilario de Synod, pag. 222. recensitis confutata. Unde isto tempore qvasi Petro negante & reliqvis discipulis fuga dilapsis latronem & centurionem gentilem Christi nomen confessos fuisse, miratur cum Baronio Spondanus ad A. C. 357. n. 6.

XLI. Una igitur tantum fidei confessio in concilio Sirmiensi A. C. 351. promulgata fuit, qvæ etsi duriusculas qvasdam phrases contineat, & vocem homousii omittat, ab Hilario tamen Pictaviensi ut orthodoxa commendatur. Unde Dorscheus hanc fidei confessionem non sufficientem qvidem sed veram tamen asserit sect. 3. c. 4. Confirmat orthodoxiam hujus concilii & confessionis in illo conscriptæ ex eo, qvod Philastrius de hæresibus cap. 65. Photinum a sanctis Episcopis in concilio Sirmiensi superatum dicit, & qvod Vigilius

l. 5.

l. 5. contra Eutychen p. 59. Sirmiense hoc concilium catholicum appellat. Cum autem negari haud possit, multos veterum hanc Synodum ejusqve fidem pro hæretica videri habuisse, Dorscheus notat, qvosdam ad conventicula Sirmiensia, in qvibus secundam & tertiam confessionem editam diximus, respexisse, ut Phœbadium, Gregorium Bæticum, Marium Victorinum, Basilium M. Gregorium Nazianzenum, Ambrosium, Sulpitium Severum, & Rufinum: alios de concilio Sirmiensi & conventiculis post Sirmiense concilium A. 357. & 359. habitis confuse agere, ut Socratem, Sozomenum, Cassiodorum in tripartita, & Nicephorum: Athanasium vero omissionem τ̃ ὁμοουσίω tantum in hac confessione desiderare, & qvamvis videatur hanc confessionem ecclesiæ adversariis tribuere, potius tamen de suis adversariis locutum, qvi non omnes adversarii ecclesiæ fuere. Verum omnino alia Athanasii de Sirmiensi confessione qvam Hilarii sententia fuisse videtur, neqve commode probari poterit, Athanasium de suis tantum adversariis locutum, eosqve pro ecclesiæ adversariis non habuisse. Et qvamvis duriusculæ phrases, qvæ in hac confessione occurrant, commoda interpretatione emolliri possint, ideoqve nonnulli Patres eam confessionem pro orthodoxa agnoverint, non adspernenda tamen eorum sententia videtur, qvi plerosqve hujus concilii Episcopos Semiarianos fuisse, eorumqve studio hanc fidei formulam ambigue & subdole conditam arbitrantur.

XLII. Legitur illa fidei formula græce apud Athanasium de Synod. & Socratem l. 2. cap. 30. latine autem apud Hilarium de Synod. & Cassiodorum in tripart.

part. lib. 5. cap. 7. Ac primo qvidem formulæ illius Autores, qvid de Patre, Filio & Spiritu S. crediderint, exponunt, postea vero huic confessioni anathematismos qvosdam subjiciunt, qvibus in codice aliqvo MSC. ut Benedictini ex Ludovico Miræo observant, hic titulus præfigitur: *definitiones catholicarum propositionum contra Photinum hæreticum & contra omnes opiniones infidelitatis hæreticæ.* Etsi vero anathematismi illi non soli Photino sed aliis qvoqve hæreticis oppositi sint, dubium tamen non est, plures ex illis anathematismis Photino oppositos fuisse, cum Hilarius hanc fidei confessionem ab Orientalibus contra Photinum scriptam asserat. Sane anathematismos 13. 14. 15. & 16. Photino oppositos fuisse, Hilarius illos explicans expresse asserit. Unde constat, Photinum, ut Christum ante Mariam extitisse negare posset, verba Dei *faciamus hominem* ita explicasse, qvasi non Pater ad Filium, sed ad semetipsum locutus fuerit, neqve concessisse, qvod Filius Abrahamo visus aut cum Jacobo luctatus fuerit, sed Deo Patri illas visiones tribuisse & verba: *pluit Dominus a Domino* non de Filio & Patre intellexisse, sed asseruisse, qvod Deus Pater a seipso pluerit. Neqve dubium est, ultimum qvoqve anathematismum Photino oppositum fuisse. Sic enim ille habet: *si quis Christum Deum, Filium Dei ante secula subsistentem & ministrantem Patri ad omnium perfectionem non dicat, sed ex quo de Maria natus est, ex eo & Christum & Filium nominatum esse & initium accepisse, ut sit Deus, anathema sit.* Unde Hilarius cum hunc anathematismum recensuisset, statim subjicit: *concludi damnatio ejus heresis propter quam conventum erat, expositione totius fidei, cui adversabatur, oportuit, quæ initium Filii Dei ex partu Virginis*

nis mentiebatur. Qvibus verbis Photinum perstringi nemo non videt.

XLIII. Non solum autem Photini errores in concilio Sirmiensi damnati, sed ipse qvoqve Photinus ab episcopatu depositus fuit, qvod in priori Synodo Sirmiensi ob populi factionem fieri non potuerat. Et Episcopi qvidem se Photino episcopatum reddituros promiserunt, si errores suos damnare & ad saniorem mentem redire vellet. Verum ille oblatam conditionem adspernatus eos ad disputationem provocavit. Constituto igitur die Episcopi & non pauci Senatorii ordinis, qvos Imperator disputationi interesse præceperat, convenerunt, coram qvibus Basilius Ancyranus cum Photino in certamen descendit Notariis eorum verba excipientibus. Et maxima qvidem verborum atqve rationum contentione utrinqve certatum, Photinus tamen victus & condemnatus est, ut Socrates l. 2. ad finem capitis 30. & Sozomenus l. 4. ad finem c. 6. testatur. Cujus disputationis etiam Epiphanius hæres. 71. meminit, qvi & nonnulla ex ista disputatione profert, actaqve collationis illius a Notariis excepta ad Imperatorem missa, aliud autem actorum illorum exemplar penes Synodum, & tertium penes Comites mansisse memorat. Idem refert, cum Photinus Constantium Imperatorem adiisset, iniqve se depositum conqvestus fuisset, causæqve suæ judices postulasset, ab Imperatore Thalassium, Datianum, Cerealium, Taurum, Marcellinum, Evanthium, Olympium, & Leontium missos fuisse, qvibus præsentibus Photinus cum Basilio Ancyrano disputaret. In eo tamen Epiphanius fallitur, qvod illam Photini cum Basilio Ancyrano disputationem in

Sar-

Sardicensi concilio gestam putaverit, cum in Sirmiensi facta fuerit.

XLIV. Nova Photini damnatio facta est A.C. 355. in concilio Arianorũ Mediolanensi, ut liqvet ex epistola Synodica ad Eusebium Vercellensem *T. II. concil. Labb. pag. 773.* Plura autem ad historiam illius concilii pertinentia, qvod obiter notamus, ex vita Eusebii Vercellensis ab antiqvo aliqvo Scriptore consignata edidit Ferdin. Ughellus Tom. IV. Italiæ sacræ & Baluzius in nova collectione conciliorum pag. 29. Qvod vero etiam Hilarius in fragmentis ad hoc concilium respexerit, cum ait: *igitur ad tollendum ex episcopatu Photinum qui ante biennium jam in Mediolanensi Synodo erat hæreticus damnatus, ex pluribus provinciis congregantur Sacerdotes &c.* Sirmondus sibi perperam persvasit, ut jam supra observatum fuit.

XLV. In concilio Romano qvod sub Damasi pontificatu habitum est, damnatum fuisse Photinum colligi potest ex epistola, qvæ circa illud tempus ad Paulinum a Damaso scripta est. Nam in illa epistola cum aliis qvibusdam hæreticis etiam Photinus anathemate percutitur: Extat autem illa apud Theodoretum lib. 5. cap. 11. hist. eccles. & latine in collectione Romana Holstenii part. 1. Et hujus concilii mentionem facit autor libelli Synodici a Pappo editi. Refert enim Gratiano imperante Damasum Romæ concilium adversus Arianos Pneumatomachos aliosqve hæreticos coegisse, & decreta Synodi Thessalonicam ad Paulinum misisse. Atqve hinc apparet, perperam nonnullos sibi persvasisse, qvod Paulinus ad qvem Damasus hanc epistolam misit, Thessalonicæ in Macedonia Episcopus fuerit. Etsi enim

id a Theodoreto assertum putaverint, certum tamen est eos verba Theodoreti minus accurate inspexisse. Dicit enim Theodoretus, qvod Damasus epistolam suam miserit ad Paulinum *ἐν τῇ μακεδονίᾳ, ὃς ἐγένετο ἐν θεσσαλονίκῃ*, qvæ verba non ita accipienda sunt, qvasi hic Paulinus Thessalonicæ Episcopus fuerit, sed qvod Paulinus Antiochiæ Episcopus tum temporis Thessalonicæ in Macedonia fuerit, cum Damasus suam epistolam ad eum direxit.

XLVI. De concilio Cplitano I. inter oecumenica secundo, qvod canone 1. Photinianorum hæresin non minus qvam Eunomianorum & aliorum hæreticorum baptismum damnavit, de concilio Arelatensi II. qvod c. 16. Photinianos seu Paulianistas baptizandos decernit, aliisqve conciliis, qvæ Photinianam hæresin autore jam mortuo damnarunt, nihil addimus. Laodicenæ tamen Synodi non possumus qvin mentionem faciamus, cum ea adhuc vivente Photino habita fuerit, etsi incertum sit, qvo anno habita fuerit, qva de re Beveregius in annotationibus ad Synodicon suum pag. 193. videatur. Decernit autem illa Synodus, ut Photiniani si ad ecclesiam convertantur, non prius admittantur, qvam omnem hæresin & imprimis eam in qva hactenus versati ejuraverint. Totus canon ex versione Dionysii Exigui ita se habet: *de his qvi ab hæreticis convertuntur i. e. Novatianis aut Photinianis aut Tessaradecatitis, sive baptizati sint illi, sive catechumeni, non ante suscipiantur, qvam omnes hæreses anathematizent, & præcipue illam qva detinebantur. Et tum demum hi, qvi apud illos dicebantur fideles, nostrum doceantur fidei symbolum, & uncti sancto chrismate sic mysteriis communicent sacrosanctis.*

Eqvi-

Eqvidem qvi Laodicenum concilium Nicæno antiqvius statuunt suspicantur, Photinianorum nomen hoc canone expungendum esse, cum eos ante Nicænum concilium non extitisse constet. Cui sententiæ favet Isidorus Mercator, qvippe qvi in versione hujus canonis nullam Photinianorum mentionem fecit. Verum Isidoro non solum Dionysius Exiguus, sed etiam græcorum codicum consensus opponi potest. Qvod autem septimus canon Laodicenus cum Arelatensis II. concilii canone 16. non conveniat, haud mirum videtur Gundlingio in prolegomenis ad canones concilii Laodiceni, qvod Patres Laodiceni Photinianorum baptismum pro rato habuerint, qvem postea Patres concilii Arelatensis II. Photini hæresi penitius perspecta pro irrito agnoverunt. Dici etiam possit, qvod Patres concilii Arelatensis II. per Photinianos nullos alios hæreticos qvam Paulianistas seu Samosatenianos intellexerint, cum aliqva inter hæreses illas cognatio fuerit, & Paulianistarum baptismum, qvi jam in Nicæno concilio improbatus fuerat, merito improbaverint, aliter tamen de baptismo Photinianorum, qvi baptismi formulam integram retinuerunt, statuerint, cum in seqventi canone 16. Bonosiacos, qvos ab eodem errore Photinianorum venire dicunt, citra baptismi iterationem admittendos docuerint.

XLVII. Cæterum Photinus hæresin suam non ore solum sed calamo etiam propagavit, qvamvis & alia scripserit. Et Hieronymus qvidem *de Scriptor. eccles. c. 107.* præcipua inter ejus scripta esse dicit libros qvos contra gentes, & ad Valentinianum scripsit. Scite autem eum & græce & latine locutum esse ex ejus operibus

probat Vincentius Lirinensis. Scripsit enim Photinus libros suos partim græce partim latine, cum utriusqve lingvæ peritus fuerit, & ne in exilio qvidem libros scribere cessavit, ut Socrates lib. 2. c. 30. testatur, ubi addit, eum contra omnes hæreses scripsisse & suum tantum dogma proposuisse. Neqve hic tacendus Photini tractatus de symbolo apostolico, cujus Rufinus in expositione symboli his verbis meminit: *comperi nonnullos illustrium tractatorum aliqva de his pie & breviter edidisse, Photinum vero hæreticum scio eatenus conscripsisse, non ut rationem dictorum audientibus explanaret, sed ut simpliciter ac fideliter dicta ad argumentum sui dogmatis traheret.*

XLVIII. At nec defuerunt, qvi contra Photinum calamum strinxerunt. Fuit inter illos Diodorus Tarsensis, qvi Theodoreto *lib. 2. de hæret. fabul. c. 11.* referente qvatuor libris adversus Photinum scriptis ostendit, Christum Deum ante secula in ultimis diebus hominem factum esse, hominumqve salutem procurasse. Non minus Photini hæresin confutavit Audentius Episcopus Hispanus, de qvo Gennadius cap. 14. libelli sui de viris illustr. refert, qvod *scripserit adversus Manichæos & Sabellianos, maximeqve intentione speciali contra Photinianos, qvi nunc Bonosiaci vocantur, librum qvem prætitulavit de fide adversus omnes hæreticos, in qvo ostendit, antiqvitatem Filii Dei coæternalem Patri fuisse, nec initium Deitatis tunc a Deo Patre accepisse; cum a beata Maria Virgine homo Deo fabricante conceptus & natus est.* His, ut alios taceamus, adjungi potest autor qvæstionum V. & N. Test. qvi Photini argumenta subtiliter refellit, & Photinum tanqvam adhuc viventem alloqvitur, unde qvid de Scriptoris illius ætate judicari debeat colligendum relinqvit

Gar-

Garnerius ad opera Marii Mercatoris Tom. I. pag. 162. ubi de Autore illarum qvæstionum prolixe disserit.

XLIX. In exilium pulsus fuit Photinus post disputationem cum Basilio Ancyrano in Sirmiensi concilio factam, ut Socrates l. 2. cap. 30. testatur. Cum autem Synodus illa Sirmiensis sub Constantii imperio facta fuerit, mirari qvis possit, cur Hieronymus in catalogo Script. eccles. dicat, Photinum a Valentiniano ecclesia sua pulsum, nisi cum Hermantio in notis ad vitam Athanasii suspicemur, qvod forte Photinus sub Juliani imperio, qvi etiam Donatistas ab exilio revocavit, revocatus & postea a Valentiniano iterum expulsus ecclesia fuerit. Qvod si Photinus a Valentiniano non solum ecclesia sua expulsus, sed etiam iterum in exilium missus est, dicendum est, qvod Photinus etiam ab hoc exilio in Galatiam reversus fuerit, siqvidem Hieronymus in chronico ad A. C. 377. Photinum in Galatia mortuum his verbis memorat: *Photinus in Galatia moritur, a qvo Photinianorum dogma inductum.* In Pontaci editione additur: *qvi multa continentia & ingenii bonum novo superbiæ malo perdidit,* qvæ verba a Scaligero omissa deprehendo.

L. Non solum autem Constantium & Valentinianum sed alios qvoqve Imperatores minus sibi faventes Photinus habuit. Etsi enim Gratianus legem daret, qva omnibus hæreticis, ut in ecclesiis suis convenirent, permittebat, Photinianos tamen cum Eunomianis & Manichæis ab hac libertate excipiebat, ut Socrates l. 5. c. 2. & Sozomenus l. 7. c. 1. scriptum reliqverunt, etsi postea Gratianus pristinas leges, qvæ omnibus

bus hæreticis conventuum libertatem adimebant, instauraverit, qva de re Godofredus ad legem 5. cod. Theodos. de hæreticis videri potest, cui non inviti concedimus, Ambrosio id instigante factū. Sane in epistola concilii Aqvilejensis ad Imperatores Gratianum, Valentin. & Theodosium, qvæ inter Ambrosianas legitur, & dubio procul concilii Aqvilejensis nomine ab Ambrosio scripta est, Imperatores instigantur, ne Photinianis in urbe Sirmiensi conventus permittant. Verba integra sic habent: *Photinianos qvoqve, qvos & superiori lege censuistis nullos facere debere conventus, & eam qvæ de sacerdotum concilio data est congregatio, removistis; petimus, ut qvoniam in Syrmiensi oppido adhuc conventus tentare cognovimus, clementia vestra, interdicta etiam nunc coitione; reverentiam primum ecclesiæ catholicæ, deinde etiam legibus vestris deferri jubeatis; ut & vos, Deo præsule, triumphetis, qui paci ecclesiarum qvietiq. consulitis.*

LI. Anno 381. Theodosius M. legem tulit, qva Photinianæ labis contaminatio non minus ac Ariani sacrilegii venenum ac Eunomianæ perfidiæ crimen, & nefanda monstruosis autorum nominibus sectarum prodigia aboleri, interqve hæreticos ab omnibus ecclesiarum liminibus arceri jubet. Nec minus Theodosius junior A. C. 418. Photinianis perinde ac pluribus aliis hæreticis in Romano solo conveniendi orandiqve licentiam ac facultatem denegavit. Et Senioris qvidem Theodosii lex in codicis Theodosiani titulo de hæreticis sextum, Junioris autem Theodosii lex qvintum & sexagesimum locum occupat.

LII. Photinianos sua ætate Bonosiacos dictos Gennadius in catalogo Script. eccles. asserit, cum de Audentio

tio Photinianorum adversario agit. Nam Bonosus non minus ac Photinus Ebionis vestigia pressit, ut Marius Mercator in refutatione 12. anathematismorum Nestorii T. II. operum pag. 128. testatur. Verum de Bonoso & Bonosiacis alibi plura dicemus. Nunc illud qvoqve ex Mario Mercatore observamus, qvod Romana ecclesia Photinum aliosqve illius hæreseos participes Homuncionitas appellaverit, ad qvem locum Garnerius pag. 131. observat, etiam apud Augustinum in fragmentis Tom. X. eos appellari Homuncionitas, qvi non noverunt Christum nisi hominem, de qva voce in dissert. de hæresiarch. ævi apostolici sect. 1. cap. 5. thes. 4. plura diximus. Injuriam autem dubio procul Fulgentio Ruspensi fecit, qvisqvis ejus nomen sub Photiniani erroris nota lacessere voluit, qva de re ipse in prologo librorum ad Monimum qveritur. Alienum enim ab hoc errore Fulgentium fuisse, testatur ejus liber de fide orthodoxa ad Donatum seu epistola 8. nec non liber 1. ad Trasimundum, cujus c. 6. *ignorat*, inqvit, *Photinus magnum pietatis qvod Apostolus memorat sacramentum, qvi Christi ex Virgine fatetur exordium ignorans in uno Christo sic esse credendam veritatem carnis ex tempore, ut neganda non sit naturalis veritas sempiternæ divinitatis ex Patre. Et propterea non credit sine initio substantialiter Deum natum ex Deo Patre, in qvo carnis veritatem confitetur ex Virgine non intelligens, de Patre Deo substantialiter natum illud Verbum, qvod in plenitudine temporum caro factum.* Qvem Photini errorem postea ex principio evangelii Johannis solide refutat. Verum hæc de Photino sufficiant, qvem Prudentius in Psychom. inter lupos ovina pelle indutos numerat, cum canit:

latet lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ovem sub vellere molli
Cruda per agninos exercens funera rictus,
Hac sese occultant Photinus & Arrius arte
Immanes feritate lupi.

DISSERTATIO VII.

De

Aramo Scriptore ecclesiastico anti-Pelagiano obscurissimo pariter & celeberrimo, qvem Theodorus Antiochenus unus è præcipuis Pelagianæ hæreseos autoribus & defensoribus confutare conatus est.

I.

NOn pauci nostro hoc seculo historiæ Pelagianæ Scriptores extiterunt. Anno enim 1617. commentariorũ de Pelagianis & Semipelagianis libros duos Hardervici edidit Johannes Latius, qvi hæreticorum illorum historiam usqve ad Papæ Johannis IV. tempora ex veterum monumentis ita collegit, ut ipse nihil fere præter ordinem addiderit. Seqventi statim anno 1618. lucem publicam adspexit Gerhardi Johannis Vossii, qvem Cardinalis Bona

in notitia Autorum præliminari ſuo de divina pſalmodia tractatui præmiſſa virum omni doctrinarum genere & eruditione mirabiliter excultum agnoſcit, hiſtoria Pelagiana non ſine magno literatorum applauſu paſſim excepta. Sane apud Gallos nemo eam legit, qvi eam non aliis commendaret teſte Grotio epiſtola 107. qvi etiam epiſt. 221. refert, Jacobum Sirmondum æqvum eruditorum æſtimatorem omnibus prædicaſſe, qvod nulla controverſia hoc ſeculo majori judicio magisqve ex vero tractata fuerit. Verum qvantum famæ Voſſii ex Pelagiana illa hiſtoria accrevit, tantum ea ejus fortunæ & rei familiari nocuit, ut ex epiſtola Voſſii 97. & 140. ac ex epiſtola Berchemii ad Voſſium colligi poteſt. Nihilo tamen minus ſecundis curis Voſſius illam auxit, unde altera editio nata, qvam poſt ejus mortem filius Iſaacus Amſteld. 1655. imprimi curavit, & Samueli Bocharto dedicavit. In qvo opere etſi egregio Colomeſius bibliothecæ ſuæ ſelectæ pag. 94. tres Autoris lapſus emendari cupit, qvibus plures adjungi poſſe non dubitabit, qvisqvis illud accuratius perluſtraverit.

II. Anteqvam autem prima Voſſii editio prodiret, Latii tractatum ſupra memoratum continuare decreverat Jacobus Uſſerius, qvod conſilium mutavit, cum pleraqve qvæ collegerat jam a Voſſio notata deprehendiſſet. Poſtea tamen, cum hiſtoriam Gotteſcalci ederet, qvod A. 1631. factum eſt, capite ejus primo hiſtoriam Pelagianiſmi ab An. 630. ubi Latius deſierat, usqve ad finem octavi ſeculi breviter deduxit, qvin etiam An. 1639. operi ſuo de Britannicæ eccleſiæ antiqvitatibus prolixam ſatis de ortu & primis progreſſibus hæreſeos Pelagianæ hiſtoriam inſeruit, qvæ a fine capitis

8. incipiens per aliqvot seqventia capita se diffundit.

III. Anno proxime seqventi 1640. Lovanii prodiit Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus, cujus tomus I. in octo libros divisus de hæresi Pelagiana agit, secundus autem & tertius Augustini doctrinam de humanæ naturæ sanitate, ægritudine, & medicina adversus Pelagianos & Massilienses exponit. De qvo Jansenii opere qvanta certamina nata fuerint, ut hic recenseamus, instituti nostri ratio non permittit. Illud potius addimus multa qvoqve ad Pelagianam hæresin spectantia suppeditare Claudium Menardum in notis ad Augustini tractatum postremum contra Julianum, Gerberonium sub Rigberii nomine latentem in notis ad acta Marii Mercatoris, Christianum Lupum in antiqvis ecclesiæ & reipublicæ contra Pelagianam hæresin decretis breviter elucidatis, Petavium in tractatu de Pelagianis & Semipelagianis qvi T. III. dogmatum theologicorum insertus est, & alios.

IV. Imprimis vero hujus hæreseos historiam diligenter excussit insigne Italiæ literatæ decus Henricus de Noris Vaticanæ bibliothecæ nunc præfectus, cujus historia Pelagiana Patavii 1673. lucem publicam adspexit, & Johannes Garnerius Jesuita Gallus, qvi eodem anno opera Marii Mercatoris in duos tomos distributa cum notis suis & dissertationibus vulgavit & T. I. de hæresi Pelagiana multa egregie observavit. Qvas Garnerii lucubrationes cum Norisius perlegisset, ea qvidem qvæ de inscriptione duarum epistolarum synodalium inter Augustini epistolas occurrentium a Garnerio notata sunt, multis erroribus scatere animadvertit,

ideo-

ideoqve ſeqventi anno notarum iſtarum cenſuram edidit, ſanctè tamen in eadem cenſura teſtatus eſt, ſi Garnerii de hæreſi pelagiana commentarius ſuam hiſtoriam pelagianam patavinis typis eodem tempore impreſſam prævenîſſet, ſe ſuam hiſtoriam pelagianam editurum non fuiſſe, cum multa, qvæ ipſe de eadem hæreſi ſe primitus publicaturum putaverit, Garnerius tam feliciter aſſecutus fuerit, ut ipſe plagii ſuſpicione cariturus non fuiſſet, ſi poſt Garnerium eadem repetere voluiſſet.

V. Inter alia uterqve obſervavit, ad pelagianam hiſtoriam ſpectare Theodori Antiocheni libros Aramo oppoſitos; qvorum memoriam photio debemus. Is enim in bibliotheca ſua codice 177. recenſet Theodori Antiocheni libros 5. πρὸς τοὺς λέγοντας φύσει καὶ οὐ γνώμῃ πταίειν τοὺς ἀνθρώπους ſeu *contra eos qvi homines natura non voluntate peccare aſſerunt*, in qvibus contra Aram qvendam diſputavit, qvi in occidente natus poſtea in oriente verſatus eſt, libroſqve de nova ſua hæreſi a ſe compoſitos ad populares ſuos in patriam transmiſit, qvintum evangeliũ confinxit, illudqve ſe in Euſebii palæſtini bibliotheca reperiſſe gloriatus eſt, rejecta præterea veteris teſtamenti verſione, qvam 70. Interpretes ediderunt, repudiatiſqve Symmachi & Aqvilæ & aliorum interpretationibus propriam qvandam novamqve verſionem conficere auſus eſt, cum neqve Hebraicæ linguæ a puero aſſveviſſet, neqve mentem Scripturæ didiciſſet, ſed Hebræis tantum qvibusdam abjectæ ſortis in diſciplinam ſe tradidiſſet. His enim coloribus antagoniſtam ſuum Theodorus ille Antiochenus delineavit.

 VI.

VI. Qvis Aram ille fuerit, ipsi Photio, etsi huic soli nominis hujus notitiam debeamus, obscurum fuit. Nescire enim se fatetur, num Aram ille vere illo nomine insignitus, an tantum a Theodoro ita cognominatus fuerit? Interim non dubitat hunc Aram hæreticum fuisse, laudatqve Theodorum, qvod impia ejus dogmata confutaverit, etsi etiam a Theodoro in illa confutatione nonnulla contra orthodoxiam asserta non dissimulet. Cum vero ipsi Photio obscurum fuerit, qvis ille Aram fuerit, qvem in opere isto Theodorus impugnavit, qvid mirum recentiores qvosdam nihil aliud, qvod de Aramo dicerent, habuisse, qvam qvod ex Photio hausissent, e qvorum numero celeberrimus antiqvitatum ecclesiæ Scriptor seculi 4. part. 1. pag. 27. *Ara*, inqvit, *qvidam fuit tempore Theodori Mopsuesteni, qvi scripsit libros, in qvibus asserebat, homines peccare natura non voluntate, refutatus a dicto Theodoro.* Et iterum p. 823. *Photius cod. 177. refert de qvodam Ara dicto, qvod novum evangelium & novam versionem adornarit.* Postea Photii verba subjungit, & addit, a Photio qvidem non exprimi, cujus idiomatis versio illa fuerit, qvam ab Ara compositam Theodorus retulit, attamen circumstantias indicare, qvod græca fuerit.

VII. Verum hunc Scriptorem etsi sub Arami nomine plerisqve obscurus fuerit, celeberrimum tamen fuisse constabit, si, qvem sub isto nomine Theodorus perstrinxit, cognoverimus. Qvod eo felicius investigare poterimus, si prius, qvis ille Theodorus fuerit, consideremus. Nimirum ille Theodorus Johannis Chrysostomi qvondam sub Libanio & postea sub Carterio & Diodoro Tarsensi condiscipulus, ac tandem

dem ex Presbytero Antiocheno Mopſveſtiæ in ſecunda Cilicia Epiſcopus exeunte qvarto & ineunte qvinto ſeculo floruit, & usqve ad A. 427. in magna olim fama & celebritate verſatus vivis interfuit, tantoqve ſtudio contra hæreticos certavit, ut Autor appendicis ad Iſidorum de Scriptor. eccleſ. c. 4. ex communi fama, qvæ tamen ipſi pœne incredibilis videtur, referat, eum adverſus omnium hæreticorum errores mille voluminum ſummam edidiſſe. Qvi numerus ſi huic Autori incredibilis viſus eſt, qvid dicturus fuiſſet, ſi Johannis Antiocheni epiſtolas ad Proclum & Cyrillum, qvarum fragmenta Facundus Hermianenſis l. 2. cap. 2 & l. 8. cap. 4. ſervavit, legiſſet? Nam in illis decem millia librorum huic Theodoro tribuuntur.

VIII. Aliqva ex iſtis Theodori ſcriptis recenſet in catalogo ſuo Ebed Jeſu, ubi inter alia memorat Tomos 5. contra allegoricos, ad qvos libros reſpicere videtur Liberatus in breviario cap. 24. cum Theodorum multa opuſcula contra Origenem edidiſſe, ideoqve eum ab Origeniſtis exoſum & accuſabilem habitum fuiſſe ſcribit. Nam Theodorus allegoricis explicationibus Scripturæ non indulgebat ut Origenes, ſed potius literali ſenſui adeo addictus erat, ut juxta Garnerium in notis ad Liberati breviarium hac fortaſſe de cauſa canticum canticorum profanius, qvam ut veteres ferre potuerint, interpretatus fuerit.

IX. Pauca autem ex plurimis Theodori ſcriptis tantum rudera ſuperſunt, inter qvæ, ut cætera taceamus, ejus ſymbolum occurrit, qvod græce & latine inter acta concilii Epheſini extat. Latine illud etiam reddidit Marius Mercator, unde inter ejus opera a Rigbe-

rio,

rio, Garnerio & Baluzio edita legitur. Et in Garneriana qvidem editione præfatio Marii Mercatoris ad ſymbolum Theodori T. I. pag. 95. ſed ipſum ſymbolum Theodori latine ex Mercatoris verſione pag. 284. item græce & latine una cum præfatione Mercatoris, qvi & confutationem hujus ſymboli addidit, T. II. pag. 250. & ſeqventibus comparet. Idem Garnerius, cum Juliani libellum fidei in cauſa Pelagiana ad ſedem Apoſtolicam miſſum Pariſiis 1668. cum notis ſuis ederet, ſymbolum qvoqve Theodori pag. 237. ex verſione Mercatoris adjunxit, ubi inter alia notat, qvod, etſi Facundus Hermianenſis in defenſione trium capitulorum concilii Chalcedonenſis l. 3. cap. 2. hoc ſymbolum Theodoro abjudicare conatus fuerit, contrarium tamen a duobus conciliis Epheſino & Cplitano II. & a Mario Mercatore aſſertum fuerit. Plures Autores, qvi hujus ſymboli meminerunt, nempe Cyrillum Alexandrinum in epiſtola ad Johannem Antiochenum & Orientis Synodum, Vigilium in conſtitut. Juſtinianum Imperatorem in libro pro Acephalis, Leontium libr. 3. contra Neſtorianos & alios memorat Garnerius T. II. operum Marii Mercatoris pag. 255. qvi etiam pag. 256. Calecam, Bellarminum & Petavium refutat, qvi ſymbolum hoc Neſtorio non Theodoro tribuendum cenſuerunt.

X. Et tanto qvidem Zelo hunc Theodorum adverſus hæreticos flagraſſe Ibas Edeſſenus in epiſtola ad Marin Perſam prodidit, ut eos non ſolũ verbis ſed verberibus etiam impugnare & colaphis cædere ſolitus fuerit. Verum etſi hic Theodorus juxta Theodoretum l. 5. hiſt. eccleſ. cap. 40. contra Arianos, Apollinariſtas aliosqve hæreticos ſtrenue certaverit, ipſe tamen qvoqve ab hæreſi

resi immunis non fuit. Unde Gregorius M. Sozomeni historiam ecclesiasticam ob nimias Theodori Mopsve- steni laudes ab apostolica sede non recipi asserit l. 6. epi- stol. 31. qvo loco Gregorius M. nisi librariorum error ille est, memoria lapsus deprehenditur, & pro Sozo- meno non Socrates, ut Hoffmanno Tom. II. lexici sui p. 377. visum, sed Theodoretus reponi debet, cum ne- qve apud Sozomenum neqve apud Socratem; sed apud Theodoretum laudes illæ Theodori Mopsvesteni, qvas ferre Gregorius non potuit, inveniantur.

XI. Errores autem Theodori qvantum attinet, non solum processionem Spiritus S. a Filio negavit, qvo in dogmate præceptorem suum secutus est Theodore- tus, qvem Calecas & Bellarminus a Garnerio in aucta- rio operum Theodoreti pag. 458. refutati primum illius erroris autorem faciunt, sed etiam Nestorianis & Pela- gianis prævit, sive venenum hoc ex Pauli Samosateni reliqviis, qvibus Antiochiam infecerat, hauserit, sive præceptorem suum Diodorum Tarsensem errantem secutus fuerit. Sane Nestorianos in Diodoro Tarsensi multum præsidii invenisse, ex eo colligi potest, qvod cum Nestorii scripta imperiali edicto damnata & pro- hibita fuissent, Diodori Tarsensis & Theodori Mopsve- steni libros in Syrorum, Armenorum & Persarum lin- gvam transferri curaverint, ut Liberatus cap. 10. bre- viarii sui retulit. Num vero & Pelagianismum Theo- doro Diodorus propinaverit, nunc non disputabi- mus.

XII. Illud constat, Theodorum Mopsvestenum inter primos & præcipuos Pelagianæ hæreseos autores merito numerari, qvod jam olim animadvertit ejus con-

temporaneus Marius Mercator in commonitorio adversus hæresin Pelagii & Cœlestii, ad qvem locum Rigberius seu potius Gerberonius notavit, qvod Theodorus docuerit, Christum contra passiones certamen habuisse, indeqve collegerit, non ex originis vitio passionum certamen esse, & aliorum hominum naturam non magis qvam protoplastarum peccato esse corruptam. Porro notat idem Gerberonius, qvod Theodorus dona gratiæ in Christum ex meritis prævisis collata statuerit, indeqve ejus discipuli collegerint, omnes homines eo usqve adscendere posse, qvo Christus per omnia nobiscum naturalis evectus fuit, idqve ex dicto Ibæ probat asserentis, se Christo non invidere, qvod Deus factus fuerit, cum & ipse, si velit, fieri possit. Cujusmodi dictum non Ibæ sed ipsi Theodoro Mopsvesteno tribuit Mercator, si Garnerianæ editionis fidem seqvamur, qvippe in qva Theodoro hujusmodi dictum tribuitur: *non invideo Christo, qvod factus est Deus, qvantum enim ipse factus est, ipse factus sum, qvia est mea natura.* Verum in codice Mercatoris Vaticano verba ista non Theodoro sed Ibæ tribuuntur, unde Baluzius in sua Mercatoris editione pag. 351. huic dicto talem titulum præfixit: *blasphemia Ibæ Edessenorum Episcopi,* idqve veritati magis congruit. Nam in concilio Chalcedonensi act. 10. Ibas accusatus fuit, qvasi dixerit: non invideo Christo Deo facto, in qvantum enim ipse factus est, & ego factus sum; etsi Ibas negaverit hoc a se dictum, nec sine magna animi commotione protestatus fuerit, se decies millies secari malle, qvam verba illa vel dicere vel cogitare, & Clerus qvoqve E-

desse-

dessenus hujusmodi dictum ab Iba nunqvam prolatum affirmaverit.

XIII. Sed qvid opus est aliunde argumenta arcessere, ut probemus Theodorum cum Pelagio conspirasse? Illi ipsi libri, qvibus Aramum perstrinxit, id abunde testari poterunt. In illis enim referente & simul improbante Photio inter alia docuit, Adamum mortalem a Deo conditum & moriturum fuisse, etsi non peccasset. Deinde Theodorus in illis libris Aramum ejusqve asseclas redarguit, qvod homines per naturam a lapsu corruptam peccare docuerint, qvod infantes a peccato non immunes esse statuerint, eamqve sententiam ex Psal. 51. probaverint, qvod infantibus sacramenta in remissionem peccatorum dari arbitrati fuerint, neminemqve mortalium justum esse censuerint. Hæc autem ipsissima orthodoxorum ecclesiæ Patrum dogmata fuerunt, non hæreticorum qvorundam, ut Theodorus Photio persvasit, qvi forte nunqvam in hanc sententiam inductus fuisset, nisi Theodorus in illis libris etiam erronea qvædam & impia dogmata reliqvorum Pelagianorum more per calumniam orthodoxis Doctoribus impegisset, affingens illis, qvasi conjugium, qvo humanum genus propagatur, ad perversa naturæ opera retulerint, & ne ipsum qvidem Christum sceleris purum esse docuerint.

XIV. Qvando igitur Theodorus contra illos scripsit, qvi asseruerunt, homines natura non voluntate peccare, non Manichæos aliosqve hæreticos, sed catholicos peccati originalis assertores impugnavit, in qvorum numero dubio procul etiam fuit, qvem Aram nominavit, seu potius cognominavit. Et videri qvidem posset, Augustinum sub illo nomine intelligi

debere, qvia Marius Mercator nonnulla ex illis libris excerpsit, & excerpta illa deprompta esse dicit ex Theodori libris contra S. Augustinum defendentem originale peccatum ac Adamum per transgressionem mortalem factum catholice differentem. Verum etsi negare nolim, libros illos Theodori ex parte etiam Augustino oppositos fuisse, certum tamen est, Theodorum illo opere imprimis Hieronymum confutare voluisse. Omnes enim characteres, qvibus adversarium suum Aramum delineat, tanta claritate in Hieronymo conveniunt, ut ante Norisium histor. Pelag. l. 1. cap. 9. & Garnerium T. I. oper. Marii Mercat. p. 101. a nemine id observatum mirari satis non possim.

XV. Dicit enim Theodorus Aramum in occidente natum, posteaqve in oriente versatum libros de nova sua hæresi, qvo nomine doctrinam Pelagianis oppositam Mopsvestiæ Episcopus perstringit, ad populares suos misisse. Id vero optime Hieronymo convenit in Dalmatia nato & in Palæstina maxime commorato, qvi dialogos adversus Pelagium latino sermone compositos divulgavit. Porro Theodorus de Aramo dicit, qvod qvintum evangelium finxerit, idqve in Eusebii bibliotheca se reperisse gloriatus fuerit. His autem verbis Hieronymum peti non dubitabit, qvisqvis noverit Hieronymum freqventer in suis scriptis Hebraici Nazaræorum evangelii meminisse, qvod in græcum & latinum sermonem a se translatum in catalogo Script. eccles. cap. 2. asserit, & ex quo subinde in operibus suis varias sententias & narratiunculas allegat. Nam ut cætera loca taceamus etiam in his ipsis dialogis adversus Pelagium scriptis, qvibus suum opus Theodorus Mopsvestenus opposuit, nonnulla ex evangelio isto protulit,

tulit, ut ex c. 2. l. 3. videri poterit. Ulterius Theodorus Aramum reprehendit, qvod repudiatis reliqvis veteris Teſtamenti verſionibus propriam conficere auſus fuerit. Sic enim Photii verba interpretanda ſunt, etſi ea Salmaſius in tractatu de Helleniſtica p. 177. ita acceperit, qvaſi Theodorus poſt LXX, Aqvilam, Symmachum & alios novam Scripturæ verſionem molitus fuerit. Qvis autem neſcit, novam V. Teſt. verſionem ad fontes Hebraicæ veritatis conformatam ab Hieronymo editam fuiſſe, qvam a Rufino aliisqve æmulis convitiis proſciſſam eo minus mirandum eſt, cum ipſe Auguſtinus eam aliqvandiu improbaverit. Et hanc ipſam Hieronymi verſionem a Theodoro ſuggillatam nullus dubito, mirorque quod Vir clarisſimus Johannes Martianay inter adverſarios verſionis Hieronymianæ, quos in ſuis prolegomenis ad novam operum Hieronymi editionem ejusq; primum tomum, qvi divinam Hieronymi bibliothecam continet, recenſet, Theodori mentionem nullam fecerit. Tandem & illud Theodorus Aramo objicit, qvod Hebræis quibusdam abjectæ ſortis in diſciplinam ſe tradiderit. Id vero optime in Hieronymum quadrat, qvem non pudet paſſim in ſcriptis ſuis profiteri, quantum per Hebræos qvosdam, cum quibus converſatus eſt, in lingvæ hujus ſtudio profecerit.

XVI. Qvamobrem nihil amplius reſtat, qvam ut inqviramus, cur Hieronymus a Theodoro Aram cognominatus fuerit. Et Andreas qvidem Schottus latinus Photii interpres in Scholiis marginalibus ſuſpicatur, qvod Theodorus ἀπὸ τῆς ἀρᾶς hoc eſt, ab execratione & maledictione adverſarium ſuum cognominaverit. At Petro Allixio aliter viſum. Is enim putat, a librariis pro Hieronymiani nominis abbreviatura ſeu primis nomi-

 nis

tu de Synodis: *in qvibus* (loqvitur de formulis a se expo-
nis illius literis ἱερὸν per errorem ἀρὰμ positum) fuisse.
Verum probabilior mihi videtur sententia Viri celeber-
rimi & in historia ecclesiastica versatissimi Gulielmi Ca-
vii. Is enim in eruditissimo opere Scriptorum ecclesia-
sticorum p. 759. non infeliciter conjicit, Hieronymum
a Theodoro Aram id est Syrum dictum, qvia maxi-
mam vitæ suæ partem in Syria transegit.

Additamenta.

Ne ultimæ hujus plagulæ partes vacuæ relinqverentur, seqventia addere placuit.

PAg. 93. de Alogis agitur, qvos evangelium Johannis repudiasse in dissert. de hæresiarchis ex Epiphanio retuli. Eo autem usqve absurditatis hæretici illi pervenerunt, ut non solum hoc evangelium a Johanne scriptum negarent, sed etiam Cerinthum ejus autorem facerent, cujus hæresis statim in ipso Johannei evangelii exordio refutatur. Rationes autem ob qvas Alogi juxta Epiphanium evangelium hoc Johanni abjudicabant, hæ fere erant, qvod hoc evangelium cum reliqvis non concordaret & mendacia contineret. Qvod etsi falsissimum sit, non defuerunt tamen, qvi Alogorum vestigiis insisterent. Nam ut de Fausto Manichæo & Anabaptistis nihil dicam, qvi hoc evangelium non integrum Johannis esse, sed qvædam ab aliis addita obtenderunt, etiam nostra hac ætate novos Alogos in Anglia

exor-

exortos Clericus in animadverſionibus ad 18. priora commata capitis 1. Evangelii Johannis ex Præſulis alicujus Anglicani epiſtola commemorat. Oſtendit autem Clericus, futiles eſſe rationes illorum, qvi hoc evangelium a Johanne ſcriptum negant, & contra graviſſimas rationes urgere, ut Apoſtolum Johannem autorem hujus evangelii agnoſcamus. Nam primum in ipſo evangelio Johannis c. XXI, 24. legitur: *hic eſt diſcipulus, qvi de his teſtatur, & qvi hæc ſcripſit, ſcimus autem verum eſſe ejus teſtimonium.* Qvæ verba Clericus cum Grotio & Hammondo ad evangelium Johannis ab Epheſina eccleſia appoſita eſſe dicit. Verum non opus eſt, ut ob numerum pluralem verba hæc Epheſinæ eccleſiæ adſcribamus. Potuit enim Johannes dicere: *ſcimus, qvod teſtimonium ejus verum eſt*, qvaſi ad conſcientiam & conteſtationem aliorum provocaret & diceret: non ſolum ego, ſed etiam omnes, qvi cum Chriſto verſati ſumus, id teſtimonium verum eſſe novimus, ut Tarnovius & alii verba illa explicarunt. Inter Patres, qvorum autoritate hoc evangelium Johannis eſſe, probari poteſt, Clericus primo loco Juſtinum ponit, cui deinde Irenæum & Euſebium adjungit. Plures autem adducere noluit, cum conſtet, ab Irenæi temporibus communem hanc, ſi hæreticos qvosdam excipiamus, omnium Chriſtianorum ſententiam fuiſſe.

Pagina 456. diverſam Athanaſii & Hilarii ſententiam circa Synodum Sirmienſem ejusqve confeſſionem fuiſſe notavimus, dum Athanaſius confesſionem illam heterodoxis accenſet, Hilarius autem ut orthodoxam explicat. Obſervandum tamen, Hilarium non ſimpliciter Sirmienſem & alias qvasdam orientalium confesſiones pro orthodoxis habuiſſe. Dicit n. in tracta-

tu

nendis) *si qvid vitiose inesse intelligitur, nemo mihi potest vitium assignare dictorum, internuncius n. ut voluistis sum ipse non conditor*, ut alia qvædam loca, qvæ Hilarium illas Synodos non simpliciter probasse ostendunt, taceamus. Imprimis autem id elucescit ex apologeticis Hilarii responsis ad reprehensores libri sui de Synodis, qvæ Benedictini in nova Hilarii editione primi ediderunt. Ex his n. manifestum est, errare eos, qvi existimant, Hilarium Semiarianos pro orthodoxis habuisse, etsi eorum formulas sensu catholico intellectas qvodammodo ferri posse putaverit, easqve laudaverit. Nam, ut Benedictini in præfat. ad Hilarii librum de Synodis observant, id sibi proposuit Hilarius, ut & orientalium benevolentiam captaret, & occidentales in eorum favorem nonnihil flecteret, & utrosqve ad concordiam in Synodis jam indictis ineundam præpararet. Observant præterea, qvod Athanasius & Hilarius non uno tempore scripserint, cum Hilarius ante Ariminensem Synodum, Athanasius autem post illam Synodum scripserit, qvo tempore ecclesiæ utilitas poscebat, ut vitia confessionum orientalium non amplius dissimularentur. Agunt de eadem re Benedictini in vita Hilarii cap. 7. ubi animadvertunt, qvod Hilarius orientales ita tractandos judicaverit, velut qvi ex morbo convalescerent, & in qvibus ita spes esset perfectæ sanitatis, ut ægritudinis pristinæ reliqviæ non deessent, ideoqve eos foverit, eosqve modo excusaverit, modo laudaverit, & a conviciis abstinuerit, interim tamen veritatem illis blande insinuaverit, sicqve eis indulserit, ut ipsis ad veram fidem nonnihil deesse haud dissimulaverit. Observant porro, etsi prudenter in ea re versatus fuerit, cum tamen omnem heterodoxiæ suspicionem effugere non potuisse, cum a Lucifero ipsi exprobratum fuerit, qvasi contra orthodoxiam peccasset. Et hac ipsa occasione responsa illa apologetica nata sunt, in qvibus Hilarius asserit, se non recte a Lucifero intellectum, cum Orientales non veram fidem, sed spem tantum veræ fidei attulisse prædicaverit, & qvod orientales laudaverit, ne in his qvæ possent tanqvam excusabilia defendi, calumniari videretur, ut cæteras ejus defensiones taceamus.

SYNO-

SYNOPSIS APPENDICIS
AD DISSERTATIONEM
DE
Hæresiarchis ævi apostolici & apostolico proximi.

I. Præfatio. II. Notatur Dodwellus Egesippum nullam Dosithei mentionem fecisse asserens. Unde hauserit Hippolytus quæ de Dositheo tradidit. III. Theophilus Persa Dosithei adversarius. Fabulæ chronici Samaritani de Dositheo. IV. De eodem locus Vigilii Tapsensis. V. Quid autor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum de Simonianis tradiderit. VI. Simon Magus se e Virgine conceptum mentitus. VII. VIII. IX. Nonnullæ Bolducii de Simone ejusque Helena assertiones improbabiles. X. Zwickeri blasphemia. XI. Autor antiquus a Rigaltio editus Simonianorum baptismum describit. XII. Turriani figmentum de jejunio sabbathi orientalibus interdicto ob Simonianos. Simile aliorum figmentum de jejunio sabbathi Romæ servato. XIII. Fragmentum Marcelli de conflictu Simonis Petri & Magi, quod Jac. a S. Carolo se primum edere putavit, quoad maximam partem jam pridem editum. Integer Marcelli tractatus a Florentinio editus. Eadem acta a Nausea vulgata. XIV. Pilati epistola de Christo. Ejus variæ editiones multumque inter se diversæ. XV. Marcelli de Simone fabulæ. XVI. Similes Johannis Malalæ. XVII. Abbonis Monachi locus de Simonis præcipitio. XVIII. Varisuus ab autore imperfecti operis in Matthæum allegatus idem est ac Bar Jesu. Augustinus emendatus. XIX. Bar

Jesu liber contra Paulum scriptus. XX. Irenæi locus de Menandro emendatus. XXI. Prateoli, Sagittarii aliorumque error de Cerinthi interitu per balnei ruinam. Raynaudi error Ebionem hac balnei ruina oppressum statuentis. XXII. Francisci Turnonii factum. XXIII. Cerinthum Carpocrate posteriorem Basnagius statuit. XXIV. Hæreticum nomine Ebionem fuisse negat Clericus. XXV. Epistola Petri ad Jacobum ab Ebionita quodam scripta, ex qua Lactantius heterodoxa quædam hausit. XXVI. Ebionitarum adversarius Philippus. XXVII. De Hebraico Nazaræorum evangelio. XXVIII. Sandii de eo sententia. XXIX. Item Petavii, Basnagii. Nazaræos præter adulterinum Matthæi evangelium genuinum quoque usurpasse negatur. XXX. Simonii sententia a Majo refutata. Fundamento caret discrimen inter Ebionitas majores & minores. XXXI. Quæ Justinus de Christi baptismo refert non sunt ex evangelio Nazaræorum deprompta, cum in eo historia Christi baptizati aliter descripta fuerit. XXXII. Lud. Capelli de Nazaræorum Origine conjectura. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. Petersenii sententia de errore Hymenæi & Phileti, quos chiliasmum negasse asserit, examinatur. XXXVIII. Ex Nicolaitarum officina prodiit Clementis epistola 5. decretalis. XXXIX. Turriani commentum de canone, quem Nicetas Pectoratus allegavit. XL. Suspirium Polycarpi a quibus hæreticis expressum fuerit. XLI. De tempore Basilidis contrariæ sententiæ Cotelerii & Dodwelli. Eligitur tertia. XLII. Mabillonii judicium de tabula Monstroliensi. Exemplum gemmæ Basilidianæ. XLIII. Cur Ambrosius Basilidem & Paulum Samosatenum conjungat. XLIV. Ætas Carpocratis. XLV. Epistola Adriani ad Servianum. Larroquani de ea judicium. XLVI. Adriani annulus magicus. XLVII. Textus Irenæi de Epiphane a Pearsonio emendatus. XLVIII. Bolducii sententia de origine Cajanorum improbatur. XLIX. Liber Seth. Quid ex eo autor operis imperfecti de stella a Magis observata referat. L. Clementis Alexandr. locus de Ophitis. Qualem sententiam Ligthfootus Clementi tribuat. LI. Ephremi libri contra Ophitas. Lex contra Ophitas. LII. Dodwelli sen-

ſententia, de ætate Valentini. LIII. Multa Æonum Valentinianorum nomina ex evangelio Johannis deprompta. Ambroſii de illis locus & Tertulliani. LIV. Προβολὴ Valentini. Error Mariani Victorii. LV. Qvis Elianus apud Eutychium Alexandrinum. LVI. Valentini fragmentum de cauſa mali. LVII. Leges Imperatorum contra Valentinianos. Balſamonis et Blaſtaris error de Valentinianis. LVIII. Qvis autor jamborum in Marcum hæreticum. LIX. Floriani a Florinianis diſtingvendi. Dodwelli de Florino obſervationes. LX. Blaſti hæreſis. LXI. Ejus ætate eccleſiæ non omnes uno tempore paſcha celebrabant. LXII. Quid de tempore hujus feſti decernant canones et conſtitutiones apoſtolicæ hodiernæ. LXIII. Qvid conſtitutiones apoſtolicæ antiqvæ. Acta Pilati ſpuria. Daniel Larroqvanus notatur. LXIV. Teſtimonia Victoris, Wilfridi & Ceolfridi pro ritu feſtum paſchale die dominica celebrandi allegari ſolita. LXV. De praxi Apoſtolorum ſententia Scaligeri et diverſa Beveregii. LXVI. Sua cuiq; eccleſiæ circa hunc ritum libertas primum relicta. Spuria hinc agnoſcitur Ignatii ad Philippenſes epiſtola. Halloixii commentum pro defenſione illi9 epiſtolæ. LXVII. Pii epiſtola ſpuria. Hermæ viſio conficta. LXVIII. Aniceti et Polycarpi de hac controverſia paſchali colloqvium. LXIX. Error libelli ſynodici a Pappo editi. LXX. Melitonis liber de paſcha. LXXI. Acta concilii Cæſarienſis. LXXII. Alia concilia in hoc negotio habita, a qvibus diſſenſit concilium Epheſinum ſub Polycrate habitum. LXXIII. Cui parti Cilices, Syri et Meſopotaniæ incolæ addicti fuerint LXXIV. Cur Aſiaticis eccleſiis paucæ adhæſerint. LXXV. Victor eccleſias Aſiaticas excommunicavit. LXXVI. Negant id qvidem nonnulli. LXXVII. Alii rectius affirmant. LXXVIII. Victoris factum perperam a nonnullis laudatur et defenditur. LXXIX. Schelſtrateni figmenta. Sozomeni locus corruptus qvomodo emendari debeat. LXXX. LXXXI. Halloixii de hoc ſchiſmate ſententia, & quid in ea probandum vel improbandum. LXXXII. LXXXIII. Quomodo Faeditius ſchiſma hoc paſchale cum controverſia, quæ inter Regem Galliæ & Pontificem Romanum Innocentium XI. circa jus Quarteriorum agitata fuit, comparaverit. LXXXIV. Faeditius multos aliorum erro-

res circa historiam hujus schismatis detexit, multa tamen gratis asseruit. LXXXV. Bardesanis errores. LXXXVI. Ejus dialogus de fato. LXXXVII. Augustinum erroris arguit Colbergius, cujus sententia probanda non videtur. LXXXVIII. Assertio Autoris de lapsu Gennadii & Vigilii contra objectionem Colbergii defenditur. LXXXIX. Marcion num Antoninianus hæreticus recte appelletur. XC. Marcionis de duplici Deo sententia unde ortum traxerit. XCI. Quid Autor præfationis arabicæ ad concilium Nicænum de Marcionitis tradiderit. XCII. Locus 1. Cor. XV, 28. a Marcionitis male explicatus. XCIII. Philumenam solus Augustinus Severo tribuit, quam reliqui Scriptores antiqui magno consensu Apelli tribuerunt. XCIV. Prior Autoris de loco illo Augustini sententia, & posterior confirmata ex MSC. bibliothecæ Paulinæ Lipsiensis, & aliis MSC. quibus usi Benedictini in nova Augustini editione. XCV. XCVI. Colbergii sententia confutata. XCVII. Hieronymi locus de Borboritis. Alius Philostorgii. XCVIII. Impia Gnosticorum sacra a Molochi cultu Bolducius deducit. XCIX. Gnosticorum error unum prædicationis annum Christo tribuentium. Irenæus in alterum extremum lapsus & a Dodwello frustra defensus. C. Quid Vendelinus in epistola ad Chiffletium de Gnosticis asseruerit. Varia veterum hæreticorum amuleta a variis Autoribus expressa. Gronovii de illis judicium laudatur. CI. CII. CIII. CIV. CV. CVI. CVII. CVIII. Amica cum Amico de epistola Polycarpi disceptatio. CIX. Marcianus Doceta non diversus a Marciano, cui Irenæus suum tractatum de apostolica demonstratione dedicavit. CX. Liber Melitonis de transitu Mariæ CXI. Harmonia evangelica, quæ sub Ammonii Alexandrini nomine extat, non a Victore Capuano versa est. CXII. Apotactitarum mentio in actis passionis Theodoti Ancyrani. CXIII. Baronii errores in historia Montanistarum a Facditio castigati. CXIV. Pauli Apostoli cum Montano certamen in homilia de pseudo-prophetis assertum. Homilia illa non Johannem Chrysostomum sed Johannem Jejunatorem autorem habet. CXV. Adversarii Montani. CXVI. Synodi adversus Montanum habitæ. CXVII. Prateoli errores circa Montanum

tanum ejusque asseclas. CXVIII. Scripta Montani & Montanistarum. CXIX. Qualem errorem Montanistis tribuat Ambrosiaster. CXX Acta Perpetuæ & Felicitatis. CXXI. Autoris qui 1638. librum sub titulo Epiphaniorum edidit deliria a Patavio refutata. CXXII. Clementis Alexandrini locus de Hermogene. CXXIII. Anathema Antitactis aliisque antiquis hæreticis a Sophronio dictum. CXXIV. Methodii locus de Helcesaitis & aliis antiquis hæreticis. Sitne consultum veterum hæreticorum historiam texere. Judicium ea de re Petavii & Nicolai le Nourry. Appendicis conclusio.

Synopsis dissertationis primæ de pseudepigraphis Christi, Mariæ & Apostolorum.

CAPUT I.

De *Christi epistola ad Abgarum.*

I. II. Abgari ad Christum epistola & Christi responsum leguntur apud Eusebium. III. Addit nonnulla Constantinus Porphyrogenneta, quem Eusebio præferendum Combefisius perperam asserit. IV. Cedrenus Christi epistolæ sigillum addidit, diversum ab illo, quo alius Græculus in MSC. Vindobonensi Christi epistolam signatam docuit. V. Eædem epistolæ Abgari & Christi apud Nicephorum, non item apud Damascenum, quod Strauchius memoria lapsus asseruit, referuntur. VI. Versio harum epistolarum in linguam Armenam a Galano edita, Persica a Xavierio, Arabica a Ludovico a Dieu, qui circa Cedreni locum memoria lapsus est. Alia Arabica a Pocockio in historia Abul Pharaji. VII. Meminit illarum epistolarum Ephrem, cujus græcus textus emendatur. VIII. Item Darius Comes in epistol. ad Augustinum. Montacutio hunc locum producenti minus accurate respondent Strauchius & Reiskius. IX. Gelasii judicium de Christi ad Abgarum epistola. X. Quid Procopius & Evagrius de illa epistola tradiderint. XI. Eam Constantinopolin translatam refert Zonaras, in magna veneratione ibi habitam & sub Andronici Comneni imperio direptam Byzantini Scriptores memorant. XII. Vallæ judicium de hac epistola. Fabula Petri Natalis.

XIII. Varia recentiorum de epistolis Christi & Abgari judicia. XIV. Quid nobis videatur. Nomen Abgari varie scribitur. Spanhemius laudatur.

CAPUT. II.

De Scriptis quæ hæretici Christo affinxerunt, nec non de epistolis Christi quæ cælitus demissæ aut ab eo dictatæ perhibentur.

I. Libros sub Christi nomine Simoniani & Cleobiani finxerunt. II. Eadem fraude usi alii hæretici ab Augustino exagitati. Hornii error. III. Impostura Aldeberti Christo epistolam cælitus demissam affingentis. Aldeberti mores a Bonifacio delineati. IV. Similis epistola Christi pseudepigrapha ex schedis Petri de Marca a Baluzio edita. Caroli M. decretum contra hujusmodi epistolas. V. Alia epistolarum, quas impostores cælitus lapsas jactarunt, exempla ex Sigeberto & Dodechino. VI. Regula Brigittæ a Christo dictata fingitur, item epistola quædam a Camilla de Varanis excepta. Aliorum pseudepigraphorum Christi meminerunt Deckerus & Tenzelius.

CAPUT III.

De Pseudepigraphis B. Mariæ Virginis.

I. Mariæ epistola ad Ignatium omni antiquitatis testimonio destituta, nisi cum Bivario Dextri chronicon pro genuino agnoscere velimus. II. Epistola Mariæ ad Messanenses ab Inchofero perperam peculiari libro defensa, cujus prior editio Romæ damnata & prohibita fuit. III. Mariæ epistola ad Florentinos. IV. Mariæ liber de miraculis fidei & annulo Salomonis in laminis plumbeis Granatæ effossis inventus, quas Innocentii XI. censura condemnavit.

CA-

CAPUT. IV.

De Jacobi Protevangelio aliisque Evangeliis Pseudapostolicis.

I. Postelli judicium de protevangelio Jacobi. Ejus editiones. II. Neandri editio. III. Hoc evangeliũ a Postello confictum non fuit. IV. Multa ex eo adduxit Eustathius in hexaemero. V. Ejusdem notitiam habuerunt Epiphanius Monachus & Gregorius Nyssenus. VI. Allegatum fuit ab Origine. VII. Manuscriptum extat in bibliotheca Vindobonensi. Fabulis plenum est, quas Xavierium evangelio suo persico inseruisse Simonio displicet. VIII. Leusdenii lapsus, IX. Evangelium Petri. X. De illo apud Rhossenses contentio excitata, quibus lectionem hujus libri Serapion permisit, postea vero de erroribus illo contentis certior factus priorem sententiam revocavit. XI. Thomæ evangelium. XII. Philippi & Bartholomæi evangelium. XIII. Evangelium Andreæ. Gelasii decretum de libris apocryphis in quibusdam codicibus Hormisdæ & Damaso tribuitur. Baluzii de hac varietate judicium. XIV. Evangelium Matthiæ, Judæ Thaddæi & Judæ Iscariotæ. XV. Evangelium 12. Apostolorum. XVI. Innocentii I. decretum de pseudepigraphis apostolicis.

CAPUT V.

De Actis Pauli & Theclæ & aliis Actis Pseudapostolicis.

I. Autor veterum actorum Pauli & Theclæ. Ex his deprompta acta Theclæ a Basilio Seleuciensi & Simeone Metaphraste descripta. II. Alia Pauli acta, quorum fragmentum exhibet Origenes. III. Acta Petri. Eorum fragmentum ab Isidoro Pelusiota adductum. IV. Acta Andreæ. V. Acta Thomæ e quibus nonnulla deprompserunt Turibius & Augustinus. VI. Acta Johannis, quorum præter alios Photius meminit a Schotto male redditus. VII. Acta Philippi. Varia Apostolorum itineraria seu periodi & circuitus. VIII. Autores ejusmodi scriptorum. IX. Inter eos excelluit Leucius quidam.

CA-

CAPUT VI.

De

Epistola Pauli ad Laodicenses aliisq; epistolis pseudapostolicis.

I. Epistolæ Pauli ad Laodicenses variæ editiones. II. Testimonia quædam veterum. III. Occasio hujus epistolæ fingendæ. Quid Paulus intelligat per epistolam ἐκ λαοδικέας. Sententia Grotii & Usserii. Alia Theophulacti. Alia Assetmanni. IV. V. Judicium de his sententiis. VI. Probabilior Theodoreti conjectura. Ex Paulinis epistolis probari non potest, quod unam ad Laodicenos, duas ad Ephesios & tres ad Corinthios epistolas scipserit. VII. Pontificiorum argumentum ex epistola ad Laodicenos contra integritatem scripturæ depromptum nihil probat, quod ipsi Pontificii re maturius expensa fassi sunt. VIII. Erasmi de hodierna Pauli ad Laodicenos epistola judicium. IX. Tertia Pauli ad Thessalonicenses epistola. X. Epistolæ Pauli ad Senecam. Johannem Fabrum Viennensem Episcopum cum Jacobo Fabro Stapulensi nonnulli confundunt. XI. Natalis Alexandri de Pauli epistolis ad Senecam sententia. Alia eaque probabilior Raynaudi. XII. Epistolæ Petri ad Clementem, & Jacobum.

CAPUT VII.

De

Apocalypsibus pseudapostolicis.

I. Apocalypsis Petri. II. Nonnulla ex ea producit Clemens in eclogis propheticis. III. In ecclesiis nonnullis semel quotannis publice lecta fuit. IV. Apocalypsis Pauli. V. Ejus fingendæ occasio. VI. A Cajanis usurpata. VII. Revelationes Thomæ.

CAPUT. VIII.

De

Symbolo Apostolico.

I. Ab ipsis Apostolis compositum hoc Symbolum præter Pon-

Pontificios plerosque nostratium nonnulli statuerunt. II. Sententia hæc probari non potest. III. Solidioribus argumentis instructi, qui Symbolum ab ipsis Apostolis compositum negant. IV. Ex Pontificiis id fecerunt Valla, Erasmus, Ellies du Pin, qui sententiam suam adversus Petitdidierium vindicavit. Tilmontii sententia. V. Marci Ephesii & Juliani legati Pontificis de Symbolo apostolico concertatio. VI. Sententia Sandii. Johannis de Ragusa. Articulus de Christi ad inferos descensu sero huic symbolo insertus. VII. Garnerii assertio de symbolo apostolico. VIII. Judæi erronis impostura: Error concilii Vaurensis. IX. Neque Johannes in epistola 2. v. 10. ad symbolum hoc respexit. X. Neque Paulus Hebr. VI, 1. XI. Origo symboli apostolici. XII. Perversa symboli apostolici censura a Jesuitis facta. Eam defendit Raynaudus. Improbat Petrus Aurelius.

CAPUT IX.

De

Libro Didascaliarum pseudapostolico.

I. Locus Eusebii & Athanasii de Didascaliis Apostolorum. *II.* Versio Athanasii latina in Parisiensi editione corrupta. *III.* Zonaras διδαχὴν Apostolorum a constitutionibus non differre existimat. Quam sententiam refutant Usserius & Dallæus. *IV.* Defendunt Cotelerius & Beveregius. *V.* Dodwelli de Apostolorum Didascaliis sententia. *VI.* Occasio ejusmodi Didascalias fingendi. Didascalia Coptitarum *VII.* Liber Petri doctrina dictus.

CAPUT X.

De
Prædicationibus pseudapostolicis.

I. Liber prædicatio Petri dictus. Ejus fragmenta apud Clementem Alexandrinum. *II.* Usi hac prædicatione Heracleon & Lactantius. *III.* Prædicatio Pauli. *IV.* Fragmentum illius prædicationis ex autore anonymo. Aliud ex Clemente. *V.* Cotelerius notatur.

CAPUT XI.

De
Canonibus pseudapostolicis.

I. II. III. IV. Varius canonum apostolicorum numerus, variæque editiones. *V.* Quid Zephyrinus per 70. Apostolorum sententias intelligat. Sententia Turriani & Blondelli. Utraque incerta. *VI.* Commentatores canonum apostolicorum. *VII.* Collector horum canonum eos ab Apostolis compositos confinxit; *VIII. IX. X. XI.* Nec paucis id persuasit. *XII.* Aliqui non omnes sed plerosque illorum canonum vere apostolicos esse contendunt. *XIII.* Aliqui omnes istos canones Apostolis suppositos esse consentiunt, etsi de tempore illius collectionis dissentiant. Sententia Petri de Marca, Albaspinæi. *XIV.* Blondelli. *XV.* Beveregii. *XVI.* Gumingii, Usserii, Dallæi. *XVII.* Quid opponi possit sententiæ Petri de Marca, Albaspinæi, Blondelli. *XVIII.* Beveregii sententia perpenditur. Respondetur argumento petito ex l. 3. Cod. Justin. de Trinit. *XIX.* Respondetur argumento ex cano-

canonica Basilii epistola deprompto. *XX. XXI. XXII. XXIII.* Aliis Beveregii argumentis respondetur. *XXIV.* Nostra de canonibus apostolicis sententia. Bellarminus notatur. *XXV.* Gelasii judicium de canonibus apostolicis. Quid contra illud excipiant Turrianus, Bellarminus, alii. XXVI. Pearsonii de illo Gelasii judicio sententia. Hincmari locus & de illo conjecturæ Dallæi, Pearsonii, Larroquani, Beveregii. *XXVII.* Alius Hincmari Remensis locus a Turriano allegatus. *XXVIII.* Canones apostolici a Ferrando & Martino Bracarensi præteriti. Epistola Johannis II. dubiæ fidei. *XXIX.* Canones apostolici in Gallia Gregorii Turonensis ævo non recepti. *XXX.* Hincmari Remensis de illis judicium. *XXXI.* Isidorus Hispalensis Isidoro Mercatori præferendus. *XXXII.* Attonis Vercellensis sententia. *XXXIII.* Græcorum quorundam de canonibus apostolicis opinio. Omissi hi canones in codice canonum ecclesiæ universæ. *XXXIV.* Ætas canonum incerta. Certum Apostolos autores non esse. *XXXV.* Canones quos in Antiochena quadam Synodo ab Apostolis conditos Turrianus finxit.

CAPUT XII.

De

Constitutionibus pseudapostolicis.

I. Epitome harum constitutionum a Capellio edita. Integrum opus Bovius edidit, qui in Gallia christiana cum Carolo Bony confunditur. II. Turriani editio græca. Ejusdem latina. Riveti error. *III.* Aliæ editiones. *IV.* Codex MSC. Vindobonensis. *V.* Ab Apostolis compositas nonnulli statuunt. *VI.* Imprimis Bovius & Turrianus a Serario commendati. *VII.* Eadem

ex Reformatis Montacutii ſententia. *VIII.* E Græcis Nicetæ Pectorati, cui opponi poteſt Zonaras. *IX.* Montacutio opponitur Dallæus. *X.* Bovio & Turriano Lupus aliique. *XI.* Nicetæ ex Latinis contradixit Humbertus. *XII.* Locus Gelaſii dubius. *XIII.* Conſtitutiones ab apoſtolis ſancitas fuiſſe non probari poteſt ex canonibus apoſtolicis. *XIV.* Non ex Dionyſio Areopagita. *XV.* Non ex epiſtola Barnabæ. *XVI.* Non ex epiſtolis Ignatii. *XVII.* Non ex epiſtola Polycarpi. *XVIII.* Non ex Irenæo, Hegeſippo & Juſtino. *XIX.* Nec ex Tertulliano. *XX.* Non ex Dionyſio Alexandrino. XXI. Non ex Euſebio & Athanaſio. *XXII.* Non ex Epiphanio. *XXIII.* Non ex Euthalio Sulcenſi. *XXIV.* Non ex Baſilio M. *XXV. XXVI. XXVII.* Non ex diſputatione inter Athanaſium & Arium, circa quam erravit Oudinus *XXVIII.* Non ex Petro Alexandrino & Gregorio Nazianzeno. *XXIX.* Non ex Philaſtrio. *XXX.* Non ex Cyrillo Hieroſolymitano. *XXXI.* Non ex Patribus Nicænis. *XXXII.* Non ex pſeudo-Chryſoſtomo ſeu opere imperfecto in Matthæum, quod perfectum habere, quam Pariſienſis civitatis Dominum eſſe maluit Thomas Aquinas. *XXXIII.* Non ex pſeudo-Hieronymo ſeu Rufino. *XXXIV.* Non ex Aſterio. *XXXV.* Non ex Proclo, cujus tractatus de liturgia ſpurius eſt. *XXXVI.* Non ex Oecumenio & Nicolao Methonenſi. *XXXVII.* Nec ex Sophronio. *XXXVIII.* Quid ſtatuendum de teſtimoniis Anaſtaſii & Damaſceni. *XXXIX.* Fruſtra quoque adducitur Synodus Nicæna II. & Conſtantinopolitana generalis octava. *XL. XLI.* Nihil juvant Turrianum ritus eccleſiæ græcæ obſervati die Clementis, & in Imperatorum coronatione. *XLII.* Ultimum Turriani argumentum ex praxi Æthiopum deſumptum. *XLIII.* Quid de illa. ſtatuendum. *XLIV.* Num conſtitutiones apoſtolicæ Niczno concilio antiquiores fuerint inquiritur. Affirmant Bona & alii. Idem ſentiunt ex Reformatis Blondellus & Beveregius, Horum ſententia probanda non videtur. XLV. Lupi ſententia Origenem illarum conſtitutionum ad quartum ſeculum referentis & Arianum autorem illis attribuentis. Verum conſtitutiones quibus

bus

bus quarti seculi ecclesia usa est Arianismo infecti non fuerunt, sed postea corruptæ, quod quinto seculo peracto factum est. Hinc natæ hodiernæ constitutiones, de quibus intelligi debet Pearsonius. Usserii sententia. *XLVI.* Bellarminus a Varenio notatus.

CAPUT XIII.

De
Liturgiis pseudapostolicis.

I. Liturgiæ Christi & Virginis Mariæ nomine inscriptæ. II. Liturgia 12. Apostolorum. III. Clementis, Dionysii Areopagitæ & Marci Evangelistæ. IV. Liturgia Jacobi. Maronis in illam commentarius. Alius Dionysii Episcopi Amed. V. Autores qui hujus liturgiæ meminerunt. VI. Richardi Simonii sententia contra eos, qui hanc liturgiam apostolicam esse contendunt. VII. VIII. Probatur hanc liturgiam Jacobo suppositam fuisse. IX. Nicolai le Nourry judicium. X. XI. Petri liturgia. Spuriam eam esse probat Bona, XII. Nicolai le Nourry de eadem judicium. XIII. Matthæi liturgia itidem spuria. XIV. Liturgia Johannis.

CAPUT XIV.

De
Aliis pseudepigraphis apostolicis.

I. Priscillianistarum scripta pseudapostolica. II. Tractatus Dictinnii. Augustini locus emendatus. III. Fragmenta Apostolorum. Præcepta Petri & Pauli. IV. Judicium Petri. V. Paulinus viperarum exorcismus. VI. Matthæi liber de infantia Mariæ.

VII. Ejus mentio apud Fulbertum Carnotensem. VIII. Thomæ liber de infantia Christi. IX. Johannis liber de obitu Mariæ. X. Jacobi liber de prædicatione Apostolorum & alia. XI. Traditiones Matthiæ. Conclusio hujus dissertationis.

Synopsis dissertationis secundæ de schismate Donatistarum.

I. Persecutio Diocletiani & Maximiani in Africa grassata. II. Conquisiti sacri codices flammis abolendi. Traditores. III. Mensurii epistola ad Secundum. Secundi responsio. IV. Calumnia in Cæcilianum Diaconum Carthagin. ejusque Episcopum Mensurium. V. Acta Saturnini & sociorum a Donatistis composita. Baluzii de illis judicium. VI. Cæciliani Archidiaconatus. Lucillæ superstitio a Cæciliano reprehensa. Damasceni & aliorum error. VII. Nova persecutio in Africa. Mors Mensuri Episcopi Carthag. VIII. Franc. Balduini de illa persecutione sententia. Probabilior Ant. Pagi conjectura. IX. Electio novi Episcopi Carthaginensis. Electus Cæcilianus. Odii adversus Cæcilianum causæ variæ. Hinc natum schisma Donatistarum. Quo anno natum sit illud schisma inquiritur. X. Concilium Schismaticorum Carthaginense. XI. Quibus prætextibus Cæcilianus in hoc concilio damnatus fuerit. Purpurii Limatensis insolentia. XII. Electus a Schismaticis Majorinus. Altare contra altare erectum. XIII. Ante Majorini electionem interventorem a schismaticis constitutum & a catholicis occisum probari non potuit. XIV. Num sententia concilii Carthagin. in Cirtensi confirmata fuerit. Leydeckeri sententia refutatur. XV. Historia concilii Cirtensis. Ejus tempus. Albaspinæi error. XVI. Locus concilii Cirtensis. Garnerius notatus. Norisius laudatus. XVII. Numerus Episcoporum concilii Cirtensis. Occasio hujus concilii. Electio novi Episcopi Cirtensis. XVIII. Alia acta concilii Cirtensis. Locus Optati emendatus.

datus. Donatiſtarum cavillationes adverſus acta concilii Cirtenſis. XIX. Locus Auguſtini a Leydeckero allegatus explicatur. XX. Conſtantini M. epiſtola ad Anulinum. XXI. Cæcilianus apud Conſtantinum a ſchiſmaticis per literas accuſatus. XXII. Conſtantini M. epiſtola ad Cæcilianum. XXIII. Locus Auguſtini emendatus. Schiſmatici pars Majorini audire voluerunt. Poſtea pars Donati. XXIV. Donatus a Caſis Nigris. XXV. Alter Donatus Carthaginenſis ſchiſmaticorum poſt Majorinum Epiſcopus. Ab hoc Donato Donatiſtæ nomen ſuum ſortiti. Donatiſtarum cognomen Donatiſtis ingratum. Creſconii argutiæ circa hoc nomen. Bernhardi Luzenburgici parachroniſmus. XXVI. Conſtantini M. epiſtola ad Melchiadem. Salmaſius notatus. De titulo epiſtolæ ad Melchiadem conjectura Baronii, Perronii, Mornæi, Petiti, Larroquani, Le Moyne XXVII. Inter judices quibus cauſam Donatiſtarum Romæ ventilandam Conſtantinus dedit, fuit Rheticius, Marinus & Maternus. Hieronymus memoria lapſus circa Rheticium. Magdeburgenſium lapſus circa Marinum & Maternum. XXVIII. Cur ex Gallia Donatiſtis judices dati. Reliqui concilii Romani aſſeſſores. XXIX. Tempus concilii Romani. Locus. XXX. Partes in concilio Romano litigantes. Acta concilii Romani. Cæcilianus in concilio Rom. abſolutus. Error Morellii. XXXI. Donatus a Caſis Nigris in concilio Romano damnatus. Mitior in reliquos Donatiſtarum Epiſcopos ſententia. XXXII. Donatiſtarum cavillationes adverſus concilium Rom. Appellatio Donatiſtarum a concilii Romani ſententia. XXXIII. Apellatio Donatiſtarum negata a Sirmondo & Valeſio. Ab aliis aſſerta. XXXIV. XXXV. Utriusque partis argumenta. XXXVI. XXXVII. Cauſa Donatiſtarum denuo in concilio Arelatenſi agitata. Conſtantini, qui hoc concilium indixit, epiſtola ad Ælianum vitioſe Ablavio vel Elafio inſcripta. XXXVIII. Epiſcopis ad Arelatenſe concilium evocatis literæ tractoriæ conceſſæ. *XXXIX.* Præſes concilii Arelatenſis Marinus, non Sylveſter Romanus Pontifex. Schelſtrateni ſententia refutatur. XL. Numerus Epiſcoporum,

qui

qui Arelatensi concilio interfuerunt. Augustini locus correctus. XLI. XLII. Arelatense concilium Augustino plenarium audit, quod a Launojo probatum. XLIII. XLIV. Launoji sententia a Nicolao & aliis impugnata defenditur. XLV. Plenarium Augustini concilium non est Capuanum. Non Alexandrinum. Non Constantinopolitanum. XLVI. Non Nicænum. XLVII. Æneæ Sylvii & aliorum observatio ex verbis Augustini. XLVIII. Canones concilii Arelatensis. Balei error. Centuriatorum Magdeburgens. errores aliquot. XLIX. Constantini Imper. in concilio Arelatensi præsentia incerta. L. Felicis Aptungitani causa. Judex, coram quo illa causa acta. LI. Tempus hujus actionis. Sententia Albaspinæi, Baronii, Valesii, Baluzii. LII. Acta hujus judicii. Optatus corrigendus. Felix Proconsulis sententia absolutus. LIII. Ingentius equuleo suspensus. LIV. Donatistarum cavillationes adversus Felicis absolutionem. LV. Augustini retractatio. LVI. Constantini epistola ad Probianum. Ejusdem epistola ad Episcopos de parte Donati. LVII. Donatistarum a concilio Arelatensi appellatio ad Imperatorem. Cæciliani absentia ejusque causa. Donatistarum fugæ. LVIII. Turbæ in Africa duce Menalo. Constantini epistola ad Celsum. Petronii, Anniani & Juliani ad Celsum epistola. LIX. Cæciliani ad Imperatorem Mediolani versantem adventus. Constantini M. epistola ad Eumalium. LX. Godofredi sententia de tempore, quo Imperator Cæciliani causam dijudicavit. LXI. Donatistarum cavillationes adversus Mediolanense Imperatoris judicium. LXII. Pappus, Danæus & alii notantur. LXIII. Optatus explicatur. Eunomii & Olympii legatio in Africam. LXIV. Constantini epistola ad Episcopos & plebem Africanam. Epistola ad Episcopos Numidiæ. LXV. Inquisitio in Silvanum. Baronii error. Silvanus ad exilium damnatus. LXVI. Aliorum Donatistarum exilia. Aliæ Donatistarum pœnæ. LXVII. Exilia Donatistarum relaxata. Constantini epistola ad Vicarium Africæ. LXVIII. Quando finitum fuerit Donatistarum exilium & quamdiu duraverit. LXIX. Turbæ Donatistarum ab exilio reversorum. LXX. Cæcilianus Nicæno concilio interfuit. Donatistæ a Nicæno

Con-

concilio abfuerunt. De Sardicensis concilii communione gloriati Donatistæ. LXXI. LXXII. Carthaginense Donatistarum concilium. Acta & decreta illius concilii. Tempus hujus concilii. LXXIII. Donatus juxta Optatum ab Ezechiele prædictus. Donati scripta. LXXIV. Quo anno Majorino successerit. LXXV. Fastus Donati ejusque visiones. LXXVI. Montensium nomen cur Donatistis datum. Montenses etiam Novatiani cognominati. Erasmi error & Victorii. LXXVII. Donatistæ Campitæ dicti. Rupitæ. Cutzupitæ. Variæ hujus nominis lectiones. Cotelerii conjectura. LXXVIII. Episcopus a Donatistis in Hispaniam missus, & in ignotum extra Africam locum. LXXIX. Circumcelliones. Unde dicti. Impia eorum facta. LXXX. Eorum arma. Circumcellionum libidines. LXXXI. Eorum αὐτοχειρίαι. *LXXXII.* Circumcelliones interdum se aliis occidendos obtulerunt. Lepida Theodoreti narratio. Circumcelliones pseudomartyres. *LXXXIII.* A Taurino Comite coerciti. *LXXXIV.* Locus Ezechielis ab Optato de Donatistis explicatus. *LXXXV.* Benedictinorum conjectura de nominibus Leontii, Ursatii & Taurini. Ea rejicitur. *LXXXVI.* Macarius. Catholici a Donatistis Macariani dicti. *LXXXVII.* Macarii & Pauli in Africam legatio. Quomodo a Donato accepti, & a Donato Bagajensi. Donatus Bagajensis & Marculus occisi. *LXXXVIII.* A Donatistis inter Martyres relati. *LXXXIX.* Acta passionis Marculi. *XC. XCI.* Donatista Marculus in quædam martyrologia irrepsit. *XCII.* Donatus Carthaginensis in exilium missus. Carthaginense Catholicorum concilium sub Grati episcopatu. *XCIII.* Augustini locus emendatur. *XCIV. XCV.* Donatistæ Juliano supplices. Ab exilio revocantur. Donatistarum ab exilio redeuntium furor. *XCVI.* Intestina Donatistarum dissidia. Qua in re Tichonius a Donatistis aliis dissenserit. Tichonii scripta. *XCVII.* Commentarius in apocalypsin inter Augustini opera nec Augustinum autorem habet nec Tichonium. *XCVIII.* Rogatiani. Alios Donatistas Firmianos appellarunt. Svavia Rogatianorum somnia. *XCIX.* Urbanensis Donatistarum secta. Claudianensis. Concilium Romanum. C. Primianistarum & Maximinianistarum secta. Carthaginense Maximianistarum

rum concilium. CI. CII. Cabarſuſitanum eorundem concilium. CIII. Bagajenſe Primianiſtarum concilium. CIV. CV. Primianiſtæ Maximianiſtas perſecuti. Miſerabile Salvii ſpectaculum. CVI. Donatiſtarum ſcripta. Item Donati, Tichonii, Macrobii. CVII. Vitellii. CVIII. Parmeniani. CIX. Petiliani. Creſconii, Gaudentii. Centurii. *CX.* Scripta Catholicorum contra Donatiſtas. Optati Milevitani. Gronovius laudatur. *CXI.* Auguſtini ſcripta contra Donatiſtas. Horum aliqua perierunt. *CXII.* Sagittarius notatur. *CXIII.* Auguſtini ſcripta contra Donatiſtas ſuperſunt. *CXIV.* Auguſtini liber de unitate eccleſiæ ſitne genuinus ? *CXV.* Liber contra Fulgentium ſpurius. *CXVI.* Epiſtolæ Auguſtini ad Donatiſtarum cauſam ſpectantes. *CXVII.* Alia Auguſtini loca ad Donatiſtas ſpectantia. *CXVIII. CXIX.* Donatiſtarum errores. De eccleſia quid docuerint. Inſana Donatiſtarum ſtultitia. *CXX.* Argumenta Donatiſtarum. *CXXI.* Catholicorum contraria ſententia. *CXXII.* Donatiſtarum error de baptiſmo. *CXXIII.* Donatiſtarum argumenta. *CXXIV.* Catholicorum ſententia. *CXXV.* Donatiſtarum error de ordinatione & reliquis Catholicorum ſacris. *CXXVI.* De Magiſtratu, pe perſecutionibus, de αὐτοχειρία. *CXXVII.* Oppoſitæ Catholicorum ſententiæ. *CXXVIII.* Quatenus cum Arianis Donatiſtæ convenerint. Donatiſtarum error de libertate arbitrii. De carne Chriſti. De viſionibus. Juramenta Donatiſtarum. Singularitas circa ritus quoſdam. *CXXIX.* Collationes cum Catholicis averſati Donatiſtæ. *CXXX.* Collatio Auguſtini cum Fortunio. *CXXXI.* Poſſidii cum Criſpino congreſſus. *CXXXII.* Collatio Carthaginenſis. Acta collationis edita. Auguſtini breviculum. *CXXXIII.* Alii qui de hac collatione ſcripſerunt. *CXXXIV.* Numerus Epiſcoporum in collatione hac præſentium. *CXXXV.* Catholicorum modeſtia. *CXXXVI.* Nomina Epiſcoporu, qui utrinque ad collationem ſelecti. *CXXXVII.* Eventus cmlationis. Donatiſtarum cavillationes adverſus Marcellini judicium. *CXXXVIII.* Sententia Marcellini. Acta collationis

quo-

quotannis publice recitata. CXXXIX. Augustini collatio cum Emerito. CXL. Magdeburgensium error notatur. CXLI. CXLII. Fructus collationis Carthaginensis. CXLIII. Concilia contra Donatistas habita. CXLIV. Hipponense A. C. 393. CXLV. Carthaginense 3. A. 397. CXLVI. Carthaginense 4. A. 398. Monachorum genus, qui Circumcelliones dicti. CXLVII. Canon 105. concilio Carthaginensi a Baluzio additus. CXLVIII. Carthaginense A. 400. Aliud A. 401. Petrus de Marca refutatur. CXLIX. CL. Aliud concilium eodem anno. CLI. Concilium Carthaginense A. 403. Baronius refutatus. CLII. Preces Episcoporum Septimino Proconsuli porrectæ. CLIII. Concilium Carthaginense A. 404. CLIV. Concilium Carthagin. A. 405. Aliud A. 407. CLV. Duo concilia Carthaginensia A. 408. CLVI. Concilium Carthag. A. 410. CLVII. Concilium Zertense A. 412. Index Labbei emendatur. CLVIII. Concilium Carthag. A. 418. CLIX. Imperatorum adversus Donatistas edicta. Dorschei sententia de rescripto Juliani, a Godofredo impugnata. Lex Valentiniani. Gratiani. CLX. CLXI. Lex Honorii lata A. 398. Alia A. 400. Aliæ A. 405. CLXII. Aliæ A. 407. CLXIII. Alia A. 408. Quinam fuerint Cœlicolæ. Sententia Godofredi. Baronii. Aliorum. CLXIV. Johannis Rivii. CLXV. Johannis Filesaci. CLXVI. Petiti. Spanhemii. CLXVII. Alia Honorii lex A. 408. Alia A. 409. CLXVIII. Alia A. 410. CLXIX. Alia A. 412. CLXX. Alia A. 414. CLXXI. Alia eodem anno. Quid Theoprepia. Carolus du Fresne notatur. CLXXII. Alia Honorii lex. Cujus annus incertus. CLXXIII. Lex Theodosii junioris. CLXXIV. Donatistarum scelera. Optatus Thamagudensis. CLXXV. Quid Maximianus Bagajensis a Donatistis passus. CLXXVI. Maximianus Bagajensis cum Vagiensi non confundendus. CLXXVII. Varia Donatistarum scelera. Quid buda. CLXXVIII. Augustini sententia de pœnis Donatistarum. CLXXIX. Donatistarum conciliabulum. CLXXX.

 Do-

Donatistarum in Augustinum calumniæ. CLXXXI. Leonis M. epistola de Maximo Donatista. Quesnelii de Leone M. observatio. CLXXXII. De Nicasio Donatista, quem Victor Vitensis ad Vandalos transiisse scribit. CLXXXIII. Donatistæ Justiniani edicto refrenati. CLXXXIV. Donatistarum turbæ sub Gregorii M. pontificatu recruduerunt. CLXXXV. Finis Donatistarum in Africa. Norisii historia Donatistica laudatur.

Synopsis dissertationis tertiæ de ritu festum Nativitatis Christi d. 25. Decembris celebrandi ejusque antiquitate.

I. Locus constitutionum apostolicarum, etsi ex Labbei & Montacutii mente explicetur, ab Apostolis hunc ritum institutum probare non potest. II. Calendarium Bucherianum non sub Tiberio sed sub Liberio scriptum. III. Narrationes Johannis Nicæni de festo Nativitatis Christi fabulosæ. Similes fabulæ apud Theorianum, cujus latina versio in nonnullis editionibus vitiosa. IV. Epistola Evodii spuria, nec probat quod probare debet. V. Telesphori, epistola spuria, nec certum diem festi natalis determinat. VI. Locus Theophili Cæsariensis ab Hospiniano allegatus in plerisque actorum Synodi Cæsariensis editionibus non legitur. Legitur tamen in Baluziana. Verum acta illa spuria esse probatur. VII. Mensis Pachon apud Clementem non est December. VIII. De Hippolyti homilia in festum Nativitatis. IX. Quarto seculo festum hoc passim nec tamen uno ubique tempore celebratum. Chrysostomus in sua ecclesia ante paucos annos ritum hoc festum d. 25. Decembr. celebrandi introductum asserit. Notatur Gretserus,

rus, qui hanc homiliam Chrysostomo abjudicat, & Calvisius qui hanc homiliam Constantinopoli habitam putavit. X. Fundamentum quo nititur ritus festum hoc d. 25. Dec. celebrandi est fictitius Zachariæ pontificatus. Ratio natalem Christi ex ephemeriis sacerdotalibus investigandi dubia. Diversæ computationes Scaligeri, Bocharti, Wagenseilii. XI. Bynæus festum conceptionis Mariæ cum festo conceptionis Christi confundit. XII. Nicephori historia de Martyribus Nicomediensibus non probat ante Constantini M. tempora festum natale d. 25. Dec. celebratum fuisse. Ante Justini Imp. ætatem universale hoc festum non fuit. XIII. Andr. du Saussay conjectura Savinianum a Petro in Gallias legatum festum nativitatis celebrandum instituisse somniantis rejicitur. XIV. Gretserus ex Augustini regula probare conatur ritum d. 25. natale festum celebrandi ab Apostolis originem duxisse. Quæ sententia refutatur. XV. Conclusio quæ ex dictis infertur.

Synopsis dissertationis quartæ de origine controversiæ circa æqualem Petri & Pauli primatum ante 50. annos per celeberrimum Jansenistam Ant. Arnaldum excitatæ.

I. Petri de Sesmaison tractatus de communione ab Arnaldo refutatus. II. Arnaldi tractatus de frequenti communione a multis impugnatus. III. In hujus tractatus prolegomenis Petrum & Paulum duo ecclesiæ capita appellavit. Ea de re monitus hanc sententiam peculiaribus scriptis defendit. IV. Antagonistæ Arnaldi, eorumque scripta. V. Leonis Allatii sententia. VI. Decretum Innocentii X. contra Arnaldi sententiam. VII. Petri de Marca tractatus ad nutum

hujus Pontificis elaboratus. VIII. IX. Fundamenta sententiæ Arnaldistarum. *X.* Theophili Raynaudi scripta contra Arnaldistas. *XI.* Mysterium, quod in Pauli decollatione quærit. *XII. XIII. XIV.* Cur in bullis papalibus Paulo dexter locus datus diversæ variorum sententiæ.

Synopsis dissertationis quintæ de Synodo Hierosolymitana A. 1672. a Græcis contra Calvinistas habita, in qua imprimis de Cyrilli Lucaris confessione actum est.

I. Claudius duo Græcorum genera distinguit. II. Simonius tertium addit, ad quod refert Cyrillum Lucarim. III. Cyrillus hic ab Allatio aliisque variorum criminum postulatus, a Reformatis excusatus & defensus. IV. Confessio Cyrilli. Hottingeri sententia de hac confessione. Contraria Fehlavii V. Synodus Constantinopolitana sub Cyrillo Berrhœensi adversus Cyrillum Lucarim coacta. Alia Constantinopolitana sub Parthenio. VI. His accessit Synodus Hierosolymitana, quæ in prima editione Bethlehemitica appellatur. VII. Quid cap. 1. 2. & 3. actorum hujus Synodi contineatur. VIII. Quarti capitis summa. *IX.* Quintum caput istorum actorum recensetur. *X.* Inserta huic capiti decreta Synodi Constantinopoli contra Cyrillum sub Cyrillo Berrhœensi habitæ. Cujusmodi decreta illa fuerint. *XI.* Inserta quoque huic capiti decreta Synodi sub Parthenio habitæ. Probatur eam Constantinopoli habitam fuisse. Cur in actis Synodi Hierosolymitanæ Giasii habita dicatur. Quid in illa Synodo sub Parthenio decretum fuerit. *XII.* Sextum actorum Synodi Hierosol. caput omnia Cy-

Cyrillianæ confessionis capita ad examen vocat. Quid de processione Spiritus S. occasione primi articuli Cyrilliani definiatur. Quid actorum horum editor inde eliciat. Diversa ea de re Allatii sententia. Ridicula Cabassutii de Calvinianis assertio. *XIII.* Synodi Hierosol. dissensus a Cyrillo circa secundum & tertium articulum. Editor istorum actorum ægre fert Cyrillo ob assertum absolutæ prædestinationis decretum poenam anathematis infligi. *XIV.* Quid circa 4. 5. & 6. Cyrillianæ confessionis articulum Hierosolymitana Synodus monuerit. *XV.* Quid de articulo 7. 8. & 9. statuerit. *XVI.* Quid de articulo 10. 11. & 12. *XVII.* Quid de articulo 13. & 14. *XVIII.* Quid de artic. 15. 16. 17. *XIX.* Quid de ultimo articulo & adjunctis 4. interrogationibus & responsionibus. *XX.* Dionysii Constantinopolitani super erroribus Calvinistarum responsio eodem tempore edita. Synodus Hierosol. Gallico Oratore instiganre a Græculis coacta. XXI. Autores aliqui allegantur, qui de Cyrillo ejusque confessione egerunt.

Synopsis dissertationis sextæ de Photino.

I. Photinus a concilio Antiocheno apud Athanasium edit. Commelin. eleganter Scotinus appellatur, quod nomen etiam apud Luciferum Calaritanum occurrit. Simile ludibrium Athanasio debuerunt Meletiani quos Picritianos appellavit. II. Patria Photini non Sirmium sed Ancyra. III. Præceptor Photini Marcellus Ancyranus. Nicephori error. IV. Photini ingenium, eloquentia. Ex Ancyrano Diacono Sirmiensis Episcopus factus. Sirmium cur Illyrici caput apud Ambrosium dicatur. Hieronymi indiculus hæresium emendatur. V. Photini hæresis. VI. Marii Mercatoris & Epiphanii dissensus. VII. Photini cum Ebione comparatio. Petrejus notatur. Photini & Berylli convenientia. VIII. Photini convenientia cum Artemone & Paulo Samosateno. IX. Aliqui Photinum Sabelli-

bellianiſmi arguunt. Alii ejus errorem a Sabelliano diverſum fuiſſe notant. Ambroſii locus quomodo a Benedictinis explicetur. X. Marii Mercatoris locus, & de eo quid ſtatuant Nat. Alexander, Baluzius, Garnerius. Photinus in ſua ſententia inconſtans. XI. Palmarius Photini error a variis Autoribus deſcriptus. XII. Photini ſententia de regno Chriſti, quem cum Marcello communem habuit, occaſio verborum Symbolo Nicæno additorum: cujus regni non erit finis. Quando verba illa addita. XIII. Photini error de Spiritu S. XIV. Errores quos Photino Stockmannus tribuit. XV. Artes & adminicula, quibus ſuam hæreſin Photinus propagavit. XVI. De conciliis in quibus Photinus damnatus peculiares tractatus ſcripſere Sirmondus, Petavius, Petrus de Marca, Larroquanus. XVII. Errant, qui in concilio Nicæno damnatum aſſerunt. XVIII. Danæi error Photinianos ante concilium Nicænum exortos ſtatuentis. XIX. Notatur Autor præfationis Arabicæ ad concilium Nicænum. XX. XXI. Disquiritur, num Photinus in concilio Conſtantinopolitano A. 336. damnatus fuerit. Affirmat Petavius. Rectius negat Larroquanus. Cur Sulpitius Severus Athanaſium Juris conſultum appellet. XXII. Photini hæreſis in concilio Antiocheno damnata A. 344. vel 345. XXIII. Damnatio Photini in concilio Sardicenſi ab Epiphanio & Sulpitio aſſerta. XXIV. A nonnullis in dubium vocata. Nec immerito. XXV. De tempore Mediolanenſis concilii, in quo Photini hæreſis damnata fuit, ſententia Petavii. XXVI. Sententia Larroquani & Baronii. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. Sirmondi ſententia recenſetur & refutatur. XXXI. Sententia Valeſii. Item Petri de Marca XXXII. Photinum biennio poſt Mediolanenſe concilium iterum damnatum ex Hilario conſtat. Petrus de Marca & Baluzius id Romæ factum ſuſpicantur. XXXIII. Sirmondus Sirmii A. 357. XXXIV. Petavius Sirmii A. 349. XXXV. Petrus Coutant iterum Mediolani A. 349. XXXVI. Nec non ſtatim poſt alteram hanc Medio-

dio-

diolanensem Synodum etiam Sirmii. Acta hujus Sirmiensis concilii ex Hilario & Severo. Larroquanus hanc Sirmiensem Synodum refert ad A.C.350. XXXVII. Alia Sirmiensis in qua Photinus damnatus. XXXVIII. Indixit illam Constantius. Habita illa A. 357. XXXIX. Interfuit huic concilio Basilius Ancyranus. Quid de ejus disputatione cum Photino statuat Osiander. Dorschei de hoc Basilio judicium. Simile ejusdem de Marco Arethusio judicium. XL. Tres fidei formulæ Sirmienses in diversis conciliis editæ. XLI. Prima tantum spectat ad concilium Sirmiense anni 351. Dorschei de illa judicium. Quid nobis de illa videatur. XLII. Subjuncti huic confessioni anathematismi. Eorum aliqui Photinum feriunt. XLIII. Photinus in hoc concilio ab Episcopatu depositus. Restitutio promissa sub conditione, si errores suos revocaret. Verum ille ad disputationem provocavit, in qua a Basilio Ancyrano victus est. XLIV. Denuo Photinus damnatus in concilio Mediolanensi anni 355. XLV. Nec non in concilio Romano sub Damaso. Paulinns ad quem hac de re Damasus scripsit non fuit Episcopus Thessalonicensis, sed Antiochenus. XLVI. Damnata præterea Photini hæresis in concilio Constantinopolitano, quod inter œcumenica secundum est. Spectat quoque ad Photinianos concilii Arelatensis II. canon 16. & Laodiceni canon 7. ex quo Photinianorum nomen delendum nonnulli perperam contendunt. Canonis Arelatensis cum Laodiceno conciliatio. XLVII. Photini scripta. XLVIII. Scripta contra Photinum. XLIX. Photinus post disputationem cum Basilio Ancyrano in concilio Sirmiensi A. 351. factam in exilium pulsus. Sub Juliano rediit. A Valentiniano denuo expulsus. Ab altero exilio reversus in Galatia obiit. L. LI. Gratiani & utriusque Theodosii leges adversus Photinianos. LII. Photiniani etiam Bonosiaci & Homuncionitæ dicti. Fulgentius Photinianæ hæreseos per calumniam a nonnullis insimulatus.

Synopsis dissertationis septimæ de Aramo Scriptore ecclesiastico anti-Pelagiano obscurissimo pariter & celeberrimo, quem Theodorus Antiochenus confutare conatus est.

I. Historiæ Pelagianæ Scriptores Latius, Vossius. II. Usserius. III. Jansenius. IV. Henricus de Noris, Garnerius. Norisii de Garnerio judicium. V. Theodori Antiocheni libri contra Aram a Photio descripti. VI. Photius Aramum hæreticum fuisse statuit. Quid Bebelius de Aramo suspicatus fuerit. VII. Theodorus Arami adversarius quot volumina scripserit. VIII. Ejus tomi contra Allegoricos. Ejusdem profana Cantici canticorum explicatio. IX. Ejusdem Symbolum, quod Facundus ei perperam abjudicavit. X. Theodori Zelus adversus hæreticos. Gregorii M. memoria lapsus. XI. Theodorus processionem Spiritus S. a Filio negavit. Ejusdem Nestorianismus & Pelagianismus. Unde errores illos hauserit. XII. Ejus Pelagianismum asserit Marius Mercator. Blasphemia Ibæ, quam tamen pro sua agnoscere noluit. XIII. Theodori Pelagianismus imprimis elucescit ex libris contra Aramum scriptis. XIV. Sub Arami nomine Hieronymum intellexit. XV. Cui omnes Arami characteres conveniunt. XVI. Cur eum Aramum cognominaverit. Sententiæ Schotti, Allixii, & cæteris præferenda Cavei.